



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644


urn:nbn:de:hbz:466:1-14584



Th. 1007a.

CONCILIORVM TOMVS SEPTIMVS.

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA

M. D C. XLIV.

Ferdinandus Dei et Apostolicae sedis gratia Epus Paderbornensis
Coadjutor Monasteriensis. S. I. Princeps, Comes
Pyrmontanus, Theodoriano Soci Isv Collegio
Paderbornae donavit
Anno 1673. 29 Dec.

CONCILIORVM
TOMVS SEPTIMVS

AP anno CCCXXII. 21 summ. CCCCL.

PARISIIS.
A TYPOGRAPHIA REGIA
M DC XLI.

INDEX CONCILIORVM
QVÆ IN HOC TOMO VII. CONTINENTVR.

<i>Pontifices.</i>	<i>Anni Christi.</i>	<i>Concilia.</i>	
SIXTVS P. III.	432	Concilium Antiochenum.	<i>pag.</i> 12
	433	Concilium Romanum.	14
	435	Concilium Armeniæ.	39
	439	Concilium Constantinopolitanum.	39
		Concilium Regense.	40
LEO P. I.	440	Concilium Arausicanum I.	272
	441	Concilium Vafense II.	284
	442	Concilium Romanum I.	290
	444	Concilium Gallicum incerti loci.	291
	445	Concilium Romanum II.	294
	446	Synodus Verolamii.	295
	447	Concilium Hispanicum.	296
	448	Concilium Constantinopolitanum I.	298
		Concilium Tyri.	301
		Concilium Beryti.	302
	449	Concilium Constantinopolitanum II.	303
		Conciliabulum Ephesinum.	305
		Concilium Britanicum.	310
		Concilium Romanum III.	311
	450	Concilium Constantinopolitanum III.	312
		Synodus sancti Patricii.	314
	...	Synodus alia sancti Patricii.	320
	451	Concilium Mediolanense.	327

Concil. Tom. 7.

ā ij

INDEX EPISTOLARVM.

S IXTI pape III. vita.	pag. 3
Epistola I. Sixti pape III. ad Cyrilum episcopum Alexandrinum.	6
Epistola II. Sixti pape III. ad Ioannem episcopum Antiochenum.	6
Epistola III. Sixti pape III. ad orientales episcopos.	9
LEONIS pape I. vita.	49
Leonis papæ I. epistolæ.	
Ad Anastasium episcopum Thessalonicensem epistola XXXIX.	ag. 80. 178
LXXXIV.	
ad Anatolium episcopum Constantinopolitanum XL.	92.
XLVI.	102.
XLVIII.	104.
LIII.	119.
LXXI.	149.
LXXVI.	156.
LXXVII.	158.
Ad Constantinopolitanos XX.	77.
XXIII.	
Ad Dioscorum episcopum Alexandrinum LXXXI.	167
ad Dorum episcopum Beneuentanum V.	65
Ad Episcopos per Campaniam & Picenum I.	53.
LXXX.	
ad Episcopos & presbyteros Thraciae XCVI.	166
ad Episcopos Aegypti CIII.	234
ad Episcopos Prouincie CVI.	261
265.	
CIX.	
ad Episcopos per Italianam II.	270
ad Episcopos per Siciliam IV.	59.
CIV.	
ad Episcopos Gallie LII.	113.
XCIV.	
ad Episcopos Gallie & Hispanie XCV.	231
ad Episcopos Palestinos LXXXIII.	233
ad Episcopos Africanos LXXXVII.	171
ad Episcopos Germaniae & Gallie LXXXVIII.	190
ad Episcopos prouincie Viennensis LXXXIX.	197
ad Eudociam Augustam LXV.	142.
LXVI.	
ad Eutychem Constantinopolitanum abbatem VI.	199
Ad Faustum , Marcianum , &c. archimandritas XIV.	143
72.	
XXVIII.	
79.	
XXXII.	
83.	
XXXIV.	
ad Faustum presbyterum XCVIII.	84
ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum VIII.	254
68.	
X.	
70.	
XVI.	
72.	
XX.	
74.	
XXI.	
76.	
XXVII.	
79	
Ad Gennadium episcopum Constantinopolitanum C.	257
Ad Julianum episcopum Aquileiensem III.	57
ad Julianum episcopum Coensem XI.	71.
XIX.	73.
XXX.	81.
XLI.	95.
LVI.	
123.	
LXVII.	
144.	
LXVIII.	
145.	
LXXXII.	
170.	
CV.	
ad Iunenalem episcopum Hierosolymitanum LXXII.	264
151	
Ad Leonem episcopum Rauennatem XXXVI.	88
ad Leonem imperatorem LXXIII.	154.
LXXIV.	155.
LXXV.	156.
LXXVIII.	
160.	
XCVII.	
235.	
XCIX.	
256	

<i>Ad Marcianum imperatorem XXXVIII.</i>	90.
<i>XLII.</i>	96.
<i>XLIII.</i>	97.
<i>XLIV.</i>	99.
<i>XLIX.</i>	105.
<i>L.</i>	106.
<i>LIV.</i>	120.
<i>LVII.</i>	126.
<i>LIX.</i>	129.
<i>LXIV.</i>	
<i>140.</i>	
<i>LXIX.</i>	147.
<i>LXX.</i>	
<i>ad Martinum presbyterum XXXVI.</i>	87
<i>ad Maximum episcopum Antiochenum LXII.</i>	132
<i>Ad Nicetam episcopum Aquileiensem LXXIX.</i>	163.
<i>LXXXVI.</i>	
<i>Ad Presbyteros & diaconos Alexandrinos CII.</i>	260
<i>ad Pulcheriam Augustam XIII.</i>	71.
<i>XVIII.</i>	73.
<i>XXVI.</i>	78.
<i>XXX. 82.</i>	
<i>XXXV.</i>	
<i>85.</i>	
<i>XXXIX.</i>	91.
<i>XLV.</i>	100.
<i>LI.</i>	107.
<i>LV.</i>	120.
<i>LVIII.</i>	128.
<i>LX.</i>	131
<i>Ad Rauennium episcopum Arelatensem XC.</i>	207.
<i>CVII.</i>	266.
<i>CX.</i>	271.
<i>CXI.</i>	272.
<i>ad Rusticum episcopum Narbonensem XCII.</i>	211
<i>Ad Septimum Altinum episcopum LXXXV.</i>	186
<i>ad Synodum Ephesinam II.</i>	72
<i>XV.</i>	
<i>ad Synodum Calchedonensem XLVII.</i>	104.
<i>LXI.</i>	132
<i>Ad Theodosium episcopum Cyri LXIII.</i>	133
<i>ad Theodorum Foroiuliensem episcopum XCI.</i>	208
<i>ad Theodosium imperatorem VII.</i>	68.
<i>IX.</i>	69.
<i>XII.</i>	71.
<i>XVII.</i>	73.
<i>XXIV.</i>	78.
<i>XXV.</i>	78.
<i>XXXIII.</i>	
<i>84.</i>	
<i>ad Timotheum episcopum Alexandrinum CI.</i>	259
<i>ad Turibium episcopum Asturicensem XCIII.</i>	219
<i>Responsiones Leonis pape ad inquisitiones Rustici Narbonensis.</i>	213
<i>Epistola Flavianie episcopi Constantinopolitani ad Leonem.</i>	69
<i>Epistola eiusdem ad eumdem.</i>	69
<i>Epistola synodica episcoporum Gallie ad Leonem papam.</i>	109
<i>Epistola Eusebii Mediolanensis ad Leonem papam.</i>	116
<i>Epistola Paschasni Lilybetani episcopi ad Leonem papam.</i>	138
<i>Nouella Valentinianni III.</i>	
<i>Augusti.</i>	
<i>Epistola Ceretii, Salonii & Verani episcoporum ad Leonem.</i>	206
<i>Libellus episcoporum Prouincie Leoni pape oblatus.</i>	254
	266





VITA, EPISTOLAE ET DECRETA SIXTI PAPÆ III.

Ex libro pontificali.

ANNO
CHRISTI
432.



IXTVS^a natione Romanus, ex patre Sixto,^b sedit annis 8. diebus 19.^c Hic post annum vnum & menses 8. incriminatur a quodam Basso. Eodem tempore audiens hoc Valentianus Augustus, iussit Concilium & sanctam Synodus congregari. Et facto Conuentu, cum magna examinatio-
ne, per iudicium synodicum purgatur a 56. episcopis. Et condemnatur Bassus a Synodo, ita tamen, ut ultimo die viaticum ei non negaretur propter humanitatem pietatis ecclesiæ. Hoc audiens Valentinianus Augustus, cum matre sua Placidia Augusta, furore sancto commoti, proscriptione Bassum condemnauerunt, & omnia præ-
*fociarūt. dia facultatum eius, ecclesiæ catholicae * sociauit. Qui Bassus nutu diuino intra tres menses defunctus moritur. Cuius corpus Sextus episcopus cum linteaminibus & aromatibus manibus suis tractans, recondidit, & sepeluit ad beatum Petrum apostolum in cubiculo parentum eius.
^dHic fecit basilicam S. Mariæ matris Domini, quæ ab antiquis Liberii cognominabatur, iuxta macellum, * Libyæ, vbi & obtulit hæc: Altare argenteum purissimum pensans libras 300. Patenas argenteas 3. pensantes libras 60. Amas

Concil. Tom. 7.

A

2 SIXTI PAPÆ III.

argenteas quatuor pensantes libras 60. Scyphum aureum purissimum , pensantem libras 12. Scyphos argenteos 5. pensantes libras 50. Calices ministeriales aureos * 2. pensantes singulos libras singulas. Calices ministeriales argenteos 10. pensantes singulos libras 3. Aquamanulos argenteos , pensantes libras 8. Coronam faram ante altare argenteam, pensantem libras 30. Coronas farales 34. argenteas, pensantes singulas libras 10. Candelabra argétea quatuor , pensantia singula libras 20. Thymiamaterium argéteum , pensans libras 5. Canthara cerostrota orichalcea 24. pensantia singula libras 15. Possessionem Scaurianam in territorio Caietano , præstantem cum omnibus adiacentibus attiguis solidos 312. & tremissem. Possessionem Marmoratam in territorio Prænestino , præstantem solidos 92. Possessionem Celeris in territorio Asiliano , præstantem solidos 111. & tremissem. Domum Palmatii intra vrbem , iuxta inibi basilicam cum balneo & pistrino , præstantem solidos 154. & siliquas 3. Domos Claudii in Sicimino , præstantes solidos 104. Ceruum argenteum fundentem aquam in fontem baptisterii , pensantē libras 20. Omnia vasa sacra baptismi argétea, pensantia libras 15. Coenacula * aregiæ gradorum adhaerentia basilicæ , vel quidquid intrinsecus esse videtur. Hic ordinavit de argento confessionem beati Petri apostoli, quæ habet libras 400. Huius supplicatione obtulit Valentinianus Augustus imaginem auream cum duodecim portis, & duodecim apostolos , & saluatorem gemmis preciosissimis ornatum supra confessionem beati Petri apostoli. Fecit & Valentinianus Augustus ex rogatu Sixti episcopi fastigium argenteum in basilica Constantiniana, quod a barbaris sublatum fuerat , pensans libras 1610. Huius etiam temporibus fecit Valentinianus Augustus confessionem beati Pauli apostoli ex argento , * quæ habet libras 200. Item fecit Sixtus episcopus confessionem beati Laurentii martyris cum columnis porphyreticis , & ornauit * transennam , & altare & confessionem sancti martyris Laurentii de argento purissimo. Fecit altare pensans libras 50. Cancellos argenteos supra platonias porphyreticas, pensantes libras 300. Absidem supra cancellos cum statua beati Laurentii martyris argenteam , pen-

Locus
obscurus.

* exedrā,
al. fugge-
stum;

fante^{*} libras 200. Fecit autem basilicam beato Lauren-
 tio, quod Valentinianus Augustus ^{* confen-}
 fit, quod Valentinianus Augustus ^{* concessit, vbi & ob-}
 tulit hæc: Patenas argenteas 3. pensantes singulas libras
 * 20. * 15. Amas argenteas 3. pensantes singulas libras 15. Scy-
 phos argenteos 4. pensantes singulos libras 8. Scyphū sin-
 gularem aureum, ornatum de margaritis, pensantem
 * lychno- libras 10. Lucernam ^{* nixorum decem auream, pensan-}
 rum tem libras 10. Calices argenteos ministeriales 12. pensan-
 tes singulos libras 2. Aquamanulos argenteos, pensantes
 libras octo. Ministerium ad baptismum, vel pœnitentiam,
 ex argento libras quinque. Concham aurochalceam,
 pensantem libras 20. Coronas argenteas farales 30. pen-
 santes singulas libras sex. Fara canthara tria ex argento,
 pensantia singula libras quindecim. Candelabra argentea
 duo, pensantia singula libras triginta. Canthara cerostro-
 ta ærea in basilicæ gremio vigintiquatuor. Fara ærea 60.
 Hic fecit in basilica Constantiniana ornamentum su-
 per fontem, quod ante non erat, id est, epistylia marmo-
 rea, & columnas porphyreticas erexit, quas Constanti-
 nus Augustus congregatas dimisit, & iussit ut erigeren-
 tur, ^fquas & versibus exornauit. Hic fecit platoniam in
 cœmeterio Callisti via Appia, vbi nomina episcoporum
 & martyrum scripsit ^{*} commemorans. Hic fecit ordina-
 tionem in vrbe Roma per mensem Decembrem, presby-
 teros vigintiocto, diacones duodecim, episcopos per di-
 uersa loca quinquaginta duos. Qui etiam ^s sepultus est
 via Tiburtina in crypta, iuxta corpus beati Laurentii
 5. Kalendas Aprilis. Et ^hcessauit episcopatus dies viginti
 duos.

NOTÆ.

* *Sixtus.*] Post interregnum viginti dierum, Sixtus patria Roma-
 nus, creatus est pontifex, anno Christi 432. qui est Theodosii vi-
 sum quintus & Valentiniani octauus. Ut recta fides vbiique terra-
 rum intacta conseruaretur, initio pontificatus Ephesinam Syno-
 dum, eiusque decreta apostolica auctoritate firmauit. Ioannem
 Antiochenum, aliosve orientis episcopos ab ecclesia schismate di-
 uisos, eiusdem unitati & communioni restituit. Reuelatione Dei,
 monituque sanctorum Petri & Apollinaris primi Rauennatis sedis
 episcopi cognouit, in locum defuncti Ioannis eiusdem sedis episco-
 pi, Petrum diaconum cognomento Chrysologum Rauennatibus fit episco-
 esse præficiendum. Brictium Turonensem episcopum, quamquam ^{Petrus dia-}
^{ex reuelatione diuina} ^{fit episco-}
^{pus.}

Concil. Tom. 7.

A ij

SIXTI PAPÆ III.

4 calumnias aduersariorum miraculoſe confutasset, ſede amotum post septennium reſtituit. Nestorius extra orbem Romanum amandatus, Theodosii imperatoris clementia, libere inter catholicos Antiochiae in monaſterio ſancti Euprepii agere permifſus, triduano incendio Constantinopolitanae vrbis, de quo ſanctus Prosper & Marcell. in chron. iuſto Dei vindicis iudicio cauſam dediſſe videtur. Hanc ob cauſam imperator Melaniæ, ut credibile eſt, zelo catholicæ fidei æſtuantis in Nestorium incitatus, eius libros haberi vetat, & ſub pœna publicationis bonorum flammis addici mandat. Tandem eumdem, tamquam malorum oninum huius temporis auſtorem, in exilium ablegari mandauit. In exilio degentis lingua a vermisbus fuifſe exesam ſcribit Euagrius. Cum lingua totum corpus putredine fuifſe conſumptum ſcribunt Theodorus in collectaneis, Cedrenus in compendio, & Nicephorus libr. 14. cap. 26. Gensericus Vandalorum rex Arianus, volens catholicam fidem Ariana impieitate ſubuertere, in Africa perſecutionem catholicorum restaurovit: epifcopos orthodoxos baſilicis priuatos etiam ciuitatibus expulit, plerosque alios fideles martyrio affecit. Occupata dolo pacis Carthagine, expilatis catholicorum ecclesiis, ſublatis ethnicorum reliquiis, euerſo cæleſti idolo in Africa celeberrimo, vno ferme die præſtitit, quod plurimis Conciliis, epifcoporum ſtudiis & imperatorum reſcriptis præſtari non potuit. S. Prosper in chron. Vide Baron. ann. 432. uſque ad annum 440.

Nestorius
incendi
Conſtantinopoli
cauſa.

Nestorii li-
bri Vulcano
deemandan-
tur.
Nestorii
obitus qua-
lis.

Genserici in
catholicos
perſecutio.

calumnias aduersariorum miraculoſe confutasset, ſede amotum post septennium reſtituit. Nestorius extra orbem Romanum amandatus, Theodosii imperatoris clementia, libere inter catholicos Antiochiae in monaſterio ſancti Euprepii agere permifſus, triduano incendio Constantinopolitanae vrbis, de quo ſanctus Prosper & Marcell. in chron. iuſto Dei vindicis iudicio cauſam dediſſe videtur. Hanc ob cauſam imperator Melaniæ, ut credibile eſt, zelo catholicæ fidei æſtuantis in Nestorium incitatus, eius libros haberi vetat, & ſub pœna publicationis bonorum flammis addici mandat. Tandem eumdem, tamquam malorum oninum huius temporis auſtorem, in exilium ablegari mandauit. In exilio degentis lingua a vermisbus fuifſe exesam ſcribit Euagrius. Cum lingua totum corpus putredine fuifſe conſumptum ſcribunt Theodorus in collectaneis, Cedrenus in compendio, & Nicephorus libr. 14. cap. 26. Gensericus Vandalorum rex Arianus, volens catholicam fidem Ariana impieitate ſubuertere, in Africa perſecutionem catholicorum restaurovit: epifcopos orthodoxos baſilicis priuatos etiam ciuitatibus expulit, plerosque alios fideles martyrio affecit. Occupata dolo pacis Carthagine, expilatis catholicorum ecclesiis, ſublatis ethnicorum reliquiis, euerſo cæleſti idolo in Africa celeberrimo, vno ferme die præſtitit, quod plurimis Conciliis, epifcoporum ſtudiis & imperatorum reſcriptis præſtari non potuit. S. Prosper in chron. Vide Baron. ann. 432. uſque ad annum 440.

Quamdui ſedem obti-
nuerit.

^b Sedit annis 8. diebus 19.] Cum ſediſſet annis octo minus triginta diebus, 5. Kalendas Aprilis, anni Christi 440. qui eſt Theodosii 33. & Valentinianii imperatoris 16. ex hac vita migrauit. S. Prosper in chron. Baron. ann. 440.

Sixtus baſi-
licam S. Ma-
rie resta-
rat.

^c Hic poſt annum unum &c. incriminatur a quodam Baffo. Qua de re vide quæ dicemus infra in notis Concilii Romani ſub Sixto.

^d Hic fecit baſilicam S. Mariae.] Fortaffe in ampliore dumtaxat formam reſtituit, & amplioribus ornamentiſ exornauit, in laudem & honorem Dei genitricis Mariæ, cui, de Nestorii blaſphemis triūphant, tantum triumphalem fornicem erigere voluerit. Meminit huius ecclieſæ Hadrianus papa ad Carolum Magnum imperatorem, hiſ verbis: *Magis autem ſuſceſſor Caleſtini Sixtus papa fecit baſilicam ſancti Deigenitricis Maria cognomento Maiorem, quæ ad preſepe dicitur. Simili modo & ipſe in metallis aureis, quamquam in diuerſis hiſtoriis, ſacris decorauit imaginibus.* Has temporis vetuſtate non nihil detimenti paſſas, Dominicus Pinellus cardinalis eius baſilicæ digniſſimus archipresbyter ſumma adhibita opificum diligentia refaciendas, & iam collabentes conſeruandas curauit, aliasque maiorum exemplo venerandas imagines, hiſtoriam Dei genitricis Mariæ repræſentantes, addidit. Baron. ann. 440. num. 2.

Quas ecclieſas Gothi
poliārunt.

^e Quod a barbaris ſublatum fuerat.] Hinc plane intelligimus quod dum Gothi vrbem occuparent, non ab omnium ecclieſarum ornamentis abſtinuerint, ſed ab iis dumtaxat quæ ad baſilicas ſanctorum apostolorum Petri & Pauli ſpectare ſciebant, Ita direptionem

EPISTOLÆ.

5

& urbis spoliationem, de qua supra in Innocentio, explices necessum est.

^f *Quas ex versibus exornauit.*] Horum versuum, in octangulato opere, binos in singulis epistyleis exarauit. Cumque de originali peccato catholicam assertionem contra Pelagianam hæresin contineant, placuit eisdem hoc loco recensere, ut qui utiliter toto orbe promulgantur, in perpetuas æternitates conseruentur.

*Gens sacranda prolis hic semine nascitur almo
Quam secundatis spiritus edit aquis.
Virgineo fetu genitrix ecclesia natos,
Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Calorum regnum sperato hoc fonte renati:
Non recipit felix vita semel genitos.
Fons hic est vita, & qui totum diluit orbem,
Sumens de Christi vulnera principium.
Mergere peccator, sacro purgande fluento:
Quem veterem accipiet, proferet vnda nouum.
Insonis esse volens, isto mundare lauacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Nulla renascentia est distantia, quos facit unum
Vnus fons, unus Spiritus, una fides.
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum
Terreat, hoc natus flumine sanctus eris.*

Hæc ex Baronio anno Domini 440. num. 5.

^g *Sepultus est, &c.*] Iniurias, quas supra notis epistolæ primæ Sixti primi, Sextum primum Romanum pontificem ac martyrem post obitum, auctore Hieronymo pertulisse diximus, easdem etiam, & quidem maiores, Sixtus III. de quo hic agimus, sustinuit, Nam sicut eius nomine ab Origenistis prodit liber Sixti vel Sexti Pythagorici, ita huius Sixti nomine a Pelagianis tria volumina scripta fuerunt. Primum de diuitiis. Secundum de malis doctoribus, operibus fidei, & iudicio futuro. Tertium vero de castitate. Hæc Pelagianismis referta esse ostendit Baronius ann. 440. num. 7. 8. 9. 10. & 11. ex eo, quod primo volumine Pelagianum hoc contineat, non posse saluari diuitem, nisi omnia sua pauperibus eroget. Secundo volumine omnia opera bona libero arbitrio, gratiae diuinæ nihil tribuat: demum quod tertio volumine eos subfannet, qui ex gratia Dei bonum castitatis prouenire contendant. His itaque coloribus libellum manifeste satis depictum, qui non sine graui periculo fidelium nomine Sixti haud pridem excusus fuit, lector agnosce, ne de aureo calice Babylonis venena, insigni nomine honestata, bibas.

^h *Cessavit episcopatus dies viginti duos.*] Verius quadraginta duobus. Ita enim scribit sanctus Prosper in chron. ann. 440. *Defuncto Sixto pontifice Kalendis Aprilis, quadraginta amplius diebus Roma na ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia aduentum diaconi Leonis expectans: quem tunc inter Attium & Albinum (duces Ro-*

Sixti pontificis versus
in octangulato opere
inscripti.

Pelagiani
sub nomine
Sixti libros
ediderunt.
Pelagiana
dogmata
his libris
contenta.

A iii

6 SIXTI PAPÆ III.

mani exercitus) amicitie redintegranda causa Gallia detinebant, &c.
In hunc itaque locum Anastasii mendum irrepisse dubium non
est. Baron. tomo 6. anno 440. num. 1. & 2.

* EPISTOLA I.

SIXTI PAPÆ III.

Cyrillo Alexandrino, de amoto Nestorio, eiusque hære-
sibus condemnatis, deque inita cum Ioanne Antio-
cheno concordia, Sixtus pontifex congaudet, & con-
gratulatur.

Sixtus episcopus Cyrillo Alexandriae episcopo.

MAGNA sumus lætitia, &c. Extat in Concil. Ephes.
Supra parte 3.

N O T A.

Orientaliū
in Cyrrillum
conuicia.

* Epistola.] Hæc est illa Sixti pontificis epistola, quam ad conuin-
cendam Nestorianorum calumniantium falsitatem sanctus Cyril-
lus publicè recitauit. Orientales pacem inter Cyrrillum & Ioannem
Antiochenum initam iniquo animo ferentes, Cyrrillum acta Ephesi-
ni Concilii irritasse, Sextum Nestorii condemnationem impro-
basse, in vulgus sparferant. Ut ergo Cyrrillus excogitatum menda-
cium refelleret, ad se transmissam hanc Sixti pontificis epistolam
publicè recitauit.

* EPISTOLA II.

SIXTI PAPÆ III.

AD IOANNEM ANTIOCHENVM
EPISCOPVM.

De Nestoriana hæresi condemnata, & pace cum Cyrillo
inita Ioanni Antiocheno gaudens gratulatur, &c.

Sixtus Ioanni episcopo Antiocheno.

S I ecclesiastici corporis gloriam, si eius integritatem di-
lectio tua considerare dignetur; profecto lætitiae no-
stræ non quæreret interpretē. Ipsæ namque euidentissi-
mæ res loquuntur, mœrorem nostrum repentina san-
cti fratri Cyrrilli in gaudium sermone conuer-
sum: tantum hanc ergo sollicitudinem nostram nos euau-
isse delectat, postquam reo nostræ fidei tua fuit sanitas

pœnitudo : nunc se vere exulem , nunc se sentit eiectum. Abundant ei in deserto spinæ , quia deest vua quam colligat : hos habet fructus , qui erga vineam Domini nostram noluit exercere culturam. Credo ad dilectionem tuam rerum cursus & ordo peruenerit , qualiter ei voluimus nostra admonitione succurrere : retinuimus in præceps euntem , qui erat blasphemiarum pondere in profunda mergendus. Si negotii qualitatem iusta lance pensamus , nulli non videbitur Nestorius sero damnatus , cui non profuerit debitus sermo præteritus. Fruamur nunc præsentibus bonis , nec diu hæreamus in tristibus , quibus Dominus gaudere concessit.

Audiuit vniuersa fraternitas , quæ ad natalis mei conuenerat diem , qualiter bono humani generis , apostolicæ sedis me præside gratulentur : * excedens licet meritum meum , & extra me hæc esse cognoscam , exordium tamen tui sermonis gratus accipio , quia non est tibi controværia preferenda , qui Christum Dominum nostrum bono humani generis , ita vt natus est , confiteris : subsequenter ecclesiæ addis Luciferum , & vbique lucentem : sed & nunc vos , imo omnes , qui lucis illius signum fronte gestatis , Luciferos confitemur : sint ergo omnes fide prædicantes Domini sacerdotes Luciferi , & vbique luentes : sit & Nestorius ille Lucifer , de quo scriptum est : *Cecidit Lucifer , qui mane oriebatur : cecidit , sed super- 15414.* biens cecidit , sed elisus cum ascendere disponit in cælum , & ponere super cæli sidera sedem suam , & promittit Altissimo similem se futurum. Ille ad similitudinem se aptabat Altissimi , iste in suam similitudinem vocabat Altissimum : hominem namque natum eum tantummodo prædicabat , auferens incarnationis mysterium , & illud euacuans , imo illud impugnans , quo secundum symbolum fides & salus nostra subsistit.

Non est certandi iam tempus : hoste prostrato , trans eundum nobis ab his est quæ bella mouerunt : importunum est victoriae tempore adhuc de præliis disputare. Quæ hic euidentior rerum fides , quæ ratio maior potest esse quam vt palma fruamur , auctore Domino , atque bono iucundo , quia in vnum fratres rursus cœpimus habitare ? Hæc sanctitatem tuam volumus prædicare , quæ

De literis
Ioannis Ro-
mam missis
ad Sextum.

P. Ad. 152.

8 SEXTI PAPÆ III.

scribis : expertus es negotii præsentis euentu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab eius se velit separare doctrina, quem ipse inter apostolos primum magister edocuit? non hunc auditus per alterum, non sermo lectoris instruxit : doctus est cum aliis ore doctoris; non scripturæ, non scriptorum passus est quæstionem; absolutam & simplicem fidem, & quæ controversiam non haberet, accepit; quam vtique meditari semper, & in quamanere debemus, vt sensu puro sequentes apostolos inter apostolicos esse mereamur. Non parum nobis oneris, non laboris incumbit, vt ecclesiæ Domini macula desit & ruga.

Quam tuta
fides apo-
stolica se-
dis.

Cōmenda-
tio studii
imp. erga
religionem.

Psal. 1.

Psal. 148.

Ephes. 4.

Quam super hoc esse solici nos debeamus, clementissimorum & Christianissimorum regum cura testatur. Aspice, frater carissime, cœlesti negotio quam se vigilanter impenderint : cogitationum ferias nesciuerunt : nec dignati sunt terrena curare, nisi cœlestibus paruisse. Quoties apostolicam sedem, quoties diuersos fratres eorum sermo commouit, impenderunt se eius negotio. Quis eorum vñquam negauit imperio? sciunt se illi fererare solitudinem suam, qui eam cum grandi reddat usura: de qua re nos conuenit gloriari, quia cœlestem regem videmus fœderatos reges habere terrarum. Intelligunt (sicut ait Dauid) & eruditi sunt qui indicant terram, quando (sicut dicit alibi) ipsi & omnes populi laudant nomen Domini. Ergo quia una (sicut dicit Apostolus) fides est, & vincentes obtinuit, dicenda credamus & tenenda dicamus; nihil ultra liceat nouitati, quia nihil adiici conuenit vetustati: dilucida & perspicua maiorum credulitas nulla coeni permixtione turbetur, habet probatum nobis virum fratrem & coepiscopum nostrum Maximianum Constantinopolitanæ ecclesiæ sacerdotem, diuino illic iudicio consecratum: vt ægritudinis morbum, quem astutiae venena sopitis infuderant, superet simplicitatis dulcedo succedens; qui non illic aliud, quam credimus, poterit prædicare, nisi quod a decessoribus meis nobiscum positus frequenter audiuist. Datum xv. Kalendas Octobris Theodosio xiv. & Maximo consulibus.

NOTA.

EPISTOLÆ.

9

NOTA.

<sup>Occasio
scribendi
epistolam
qua fuit.</sup>

Epiſtola.] Hæc epistola Nestorianorum calumnias de Sexto pontifice sparsas, quasi depositionem Nestorii, initamque Ioannis cum Cyrillo concordiam infenso animo tulisset, perspicue confutat. Romanos pontifices antiquitatis ecclesiasticae tenacissimos, & nouitatis hostes infestissimos esse, Vincentius Lirinensis aduersus hæreses cap. vlt. hinc probat. *Quæ omnia, inquit, licet cumulate, abundeque sufficerent ad nouitates obruendas, tamen ne quid deesse tanta plenitudini videretur, ad postremum adiecimus geminam apostolicæ sedis auctoritatem; unam scilicet S. pape Sixti, qui nunc Romanam ecclesiam venerabundus illustrat, alteram præcessoris sui beatæ memorie pape Celestini; quem hic quoque interponere necessarium iudicauimus. Ait itaque papa Sixtus in epistola, quam de causa Nestorii Antiocheno misit episcopo: Ergo, inquit, quia sicut ait Apostolus, fides una est; & vincentes obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Tandem illa, quomodo tenenda & credenda, prosequitur, & ait: Nihil ultra liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati. Perspicua maiorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur, &c. Baron. ann. 433. num. 16. & 17.*

EPISTOLA III.

SIXTI PAPÆ III.

AD ORIENTALES EPISCOPOS.

*Sixtus episcopus, omnibus orientalibus episcopis
in Domino salutem.*

GRATIAS vestræ referimus sanctitati, quod in tribulatione & persecutione nostra nos visitare misistis, & causæ nostræ finem bonum scire & esse optastis, precibusque Deum exortatis, ut mihi in tribulatione succurreret mea, meque adiuuaret, & ab æmulis tribulantibus & persequentibus me liberaret. O quam bona est caritas, quæ absentes per imaginem, præsentes sibi metipis exhibet per amorem: diuisa quoque vnit, & confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta confirmat. Quam recte prædicator egregius, apostolus videlicet Paulus, *vñculum coloff. 3.* perfectionis vocat: quoniam virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, sed tamen eas caritas ita ligat, ut ab amantis mente dissolti iam nequeant. Hac quoque virtute, fratres, plenos vos Spiritus sancti gratia ego reperio, dum solatiari mihi in meis anxietatibus sentio. Nec mi-

Concil. Tom. 7.

B

Ephes. 4.
 & Ibid. 5.
 ad Coloff. 1.
 Matt. 10.
 Ioan. 15.
 11. quæst. 4.
 Inter verba.
 2. Cor. 1.
 Job. 16.
 Matt. 15.
 Rom. 12.
 rum, carissimi, si me persequuntur æmuli mei, cum caput nostrum, quod est Christus, olim æmuli sanctæ Dei ecclesiæ, seruorumque eius, sint persecuti. Vnde & ipsa perseveritas dicit: *Si patrem familias Beelzebub vocauerūt, quanto magis domesticos eius?* Quæ iterum dicit: *Si de hoc mundo effeſtis, mundus, quod ſuum erat, diligereſt. Sed quia de hoc mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odiſtis mundus.* Hæc, fratres, cum & nos ſciamus, & aliis nos ſæpe dicamus, voſque ea perfecte ſcire non dubitemus, propter infidiatiū vituperationes, aut accusationes, vel propter adulantium laudationes, nec ad dexteram, nec ad finifram declinare debemus: ſed inter verba laudatiū ſive vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt. Et ſi in ea non inueniuntur bonum, quod de nobis dicitur, magnam triftiam generare debet. Et rurſum, ſi in ea non inueniuntur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus latitiam profilire. Quid enim ſi omnes laudēt, & conſcientia nos accuſet? aut ſi omnes accuſent, & conſcientia nos liberos demonſtret? Habemus Paulum dicentem: *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Iob quoque dicit: *Ecce in cælis teſtis mens.* Si ergo eſt nobis teſtis in cælo, teſtis in corde, dimittamus ſtultos foris loqui quod volunt. Quid enim aliud detrahentes faciunt, niſi in puluerem ſuflant, atque in oculos ſuos terram excitant, vt vnde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant. Vocandi tamen ſunt etiam ipſi, & tranquille admonendi, eiſque ſatisfieri modis omnibus debet, ſcientes quod de Iudeis veritas ait: *Ne forte scandalizemus eos.* Si autem ſatisfieri ſibi ex veritate noluerint, habes conſolationem, quam in euangelio adſpicias: quia cum Domino dictum fuifſet: *Scis quia auditio hoc verbo scandalizati ſunt;* Reſpondit: *Sinete illos: cæci ſunt, & duces cæcorum.* Beatus quoque Paulus apostolus admonet, dicens: *Si fieri potefit, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Diciturus: *Cum omnibus hominibus pacem habentes:* quia hoc difficile eſſe perſpexit; præmisit: *Si fieri potefit.* Et ſubiunxit quod potefit fieri, cum dicit: *Quod ex vobis eſt.* Quia ſi nos in mente caritatē erga odientes ſeruare cupimus, eti illi pacem nobiscum non habent, nos tamen cum illis ſine dubio habemus. Quod ergo mandastiſ, vt ſcribeſt

ANNO CHRISTI 432. acceptis, omnes illos episcopos Syriae, quibus haec tenus aduersus Cyrus aliasque orthodoxos Ephesi congregatos comministris v- fusérat, conuocauit, vt prævia consultatione, quid hac in re facto opus esset, decernerent. Post aliquantulam deliberationem, ne Ioannes ex mandato imperatoris ad dicendam causam Nicomediam proficisci cogeretur, communis sententia placuit omnibus; Primo damnationem hæresis Nestorianæ una cum suo auctore Nestorio, Acta Con- cilii. cut Theodosius suis literis admonuerat faciendum, ratam esse habendam. Secundo iudicarunt communicationem cum Romano pontifice, Cyrillo Alexandrino, omnique catholica ecclesia, a qua haec tenus schismate præcisi fuerant, esse redintegrandam. Quæcum Aristolaus imperatoris legatus approbasset, nullum amplius de proficiscendo Nicomediam Ioanni negotium facebatur; vtpote qui hac via concordiam inter dissidentes episcopos conciliandam fore conspiceret. His de rebus ex Synodo ad Sextum Romanum pontificem literas scriperunt. Cyrillo quidem eadem significarunt; sed non prius epistolam suam de damnatione Nestorii & communicatione cum catholicis inita, per Paulum Emeseum legatum suum exhiberi voluerunt, quam Cyrillus in suspicionem hæresecos Apollinaristarum adductus, confessionem fidei suæ edidisset, suaque capitula tamquam erronea condemnasset. Quod cum ille constanter recusasset, vtpote qui nihil aliud de fide sentiret, quam quod antecessor Athanasius tradidisset; quique suas epistolas, facta collatione originalium, ab hæreticis depravatas esse ostendisset, Ioannis Antiocheni & collegarum eius literas publicauit. Recitatis vero eorum libellis non aliter acquieuit Cyrillus, vt patet ex eius epistola 38. ad Dynatum, quam Ioannes Antiochenus illi subscriptisset, sociique eius episcopi Nestorii dogmata manifestius anathematizassent, confessique essent illum se pro deposito habere, & ordinationi Maximiani episcopi Constantinopolitani consensissent. Et quamquam cunctationem Aristolaus moleste ferret, tamen conditionibus requiritis obtemperatum fuit. Ioannes Antiochenus subscriptis, eiusque collegæ expresse Nestorii dogma anathematizarunt, Nestorii depositionem & Maximiani surrogationem approbarunt, ac tandem petitam communionem impetrarunt. Ita arbitrio Cyrilli cuncta aduersus Nestorium gesta feliciter transacta fuerunt. Hæc ex epistola Cyrilli 38. ad Dynatum, Baronius anno 432. num. 42. & sequentiibus usque ad 69.

Cyrillus Apollinaristarum hæresecos insimulatur.
Ioannes & Cyrillus concilian-
tur.

Ihidem.
Idem habe-
tur supra in
Dec. Fab.
pap.

dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus de-
bitoribus nostris.* Et multa sunt alia his similia. His ita de me
peractis, quia contra voluntatem omnium episcoporum,
qui nobiscum erant, propter humilitatem sensus mei,
nullo cogente iudicio, aut vim passus, sed sponte eligens,
haec, nec formam, ut iam dictum est, aliis tamen episco-
pis competens adhibenda est talibus medicina vulneri-
bus, ne immatura curandi facilitas mortifera captis peste
nihil possit, sed segnius tracta pernicies, reatu non legitimi-
mæ curationis, inuoluat pariter sauciatos & medentes.
Ob id ergo statuentes decernimus, ut hi qui non sunt bo-
nae conuersationis, &c. quæ ponuntur supra in epistola 3.
Fabiani, a principio usque ad finem. Data Kalendis A-
prilis Valentianio & Floriano viris clarissimis consulibus.

N O T A .

*Nota con-
sularis per-
stringitur
censura.*

^a *Epistola.*] Magna pars huius epistolæ, quam supra notauiimus,
recitata est hic verbo tenus ex epistola tertia Fabiani pontificis. Ad-
dita ad finem epistolæ temporis & consulum nota, plane surreptitia
est. Nam ex libro pontificali constat, Sixtum quinto Kalendas Apri-
les vita defunctum esse. Valentianum in consulatu Florentium
collegam habuisse, emendationibus consularibus fastis repugnat.
Eadem igitur censura esto de additamento & nota consulari huius
epistolæ. Hæc ex Baron. anno 433. num. 36.

C O N C I L I V M A N T I O C H E N V M , Q V O I O A N N E S A N T I O C H E N V S N E S T O R I V M C O N D E M N A V I T , & cum Cyrillo pacem iniuit.

N O T A .

*Locus &
occasio
Concilii.*

^a *Concilium.*] Hic Conuentus episcoporum Syriæ celebratus est
Antiochiae hac occasione. Theodosius imperator, consilio Maxi-
miani Constantinopolitani episcopi, decreuerat Cyrillum & Ioan-
nem Antiochenum Nicomediam conuocari, atque vtrumque ibi-
dem tamdiu detineri, donec inter se pacem & concordiam compo-
suissent. Executio rei Aristolao viro integro & prudenti tribuno
atque notario commissa est: adhibiti sunt pacis sequestres, Aca-
cius Beroensis, & Simeon Stylites anachoreta sanctissimus. Impe-
rator consilium per literas, quæ extant supra in Concilio Ephe-
sino, parte 3. cap. 24. indicauit. Ioannes Antiochenus his omnibus

*Anno
Christi
432.*

^{ANNO CHRISTI} 433. Mariniani, & laudauit prædium ecclesiæ. Tunc Marinianus pergit ad episcopum vrbis Romæ Sixtum, & cœpit, rogans, postulare ab eo fundum supradictum ecclesiæ. Respondens Sextus episcopus vrbis Romæ, dixit: Nihil ex meis redditibus creuit ecclesiæ. Vnde, carissime fili, pauperum senecta subleuari desiderat, nec veni ecclesiam subuertere. Hoc auditio, Marinianus habuit in semetipsum, & discessit ab eo.

Mariniani, intimauit ei Mariniano, & laudauit prædium ecclesiæ. Tunc Marinianus pergit ad episcopum vrbis Romæ Sixtum, & cœpit rogans postulare ab eo fundum supradictum ecclesiæ. Respondens Sextus episcopus vrbis Romæ, dixit: Nihil ex meis redditibus creuite ecclesiæ. Vnde, carissime fili, pauperum senecta subleuare desiderat, & ecclesiam non subuertere. Hoc auditio, Marinianus habuit in semetipsum, & discessit ab eo.

CAP. II.

Epiphanius igitur ingenuus ex nobilibus parentibus procreatus & facultatis. Hic nutritus fuerat, quasi in domo Bassi exconsul. Litigies ergo inter seruum Bassi & Epiphanium nascitur euentu. Hic venit ad Sixtum episcopū, & cœpit rogare eum, vt ingenuitas eius seruaretur per ecclesiam. Veniens autem Sextus episcopus vrbis Romæ ad Bassum, cœperat rogare eum de ingenuitate munimento. Iratus autem Bassus, respondit ad Sixtum episcopum: Nemo enim iudicavit dominum in consilio serui. Nam & misit, & vniuersa prædia eius occupauit.

CAP. II.

Epiphanius igitur ingenuus ex nobilibus parentibus procreatus est, & facultatis hic nutritus est, fuerat quasi in domo Bassi exconsule. Litigies ergo inter seruum Bassi & Epiphaniū nascitur. Euentus hic venit ad Sixtum, & cœpit rogare eum, vt ingenuitas eius seruaretur per ecclesiam. veniens autem Sextus vrbis Romæ ad Bassum, cœpit rogare eum de ingenuitatis munimento. Tum iratus autem Bassus, respondit ad Sixtum episcopum: Nemo enim iudicabit dominum in consilio sequi. Nam & misit, & vniuersa prædia occupauit.

14 SEXTVS CONCILIVM VALENTINIANVS IMP.
P. III. THEODOSIVS

ANNO
CHRISTI
433.

CONCILIVM ROMANVM
A SIXTO PONTIFICE, AD SVI
EXPVRGATIONEM, INDICTVM
ET CONGR EGAT VM.

*Collectiones Sixti papæ, quas colligit, impetus
a Mariniano & Basso.*

CAPITVLA SEQVENTIS PROCESSVS
HABITI CIRCA SIXTVM PAPAM III.

- I. *De Crescentio, quod omnes facultates suas ecclesiæ dereliquit, & de Octauio seruo Mariniani.*
- II. *De Epiphano, eo quod Bassus predia eius occupasset.*
- III. *De ingenuitate Epiphanii.*
- IV. *De accusatione Sixti episcopi.*
- V. *De Valentianino imperatore & Sixto episcopo conuenientibus in basilica Heleniana in seforio.*
- VI. *De condemnatione Bassi & Mariniani.*

IPSE SIXTVS COLLIGI PRÆCEPIT,
VALENTINIANO ET ANATOLIO
VIRIS CLARISSIMIS CONSULIBVS.

CAPVT I.

CRESCENTIVS quidam timens Deum, quas ex nobilitate composuerat per annos vitæ suæ, omnes facultates suas ecclesiæ reliquit, in integro fecit ecclesiā, heredemq; instituit. In qua dimisit prædium in partes Siciliæ, quod nominatur Argianum, quod præstat solidos septingentos. Huic prædio proxime non longe erat prædium Mariniani. Veniens autem in urbem Romam Octauius seruus

CRESCENTIO quidam timens Deum ex nobilitate, cum poneret annos vitæ suæ, omnes facultates suas ecclesiæ reliquit. In integro fecit ecclesiam heredem atque instituit, in quibus dimisit prædium in partes Siciliæ, quod nominatur Argianum, quod præstat solidos septingentos. Latus hoc prædium proxime non longe erat prædium Mariniani. Veniens autem in urbem Romam Octauius ser-

ANNO CHRISTI 433. Mariniani, & laudauit prædium ecclesiæ. Tunc Marinianus pergit ad episcopum vrbis Romæ Sextum, & cœpit, rogans, postulare ab eo fundum supradictum ecclesiæ. Respondens Sextus episcopus vrbis Romæ, dixit: Nihil ex meis reditibus creuit ecclesiæ. Vnde, carissime fili, pauperum senecta subleuari desiderat, nec veni ecclesiam subuertere. Hoc auditio, Marinianus habuit in semetipsum, & discessit ab eo.

CAP. II.

Epiphanius igitur ingenuus ex nobilibus parentibus procreatus & facultatis. Hic nutritus fuerat, quasi in domo Bassi exconsul. Litigies ergo inter seruum Bassi & Epiphanium nascitur euentu. Hic venit ad Sextum episcopū, & cœpit rogare eum, vt ingenuitas eius seruaretur per ecclesiam. Veniens autem Sextus episcopus vrbis Romæ ad Bassum, cœperat rogare eum de ingenuitate munimentum. Iratus autem Bassus, respondit ad Sextum episcopum: Nemo enim iudicavit dominum in consilio serui. Nam & misit, & vniuersa prædia occupauit.

uus Mariniani, intimauit ei Mariniano, & laudauit prædium ecclesiæ. Tunc Marinianus pergit ad episcopum vrbis Romæ Sextum, & cœpit rogans postulare ab eo fundum supradictum ecclesiæ. Respondens Sextus episcopus vrbis Romæ, dixit: Nihil ex meis reditibus creuit ecclesiæ. Vnde, carissime fili, pauperum senecta subleuare desiderat, & ecclesiam non subuertere. Hoc auditio, Marinianus habuit in semetipsum, & discessit ab eo.

CAP. II.

Epiphanius igitur ingenuus ex nobilibus parentibus procreatus est, & facultatis hic nutritus est, fuerat quasi in domo Bassi exconsule. Litigies ergo inter seruum Bassi & Epiphaniū nascitur. Euentus hic venit ad Sextum, & cœpit rogare eum, vt ingenuitas eius seruaretur per ecclesiam. veniens autem Sextus vrbis Romæ ad Bassum, cœpit rogare eum de ingenuitatis munimento. Tum iratus autem Bassus, respondit ad Sextum episcopum: Nemo enim iudicabit dominum in consilio sequi. Nam & misit, & vniuersa prædia occupauit.

CAP. III.

Exiens autem & Sextus episcopus, venit ad Valentianum Augustum, & cœpit rogare eum de ingenuitate Epiphanii, tantum ut chirographo Augusti munitus, per ecclesiam vindicaretur. Et cœpit studiose, sicut decet semper, subleuare grauatos. Iratus autem Marinianus, de his quæ supradicta sunt, venit ad Bassum, dicens, quasi de malitia Sixti episcopi, & quod per Petrum audierat seruum episcopi Sixti, eo quod consecratam Chrysogōtem stuprasset.

CAP. IV.

Consilio inito cœperunt ambo accusare eum apud Augustum Valentianum, ita ut accenderetur Augustus vel mater eius furore, & suspenderunt se abinuicem a communione. Sextus autem episcopus vrbis Romæ, sciens omnia quæ de eo ad Augustum intimabantur, & quia a communione multus populus Romanus se irrigerat, venit in basilicam beati Petri apostoli, & fecit quasi suprascriptum verbum, & per Leonem diaconum populo enarrabat, dicens: Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non? & cœpit

CAP. III.

Exiens autem Sextus episcopus, venit ad Valentianum episcopum, & cœpit rogare eum de ingenuitate Epiphanii, tantum ut chirographo Augusti munitus per ecclesiam vindicaretur. Et cœpit studiose, sicut decet ecclesiam semper, subleuare gratis. Iratus autem Marinianus, de quo supradicta sunt, venit ad Bassum, dicens quasi de malitia Sixti episcopi, & quod per Petrum audierat seruum episcopi Sixti, quod consecratam Chrysogonitem stuprasset.

CAP. IV.

Consilio inito, cœperunt ambo accusare eum Valentianum Augusto, ita ut accenderetur Augustus vel mater eius furore, & suspenderunt se abinuicem a communione. Sextus autem episcopus vrbis Romæ, sciens omnia quæ de eo ad Augustum intimabantur, & quia a communione multus populus Romanus erigerat, venit in basilicam B. Petri apostoli, & fecit quasi suprascriptum verbum, & per Leonem diaconum populo enarrabat, dicens: Sic delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit? Et cœpit omnis urbana plebs

ANNO
CHRISTI
435.

ANNO CHRISTI 435. pit omnis plebs urbana clamare, vt dicta eius Augustus vel clerus vrbis probaret examine.

probaret examine.

CAP. V.

Auditio hoc, Augustus Valentinianus dixit: Pia petitio. Iussit fieri secundum dicta, & rogauit vniuersum senatum vrbis Romæ. Et Sixtus episcopus rogauit presbyteros vrbis Romæ, vel clericum, nam & monasteria seruorum Dei, & federunt in uno conflietu in basilica Heleniana, quod dicitur sessorium, & cœpit studiose clamans dicere ad Augustum: Intrent qui separauerunt filium a matre ecclesia, & corroborent vniuersa velamina cordis mei. Augustus autem Valentinianus tacebat. Respondit Leo diaconus, & dixit: Iusta petitio. Non abscondatur. Erant enim ibi patricii & consules isti: Paterius exconsul, Anatolius exconsul, ipse Bassus exconsul, & Marinianus patricius, Albinus patricius, Sigisbodus patricius, Honoratus patricius, &c.

Presbyteri autem vrbis Romæ omnes quadraginta octo, diacones quinque. Introiuit enim Epiphanius presbyter, & dixit cum lacrymis: Fiat probatio, vt

Concil. Tom. 7.

clamare, vt dicta eius Augustus vel clerus vrbis Romæ baret examine.

CAP. V.

Auditio hoc, Augustus Valentinianus dixit: Pia petitio. Et iussit fieri secundum dicta. Et rogauit vniuersum senatum vrbis Romæ. Et Sixtus episcopus rogauit presbyteros vrbis Romæ, & clericum, nam & monasteria seruorum Dei. Et federunt in uno conflietu in basilica Heleniana quæ dicitur censorium. Et cœpit studiose clamans dicere ad Augustum: Intrent qui separauerunt filium a matre ecclesia, vt corroborent vniuersa velamina cordis mei. Augustus autem Valentinianus tacebat. Respondit Leo diaconus, & dixit: Iusta petitio non abscondatur. Erant ibi patricii & consules isti: Paterius exconsul, Anatolius exconsul, ipse Bassus exconsul, & Marinianus patricius, Albinus patricius, Sigisbodus patricius, Honoratus patricius, &c.

Presbyteri autem vrbis Romæ omnes quadraginta nouem. Introiuit enim Epiphanius presbyter, & dixit cum lacrymis: Fiat probatio, vt ecclesia non ma-

C

Respondit Maximus ex-
consul, & dixit: Non licet
enim aduersus pontificem
dare sententiam. Respondit
Sixtus, & dixit. Quoniam in
meo arbitrio est iudicare, &
in iudicare tamen meo non
abscondatur veritas. Re-
spondit Augustus Valenti-
nianus, & dixit ad Bassum:
Confitere publice vniuer-
sas intimationes tuas, quo-
niam si non probaueris, eris
obnoxius ecclesiæ & poni-
fici. Nam & damnatio tibi
commanet. Et iterum Au-
gustus dixit ad Maximum:
Parens maxime iusta fuit
postulatio tua. Leuauit se
Augustus, & dedit in arbi-
trio Sixti episcopi iudica-
re iudicium suum. Et dis-
cesserunt cum Augusto
omnes. Et erat sicut in pri-
stimum munita ecclesia, ita
vt cum gaudio & ioco di-
scederet Valentinianus Au-
gustus a Sixto episcopo,
insultans Mariniano & Bas-
so.

CAPVT VI.

Alia autem die fecit col-
ligi omnes presbyteros vr-
bis Romæ, & seddit in eo-
dem loco, quia ibidem con-
sistebat Augustus, & feci-
cum omnibus Concilium,
& damnauit Bassum, & Ma-
rinianum, ita vt communio-

ximus exconsul, & dixit:
Non licet enim aduersus
pontificem dare senten-
tiam. Respondit Sixtus, &
dixit: Quoniam in meo
arbitrio est iudicare, &
non iudicari, tamen non
abscondatur veritas. Re-
spondit Augustus Valenti-
nianus, & dixit ad Bassum:
Confitere publice vniuer-
sas intimationes tuas, quo-
niam si non probaueris, e-
ris obnoxius ecclesiæ, &
pontifici. nam & damna-
tio tibi commanet. Et ite-
rum Augustus dixit ad Ma-
ximum: Parens maxime,
iusta fuit postulatio. Le-
uauit se Augustus, & de-
dit in arbitrio Sixti episco-
pi iudicare iudicium suum.
Et discesserunt cum Augu-
sto omnes. Et erat sicut
pristimum vnta ecclesia,
ita vt cum gaudio & ioco
discederet Valentinianus
Augustus a Sixto episcopo,
exultans Mariniano & Bas-
so.

CAPVT VI.

Alia autem die fecit colli-
gi omnes presbyteros vrbis
Romæ, & seddit in eodem lo-
co, quia ibidem consi-
stebat Augustus. Et fecit com-
mune Concilium, & dam-
nauit Bassum & Marinia-
num, ita vt communione

ANNO
CHRISTI
435.

ne eos ambos vnitos suble-
uaret, & misit auctoritatis
munimen per vniuersos e-
piscopos. Audientes hoc
Bassus & Marinianus, cœ-
pit Bassus grauiter ferre,
Marinianus omnia deride-
re, ita vt omnia prædia sua,
quæ composuisset per an-
nos vitæ suæ, omnia eccle-
siæ derelinqueret, vt ad
communionem reuertere-
tur, & non subleuaretur.
Nam & Marinianus ore
proprio clamabat, dicens:
Scriptum est in verba: *Di-
mittite, & dimittetur vobis : da-
te, & dabitur vobis.* Hoc cum
audiret Sixtus, dixit: Scri-
ptum est in euangelica ver-
ba doctrinæ: *Qui peccauerit
in hoc sæculo, remittetur ei.
Qui autem peccauerit in Spiritum
sanctum, non remittetur ei, nec
hic, nec in futuro.* Et eos reuo-
cauit ad communionem,
ita vt de sæculo ambo sic
transirent. Et damnauit eos
sesto Kalendas Septembbris,
ita tamen, vt Sixtus episco-
pus sedens in sede sua, sic iu-
dicabat, dicens: *Non est ser-
vus supra dominum suum, neq;
discipulus supra magistrum.* Et
quia dixerunt Bassus, & Ma-
rinianus, de me peccatore,
quod scorti adsimilarem ne-
gotium, relegi euangelia in
loco vbi scriptum est: *Sedente
Iesu, & scribente digito in terra,*
Concil. Tom. 7.

Ioan. 8.

eos ambos vnitos suble-
uaret. Et misit auctoritatis
munimen per vniuersos e-
piscopos. Audientes hoc
Bassus & Marinianus, cœ-
pit Bassus grauiter ferre,
Marinianus deridere, ita
Bassus vt omnes prædia sua,
dum posuisset annos vitæ
suæ, omnia ecclesiæ dere-
linqueret, vt ad commu-
nionem reuerteretur, &
non subleuaretur. Nam &
Marinianus ore proprio cla-
mabat, dicens: *Scriptum
est in verbis euangelicis: Di-
mittite, & dimittetur vobis :
date, & dabitur vobis.* Hoc
cum audiret Sixtus, ait:
Scriptum est in euange-
licæ verbis doctrinæ: *Qui Matth. 12.
peccauerit in hoc sæculo, remit-
tetur ei: qui autem in Spiritum
sanctum, non remittetur ei, nec
hic, nec in futuro.* Et nec eos
reuocauit ad communio-
nen, ita vt de sæculo ambo
sic transirent. Et damnauit
septimo Kalendas Septembbris,
ita tamen, vt Sixtus e-
piscopus sedens in sede sua,
sic se iudicabat, dicens, &
proferens euangelica per
eamdem doctrinā dicebat:
*Non est servus supra dominum, Ioan. 12.
neque discipulus supra magistrum.* Et
quia dixerunt Bassus &
Marinianus, de me pecca-
tore, quod scorti assimi-
larem negotium, relegit

C ij

& quia non inueniebant euangelia in loco vbi scri-
ptum est: *Sedente Iesu, & scri-*
Iudæi quomodo eum damnarent, adulteram adduxe-
rant ei. Et hoc respondit Ie-
sus: Si quis ex vobis est sine pec-
cato, iniciat in istam lapidem. Et per hæc verba euangeli-
ca iudicabat sedem suam. Actum in basilica elemen-
ta. Hoc indiculum collegit archidiaconus presbyter, &
ipse quasi in chartarium ec-
clesiæ collocauit.

TERTIA EDITIO
PROCESSVS SIXTI PAPÆ III.
E DVABVS PRÆCEDENTIBVS CONFLATA,
& ad sensum aliquem reducta.

CAPV T I.

VALENTINIANO & Anatolio viris clarissimis con-
fulibus, Crescentius quidam ex nobilibus timens
Deum, quas comparauerat per annos vitæ suæ omnes
facultates suas ecclesiæ reliquit, & ex integro ecclesiam
fecit heredemque instituit, in qua dimisit prædium in
partibus Siciliæ, quod nominatur Arganum, quod præ-
stat solidos septingentos. Secus hoc prædium proxime
non longe erat prædium Mariniani. Veniens autem in vr-
bem Romam Octavius seruus Mariniani, intimauit Ma-
riniano, & laudauit prædium ecclesiæ. Tunc Marinianus
perrexit ad episcopum vrbis Romanæ Sextum, & cœpit
rogans postulare ab eo fundum ecclesiæ supradictum.
Respondens Sextus episcopus vrbis Romæ, dixit: Nihil
ex meis redditibus, carissime fili, accreuit ecclesiæ, vnde
pauperum senecta subleuari desiderat, nec ego veni ec-
clesiam subuertere. Hoc auditio, Marinianus* tabuit in-
tra semetipsum, & discessit ab eo.

CAP. II.

Epiphanius igitur ingenuus ex nobilibus parentibus

ANNO CHRISTI procreatus, & facultatibus diues, hic nutritus fuerat quasi in domo Bassi exconsulis. Litigium ergo inter seruum Bassi & Epiphanium hoc euentu nascitur. Hic venit ad Sextum episcopum, & cœpit rogare eum, ut ingenuitas eius seruaretur per ecclesiam. Veniens autem Sextus episcopus vrbis Romanæ ad Bassum, cœpit rogare eum de ingenuitatis munimento. Tum iratus Bassus, respondit ad Sextum episcopum: Nemo iudicabit dominum ex consilio servi. Nam & misit, & vniuersa prædia eius occupauit.

C A P . III.

Exiens autem & Sextus episcopus, venit ad Valentianum Augustum, & cœpit rogare eum de ingenuitate Epiphanii, tantum ut chirographo Augusti munitus, per ecclesiam vindicaretur. Et cœpit studiose (sicut decet ecclesiam semper) subleuare grauatos. Iratus autem Marinianus de his quæ supradicta sunt, venit ad Bassum, dicens quasi de malitia Sixti episcopi, & quod per Petrum seruum episcopi Sixti audierat, eo quod consecratam Chrysogonitem stuprasset.

C A P . IV.

Consilio inito, coeperunt ambo accusare eum Augusto Valentiniano, ita ut accenderentur Augustus & mater eius furore. Et suspenderunt se ab inuicem a communione. Sextus autem episcopus vrbis Romæ, sciens omnia quæ de eo apud Augustum delata fuerant, & quod ab eius communione multis populus se segregaret, venit in basilicā beati Petri apostoli, & fecit quasi supra scriptum verbum, & per Leonem diaconum populo enarrabat, dicens: Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit? Et cœpit omnis vrbana plebs clamare, ut dicta eius Augustus & clerus vrbis Romæ probarent examine.

C A P . V.

Hoc auditio, Valentinianus Augustus dixit: Pia petatio. Et iussit fieri secundum dicta. Et congregauit vniuersum senatum vrbis Romæ. Et Sextus episcopus congregauit presbyteros vrbis Romæ, & clerum, nec non & monasteria seruorum Dei. Et sederunt in uno confessu in basilica Heleniana, quæ dicitur sessorium. Et cœpit studio-

C iiij

se clamans dicere ad Augustum: intrent qui separauerunt filium a matre ecclesia, * vt corroborent vniuersa velamina cordis mei. Augustus autem Valentinianus tacebat. Respondit Leo diaconus, & dixit: Iusta petitio non abscondatur. Erant enim ibi patricii exconsules isti, Paterius exconsul, Anatolius exconsul, ipse Bassus exconsul, & Marinianus patricius, Albinus patricius, Sigisbaldus patricius, Honoratus patricius, & praefectus vrbis Euthymius, exprfectus vrbis Valerius patricius, Claudio patricius, Fonteius exprfectus. Et aduocati isti, Quintus, Deuterius, Alexander, Helio-carus. Presbyteri autem vrbis Romæ omnes 48. Diacones 5. Introiuit enim Epiphanius presbyter, & dixit cum lacrymis: Fiat probatio, vt ecclesia non maculetur. Respondit Maximus exconsul, & dixit: Non licet aduersus pontificem dare sententiam. Respondit Sixtus, & dixit: Quamquam in meo arbitrio sit, iudicer, an non iudicer, tamen meo iudicio non abscondatur veritas. Respondit Augustus Valentinianus, & dixit ad Bassum: confitere publice vniuersas intimationes tuas, quoniam si non probaueris, eris obnoxius ecclesiæ & pontifici. Nam & damnatio tibi commanet. Et iterum Augustus dixit ad Maximum: Parens Maxime, iusta fuit postulatio tua. Leuauit se Augustus, & dedit in arbitrio Sixtie-piscopi, vt iudicaret iudicium suum. Et discesserunt cum Augusto omnes. Et erat sicut in pristinum munita ecclesia, ita vt cum gaudio & ioco discederet Valentinianus Augustus a Sixto episcopo, insultans Mariniano & Basso.

C A P. VI.

Alia autem die fecit colligi omnes presbyteros vrbis Romæ, & sedidit in eodem loco, vbi consistebat Augustus. Et fecit commune Concilium, & damnauit Bassum, & Marinianum, ita vt communione ambos simul * subleuaret. Et misit auctoritatis munimen per vniuersos episcopos. Audiendo hoc Bassus & Marinianus, coepit Bassus grauiter ferre, Marinianus deridere, ita vt Bassus prædia sua, quæ per omnes annos vitæ suæ, omnia ecclesiæ derelinqueret, vt ad communionem reuerteretur, & non subleuaretur. Nam Marinianus ore proprio clamabat dicēs:

ANNO CHRISTI 433. Scriptum est in verbis euangelicis: *Dimittite, & dimitetur vobis. Date, & dabitur vobis.* Hoc cum audiret Sixtus episcopus, dixit: Scriptum est in euangelicæ doctrinæ verbis: *Qui peccauerit in hoc sæculo, remitteture i. Qui autem peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec hic, nec in futuro.* Et nec eos reuocauit ad communionem, ita ut de hoc sæculo ambo sic transirent. Et damnauit eos ^{*} sexto Kalendas Septembbris, ita tamen ut Sixtus episcopus sedens in sede sua sic iudicaret, dicens, & proferens euangelica verba per eamdem doctrinam: *Non est seruus supra dominum, neque discipulus supra magistrum.* Et quia dixerunt Bassus & Marinianus de me peccatore, quod scorti assumerem negotium, relegi dicta euangelica in loco vbi scriptum est: *Sedente Iesu, & scribente digito in terra.* Et quia non inueniebant Iudæi quomodo eum damnarent, adulteram adduxerunt ei. Et tunc respondit Iesus: *Si quis ex vobis est sine peccato, mittat in istam lapidem.* Et per hæc verba euangelica iudicabat sedem suam. Aëtum in basilica Heliana.

NOTÆ.

* *Concilium.*] Hoc Concilium celebratum est Romæ mense Decembri anno Domini 433. qui est secundus a creatione Sixti pontificis. Nam in vita eius auctor libri pontificalis hæc ait: *Hic post annum & menses octo criminatur a quodam Basso.* Vnde quod in actis Concilii Probus & Marinianus Valentiniano & Anatolio consulibus vi. Kalendas Septembbris condemnati esse dicuntur, mendosum est. Nam prædictorum consulatus coincidit cum anno Domini 440. cuius initio Sixtus pontifex diem vitæ extremum clausit. Causam habiti Concilii idem auctor pontificalis summatim recenset prædicto loco his verbis: *Hic post annum & menses octo criminatur a quodam Basso* (de stupro virginis Deo consecratæ illato.) *Facto Conuentu, cum magna examinatione, per iudicium synodicum purgatur a quinquaginta sex episcopis.* Et condemnatur Bassus a Synodo, ita tamen ut ultimo die viaticum ei non negaretur propter humanitatem pietatis ecclesie. Hoc audiens Valentinianus Augustus, cum matre sua Placidia Augusta, furore sancto commoti, proscriptione Bassum condemnarunt, & omnia prædia facultatum eius ecclesia catholicae sociarunt. *Qui Bassus intra tres menses moritur: cuius corpus Sextus episcopus cum linteaminibus & aromatibus, manibus suis tractans, recondidit & sepeluit ad B. Petrum apostolum in cubiculo parentum eius.* Eadem ipse Sixtus pontifex recenset epistola tercia his verbis: *Scitote me criminari a quodam Basso & iniuste persecui. Quod audiens Valentinianus Augustus, nostra auctoritate Synodum congregari iussit. Et facto Concilio cum magna exa-*

Locus &
tempus
Concilii.
Acta emen-
dantur.
Causa habi-
ti Concilii.

minatione satisfaciens omnibus, licet euadere satis potuisse, suspicionem tamen fugiens coram omnibus me purgauit, &c. Et paulo infra: *Condemnatus est autem memoratus Bassus a iam dicta Synodo; ita tamen ut in ultima die viaticum ei non denegetur, &c.*

Acta Concilii extant corrupta.

Acta Concilii nimia antiquitate corrupta atque vndique depravata extant. Consules in exemplari ultimo præpositi, ascititii sunt, ut supra dixi. In epistola tertia pro Anatolio consule Florentius cum Valentiniano ponitur. Epistola tertia Bassi sepulturam Kalendas Aprilis habitam fuisse refert. Acta Concilii cumdem Bassum sexto Kalendas Septembbris sepultum esse commemorant. Quis neget alteri duorum monumentorum errorem subrepississe. Baronius anno 422. num. 31. & 36. Hac depravatione & mira varietate factorum animaduersa, Conciliorum collector non immerito hanc præfatiunculam olim præmisserat.

Propter exemplarum intolerabilem nimiamque & differentiam & depravationem, quorum alterum vetustum fuit ac mendosum, quamquam optimo charactere, atque in pergameno exaratum, alterum magis vetustum, sed aque depravatum, seu ad oculum intuentibus liquet; adeo ut nonnunquam, quid intendant, non valeat intelligi: idcirco utriusque exemplaris de syllaba in syllabam, nulla facta mutatione, litera est posita. Vnius quidem in columna anteriori, alterius in posteriori. Verum tertia editio pro illius capacitate, seu potius coniectura, qui utramque literam admodum differentem concordare nisus est, & ad sensum aliquem reducere, quantum ei pro suis viribus licuit; litera, ubi illius intellectus haberi potuit, manente, ex utroque exemplari desumptis his que litera magis congruere illi visa sunt, aut certe quibusdam vel mutatis, ubi litera nimis depravata extabat, aptata est. Nemo ergo caput subsannando moueat, qui vel exemplaribus correctioribus nactus, aut ex ingenii nobilitate, aut limpiditate concordantiam illam minus aptam considerans, potens est emendare, quinimo patienter ferat, & in meliorem formam ipse restituat. Proinde visum collectori non est omnino ista, propter præmissas inceptias, prætermittere, que patres priores nobis suis posteris opera ac diligentia tanta reliquerunt: quin potius etiam nostra posteritati illa communicare decreuit.

Concilium hoc a quo indictum fuerit.

Pontificem nulla Synodus indicare potest, si nolit.

^b *A Sexto pontifice indictum.]* Hoc manifeste ipsa acta Concilii attestantur cap. 5. his verbis: *Sextus episcopus congregauit episcopos urbis Romæ, & clerum, nec non & monasteria seruorum Dei, &c.* Et paulo infra, cum Epiphanius presbyter cum lacrymis dixisset: *Non licet aduersus pontificem dare sententiam:* respondit Sextus & dixit: *Quamquam in meo arbitrio sit, iudicer, an non iudicer, tamen meo iudicio non abscondatur veritas.* Hoc est quod in epistola tertia loco supra allegato ait: *Quod audiens Valentinianus Augustus, nostra auctoritate Synodum congregari iusfit.* Ita explicandum est quod ait auctor libripontificalis: *Audiens hac Valentinianus Augustus, iusfit Concilium & sanctam Synodum congregari.* Vide notas Concilii Sinuesani supra sub Marcellino.

ACTA

SIXTVS ROMANVM. THEODOSIVS & VALENTINIANVS IMP. 25
P. III.

ANNO
CHRISTI
433.

ACTA
DE SYNODALI ACCVSATIONE
ET EXPVRGATIONE POLYCHRONII
HIEROSOLYMITANI EPISCOPI,
ROMÆ HABITA SVB PONTIFICATV
Sixti III.

Hunc indiculum collegit Archidamus presbyter, &
quasi in chartaceum ecclesiae collocauit.

- VII. *De Polychronio episcopo Hierosolymitano, eo quod ecclesiæ & manus impositiones cum premio, & muneribus consecraret.*
VIII. *De accusatione Euphemii aduersus Polychronium pontificem suum.*
IX. *De expulsione Polychronii extra ciuitatem.*
- X. *De obſessa Ierusalem fame, & inopia paupertatis, & de Polychronio, eo quod prædia ecclesiæ in pauperes, vel populo erogasset.*
XI. *De occurſu Synodi, & de relatione Polychronii episcopi.*
XII. *De directa epistola ad urbem Ierusalem.*

DE
POLYCHRONII HIEROSOLYMITANI
ACCVSATIONE ET EXPVRGATIONE,
TEMPORE SIXTI PAPÆ III.

CAP. VI.

Erat quidem sacerdos nomine Polychronius, episcopus Hierosolymitanus. Hic per imprudentiam senectutis dicebat, quod Ierusalem prima sedes esset, & ore superbo, & quasi superiorem affirmabat se pontificem esse, & summum sacerdotem, & quasi in sua senectute semper in fidentia corroboratur, ita ut acciperet remunerationem & ordinaret presbyteros & diacones, & nisi accepisset

Concil. Tom. 7.

CAP. VI.

Erat quidem sacerdos nomine Polychronius, id per imprudentiam dicebat, quod Ierusalem prima sedes esset, & ore superbo, & quasi de superiori affirmabat se pontificem esse, & summum sacerdotem, & quasi in senectute sua semper in sua fiducia corroborabatur, ita ut acciperet remunerationem, & ordinaret presbyteros, & diacones. Et nisi accepisset satis dignum munus, non ordinabat episco-

D

satis dignum munus , non ordinabat episcopum : & quia quodei, prout videbatur opulentia, quod Canon vrbis damnauit , diaconos Æthiopes , & Ægyptios in suo gremio ordinabat , & ecclesiam quamlibet sicut in eius regione parochiarum ad dedicandas rogaretur , non dabat auctoritatis suæ facultam , nisi decem librarum auri accepisset remunerationem. Nam clericus omnino vrbis Hierosolymitanæ , non ascendebat gradum suum currens , nisi dedisset remunerationem.

Hoc audito Sixtus episcopus vrbis Romæ conuocauit vniuersam Synodus episcoporum vel presbyterorum Romanorum, clerique in basilicam Constantianam , & ibi sedens cum episcopis, clerumque adstantem omnem de vrbe Roma intimabat eis Polychronium Hierosolymitanum. Quod Canon catholicus calcauit , vel Apostolus Matth.10. testatur : *Gratis acceperitis, gratis date.* & vniuersum velamen cordis eius, & qui alias ciues , quod non licet , ad ordinem sociabat ecclesiæ Hierosolymitanæ. Et quod vniuersas ecclesias cum præmio , & muneribus consecrabat.

Hoc audito, Sixtus episcopus vrbis Romæ conuocauit vniuersam Synodus episcoporum , & presbyterorum Romanorum, clerique in basilicam Constantianam , & ibi sedens cum episcopis cleroque adstante omni de vrbe Roma , intimabat eis Polychronium Hierosolymitanum , quod Canon calcauit , vel Apostolus testatur : *Gratis acceperitis, gratis date.* Et intimauit eis vniuersum velamen cordis eius, quia alias conciues quod non licet, ad ordinem sociabat ecclesiæ Hierosolymitanæ. Et quia vniuersas ecclesias cum præmio , & muneribus consecrabat.

SIXTVS
P. III.

ROMANVM.

THEODOSIVS & IMP. VALENTINIANVS 27

ANNO
CHRISTI
435.

CAP. VII.

Sedentibus itaque octoginta & uno episcopis, & quadraginta octo presbyteris, & sex diaconibus, iussit introire Euphemium episcopum, qui hoc supradictum de Polychronio pontifice suo voce clara accusare testabatur. Ordinavit autem vniuersa Synodus, & elegit de suo ordine tres presbyteros, Castum, Felicem, & Habundium, & duos diacones ciues Romanos, Lollianum, & Leonem, & tres presbyteros vrbis Romæ, Archidamum, Petrum, & Demetrium, & misit in Ierusalem, & secundum Euphemii dicta, quidquid integrum inueniens, ore eius docente, vel testibus 40. qui vera testificantur secundum dicta Euphemii episcopi aduersus Polychronium episcopum. Hi episcopi, Castus, Felix, & Abundantius, & diacones, Lollianus, & Leo, & presbyteri, Archidamus, Petrus, & Demetrius, Polychronium secundum dictum Sixti episcopi vrbis Romæ, vel octoginta & vnius episcoporum Synodum, & quadraginta octo presbyterorum ciuium Romanorum. nam etiam & secundum chirographum

Concil. Tom. 7.

CAP. VII.

Sedentibus itaque octoginta & uno episcopis, & quadraginta octo presbyteris, & sex diaconis, iussit introire Euphemium episcopum, qui hoc supradictum de Polychronio pontifice suo voce clara accusare testabatur. Ordinavit autem vniuersa Synodus, & elegit de suo ordine tres episcopos, Castum, Felicem, & Habundium, & duos diacones ciues Romanos, Lollianum, & Leonem, & tres presbyteros vrbis Romæ, Archidamum, Petrum, & Demetrium. Et misit in Ierusalem secundum dicta Euphemii, quidquid integrum introiissent ore eius docente testibus vel quadraginta, qui vera testificantur secundum dictum Euphemii episcopi aduersus Polychronium episcopum: hi episcopi, Castus, Felix, & Abundantius, & diacones, Lollianus, & Leo, & presbyteri, Archidamus, Petrus, & Demetrius, Polychronium episcopum secundum Sixti episcopi vrbis Romæ, & octoginta & vnius episcoporum Synodum, & quadraginta octo presbyteros ciues Romanos. Nam etiam & chirographum Augusti Valentinia-

D ij

Augusti Valentiniani & ni, & Theodosii episcopi Constantinopolitani, & quidquid edocuisset Euphemius episcopus de episcopo & pontifice suo Polychronio, ambos simul Polychronium & Euphemium extra ciuitatem damnarent. Venientes autem in urbem Ierusalem, introierunt feria sexta hi octo cum Euphemio episcopo iam sabbato, & suspenderunt eos ab inuicem a communione. Feria autem prima celebratae sunt Missæ a Casto episcopo, qui directus fuerat a Sixto episcopo, & coepiscopo suo, vel a Synodo. Feria autem secunda conuenerunt vniuersi episcopi de illis regionibus, & venerunt in eamdem ciuitatem, quasi Synodus, numero septuaginta & sex episcopi isti,

Epiphanius, Quiriacus, Bonosus, Ioannes, Victor, Montanus, Speciosus, Paulus, Roborus, Castinus, Berbentius, Iacobus, Iustus, Festus, Palumbulus, Euphemius, Cicero, Familiaris, Felix, Augustinus, Hippolytus, Theodulus, Symmachus, Leo, Pelagius, Paulus, Restitutus, Reuocatus, Polychronius, Sabinus, Pardus, Spesindeo, Triton, Auentius, Tranquillinus, Parseus, Sebastianus, Vrbicus, Petrus, Zosimus, Haberdeum, Zoilus, Valentinus, Quirinus, Anastasius, Caritosus, Geminus, Deuterius, Theodalus, Paulus, Castus, Gorgonius, Fortunatus, Proditus, Scelbianus, Fabius, Clemens, Secundus, Iunius, Honoratus, Olybrius, Ioannes, Petronius, Holocaustus, Andreas.

Et federunt cum supra-dictis, qui directi fuerant ab vrbe Roma, & docuit

Et federunt cum supra-dictis, qui directi fuerant ab vrbe Roma. Et docuit

ANNO CHRISTI 435. omnia Euphemius in conspectu Synodi. Respondit Castus episcopus ex directione Sixti episcopi, & dixit : Vincat nos iustitia : Introducantur testes numero competenti quadraginta, ut secundum Canonem catholicum vrbis Romæ, damnetur extra ciuitatem.

Castus episcopus ex directione Sixti episcopi, & dixit : Vincat nos iustitia. Introducantur testes numero competenti quadraginta, ut secundum Canonem catholicum vrbis Romæ, damnetur extra ciuitatem.

CAP. VIII.

Prima autem die Synodi tanta probatio fuit Euphemii. Qui dum probasset omnia, quæ testificabatur prima pollicitatione damnatus est, & accepit anathema dum docuisset omnia, & subscriperunt omnes episcopi in eius damnationem. Leo diaconus vrbis Romæ dixit : Ex te enim damnaberis, quoniam pontificem, qui te consecrauit coepiscopum, condemnabas & accusabas. Cecidit autem in terra ante omne Concilium episcoporum, & ibi confitebatur se peccasse. Respondit Abundius episcopus missus ab vrbe Roma, & dixit : Non licet quemquam accusare pontificem suum, quoniam iudex non iudicabitur. Alia autem die conuenerunt in basilica sancta resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & ibi se derunt iudicantes eum. Ibi

CAP. VIII.

Prima autem die Synodi tatum probatio fuit Euphemii. Qui dum probasset omnia testificabatur, prima pollicitatione damnatus est, & accepit anathema, dum docuisset omnia. Et scripserunt omnes episcopi in eius damnationem. Leo diaconus vrbis Romæ dixit : Ex te enim damnaberis, quoniam pontificem, qui te creauit coepiscopum, condemnabas, & accusabas. Cecidit autem in terra ante omne Concilium episcoporum, & ibi confitebatur se peccasse. Respondit Abundans episcopus, missus ab vrbe Roma, & dixit : Non licet quemquam accusare pontificem suum, quoniam iudex non iudicabitur. Alia autem die conuenerunt in basilica sanctæ resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & ibi se derunt iudicantes eum. Ibi

D iiij

tes eum. Ibi autem cum anathemate damnauerunt Euphemium usque ad ultimum diem temporis sui. Et subscriperunt omnes in eius damnationem episcopi numero septuaginta sex, & duo diaconi cardinales Romani, & tres presbyteri, & tres episcopi, qui directi fuerat, concluserunt, subscribentes in eius damnationem, & dum damnassent eum, extra ciuitatem iudicabant.

C A P. IX.

Et Polychronium episcopum Hierosolymitanum, quia ordinasset diaconum Aethiopem nomine Victorem, & quia propter decem libras auri ecclesias consecrabat, damnauerunt eum extra ciuitatem, & dederunt ei vel constituerunt praedia tria ecclesiae, ita tamen, ut locus eius intactus seruaretur in gremio vrbis Ierusalem. Et dum cessissent ei usufructuario praedia, subscriperunt episcopi septuaginta sex & diacones duo, & dimiserunt ibidem episcopum quasi vicarium in loco eius nomine Theodolum de Bethlehem vrbe. Et suspenderunt sedem eius, ita ut extra ciuitatem habitaret in praediis supradictis. Et venerunt ad

autem cum anathemate damnauerunt Euphemium usque in ultimum temporis sui. Et subscriperunt omnes in eius damnationem. Episcopi vero septuaginta sex, & duo diacones cardinales Romani, & tres presbyteri, & tres episcopi, qui directi fuerant, concluserunt, subscribentes in eius damnationem. Et dum damnassent eum, extra ciuitatem iudicabant.

C A P. IX.

Et Polychronium episcopum Hierosolymitanum, quare ordinasset diaconum Aethiopem, nomine Victorem, & quia ad decem libras auri ecclesias consecrabat, damnauerunt eum extra ciuitatem, & dederunt ei vel constituerunt praedia tria ecclesiae, ita tamen, ut locus eius intactus seruaretur in gremio vrbis Ierusalem. Et dum cessissent ei usufructuaria praedia, subscriperunt omnes episcopi septuaginta sex, & episcopi tres, & presbyteri tres, & diacones duo, & dimiserunt ibidem episcopum quasi vicarium in loco eius nomine Theodolum de Bethlehem vrbe. Et suspenderunt sedem eius, ita ut extra ciuitatem habitaret in praediis supradictis. Et venerunt ad

ANNO CHRISTI 433. octo. Et iussit Sextus episcopus conuenire episcopos supradictos simul cum Augusto Valentiniano, & alligauerunt vulnera eius. Gaudebat autem Augustus in damnatione Euphemii episcopi, qui extitit accusator Polychronii pontificis sui, & subscriperunt in damnationem horum duorum, omnis Synodus, & Augustus Valentinianus, & Sextus episcopus vrbis Romæ manu propria conclusit. vrbem Romam festinantes supradicti octo. Et iussit Sextus episcopus conuenire episcopos supradictos simul cum Augusto Valentiniano, & alligauerunt vulnera eius. Gaudebat autem Augustus in damnationem Euphemii episcopi qui extitit accusator Polychronii pontificis sui. Et subscriperunt in damnationem horum duorum omnis Synodus & Augustus Valentinianus, & Sextus episcopus vrbis Romæ propria manu conclusit.

C A P. X.

Post menses enim nouem, obsessa est ciuitas Ierusalem fame, non tantum fame, quantum inopia paupertatis. Polychronius autem, qui exepiscopus, vendidit publice prædia ecclesiæ supradictæ pauperibus & clericis, populoque Hierosolymitano erogauit vel sparsit. Veniens autem Priscus diaconus vrbis Ierusalem, accusabat iterum Polychronium, dicens: Quod ei temporale concessum fuerat, vendidit populo cle-roque sparsit. Hoc Sextus episcopus audiens, gau dio corroboratur, & intimauit Augusto Valentiniano rem quam gestam audierat. Respondit diaconus, &

C A P. X.

Post menses enim nouem obsessa est ciuitas Ierusalem fame, non tantum fame, quā inopia paupertatis. Polychronius autem, qui exepiscopo, vendidit publice præmia ecclesiæ supradictæ pauperibus, & clericis, populoque Hierosolymitano erogauit vel sparsit. Veniens autem Priscus diaconus vrbis Ierusalem, accusabat iterum Polychronium, dicens: quod ei temporale cessum fuerat, vendidit populo, cleroque sparsit. Hoc Sextus episcopus audiens corroboratur, & intimauit Augusto Valentiniano rem quam gestam audisset. Respondit Leo diacon, & dixit ad Sextum episcopum:

dixit ad Sixtum episcopum: Iube occurrere Synodum per auctoritatis tuæ munimen, subueniatur domui; quæ super aquam habuit fundamentum. Et accipiat continuas, & fundamenta lapidea; vt tuo munimine pontificii, non ruinet domus ædificata.

CAP. XI.

Misit autem præcepta per vniuersas ciuitates, & occurrerunt omnes episcopi, & fecit Synodum, & sedi cum Augusto in eadem basilica Constantiniana, & sedi cum episcopis Augusto-que, simul & cogitationibus æstuabatur Sixtus episcopus, qualiter Polychronium reuelaret. Respondit Valentinianus Augustus, & dixit: Nolite æstuare pater, quia meruit Polychronius sicut & vidua, quæ misit æris minuta duo in gazzophylacium, vbi omnes abundanter miserunt. Illa enim nihil habebat, nisi tantū illa duo minuta. Et respondit Dominus noster: *Et quid dixit?* Dixit autem Sixtus episcopus: *Quia omnibus plus misit.* Hic autem omnem victum suum quem habuit, misit. Respondit Leo diaconus: Ergo præful qui imitatus est viduam, non viduetur. Tunc lauauerunt se omnes episcopi, vel qui in eodem loco

*Luc. 21.
Marc. 12.*

CAPV XI.

Misit autem præcepta per vniuersas ciuitates, & occurrerunt omnes episcopi. Et sedi cum Augusto in eadem basilica Constantiniana. Et sedi cum episcopis Augusto-que simul. Et cogitationibus æstuabatur Sixtus episcopus, qualiter Polychronium reuelaret. Respondit Valentinianus Augustus, & dixit: Non æstuare pater, quia meruit Polychronius *sicut vidua, quæ misit æra minuta duo in gazzophylacium,* vbi omnes abundantiter miserunt, illa autem nihil habens, nisi tantum illa duo minuta. Et respondit Dominus noster: *Et quid?* Dixit autem Sixtus episcopus: *Quia omnibus plus misit.* Hæc autem omnem victum suum, quem habuit, misit. Respondit Leo diaconus: Ergo præful, qui imitauit viduam, non viduetur. Tunc lauauerunt se omnes episcopi, & qui in eodem loco erant, gaudio litaniæ

ANNO
CHRISTI
433.

ANNO CHRISTI 435. loco erant, gaudio litanias litanias faciebant. Plus e-
faciebant: plus enim gaudio nim ex gaudio plorabant
plorabant omnes.

CAPVT XII.

Et direxit epistolam hanc ad vrbem Ierusalem. Beatisimo Polychronio episcopo & coepiscopus Sixtus episcopus vrbis Romæ & vniuersa Synodus clerisque omnis & Augustus. Reuelationis tuæ officia & munimen ruinæ non obliuiscar pati, quam redii ad vxorem, supra quam tentabas adulterare. Non enim viduetur vxor casta, nec vir prudens non maculetur pecunia, non scorti consilio, quam templum, quod deiecerat Euphemius, per te Polychroni ædificetur: redi ad vxorem sine macula, & custodi dicta apostolica. Ora pro vrbe Roma. Actum est autem Valentianio septimo & Abieno. Dum introissent hi octo in Ierusalem, decimo Kalendas Aprilis, & reuocauerunt Polychronium episcopum in vrbem Ierusalem cum magno honore, & sedit in eadem annis septem & menses sex, & requieuit in pace.

CAP. XI I.

Et direxit epistolam hanc ad vrbem Ierusalem. Beatisimo Polychronio episcopo & coepiscopus Sixtus episcopus vrbis Romanæ & vniuersa Synodus, clerisq; omnis & Augustus. Reuelationis tuæ officia & munimen ruinæ non obliuiscar pati. Quoniam redi ad vxorem, super qua tentabas adulterari. Non enim videtur vxor casta, nec vir prudens, non maculetur pecunia, non scorti consilium, quoniam templum quod deiecerat Euphemius, pro te Polychroni ædificetur. Redi ad vxorem siue sine macula, & custodi dicta apostolica, & ora pro vrbe Romana. Actum autem Valentianio septimo & A-
Hi consu-
les referun-
tur ab om-
nibus in
annum D.
450. qui
fuit deci-
mus a Six-
ti morte.
uieno consilibus, dum introissent hi octo in Ierusalem, decimo Kalendas Aprilis. Et reuocauerunt Polychronium episcopum in vrbem Ierusalem cum magno honore. Et sedit eamdem annis septem, & menses sex. Et requieuit in pace.

34 SEXTVS CONCILIVM THEODOSIVS IMP. VALENTINIANVS

P. III. EDITIO EX DVABVS PRÆCEDENTIBVS ANNO
CONFLATA. CHRISTI 433.

CAPVT I.

ERAT quidam sacerdos nomine Polychronius, episcopus Hierosolymitanus. Is per imprudentiam senectutis dicebat, quod Ierusalem prima sedes esset. Et ore superbo quasi superiorem affirmabat se pontificem esse, & summum sacerdotem, & in sua senectute semper in hac sua confidentia corroborabatur, ita ut acciperet remunerationem, & alias cum ordinaret presbyteros & diacones. Et nisi accepisset satis dignum munus, non ordinabat episcopum: & quia ei prodeesse videbatur opulentia, Æthiopes, & Ægyptios in suæ gremio vrbis (quod Canon damnauit) diacones ordinabat: & sicubi ad dedicandam quamlibet parochiarū in sua regione ecclesiam rogaretur, non dabat auctoritatis suæ facultatem, nisi decem librarum auri accepisset remunerationem. Nam clericus omnino nullus vrbis Hierosolymitanæ ascendebat gradum superiorem, nisi dedisset remunerationem.

Hoc audito, Sextus episcopus vrbis Romæ conuocauit vniuersam Synodus episcoporum & presbyterorum Romanorum, clerorumque in basilicam Constantinam, & ibi sedens cum episcopis, cleroque de omni vrbē Roma adstante, intimabat eis Polychronium Hierosolymitanum, quod Canones calcauit, vt Christus testatur: *Gratis accepistis, gratis date.* Et intimauit etiam eis vniuersum velamen cordis eius, quod alios scilicet ciues (quod non licet) sociabat ecclesiæ Hierosolymitanæ. Et quod vniuersas ecclesias cum præmio & muneribus consecratabat.

CAP. VII.

Sedentibus itaque octoginta & uno episcopis, & quadraginta octo presbyteris, & sex diaconibus, iussit introire Euphemium episcopum, qui hæc supradicta de Polychronio pontifice suo voce clara accusare testabatur. Ordinauit autem vniuersa Synodus, & elegit de suo ordine tres episcopos, Castum, Felicem, & Abundium, & tres

^{Anno Christi} presbyteros vrbis Romæ, Archidamum, Petrum, & Demetrium, & duos diacones ciues Romanos, Lollianum, & Leonem, & misit eos Hierosolymam, vt secundum dicta Euphemii, quidquid minus integrum inuenissent, ore eius docente, testibus 40. qui vera testificantur secundū dicta Euphemii episcopi aduersus Polychronium episcopum, emendarent iidem episcopi, Castus, Felix, Abundius, & presbyteri, Archidamus, Petrus, & Demetrius, & diacones, Lollianus, & Leo, secundum præceptum Sixti episcopi vrbis Romæ, vel octoginta & viii episcoporum Synodum, & quadraginta octo presbyterorum Romanorum ciuium: quinetiam in secundum chirographum Valentiniani & Theodosii Augustorum, si quid edocuisset Euphemius episcopus de episcopo & pontifice suo Polychronio, ambos simul, Polychronium & Euphemium, extra ciuitatem damnarent. Venientes autem in vrbem Ierusalem, introierunt feria sexta hi octo cum Euphemio episcopo, & iam sabbato suspenderunt eos ab inuicem a communione. Feria autem prima celebrata sunt Missæ a Castro episcopo, qui directus fuerat a Sixto episcopo, & coepiscopis suis, & a Synodo. Feria autem secunda conuenerunt viuersi episcopi de illis regionibus, & venerunt in eamdem ciuitatem, * quasi fuisset Synodus, numero septuagintasex episcopi isti, Epiphanius, Quiriacus, &c.

Et federunt cum supradictis, qui directi fuerant ab urbe Roma, & docuit omnia Euphemius in conspectu Synodi. Respondit Castus episcopus ex directione Sixti episcopi, & dixit: Vincat nos iustitia: Introducantur testes numero competenti quadraginta, vt, secundum Canonem catholicum vrbis Romæ, damnetur extra ciuitatem.

CAP. VIII.

Prima autem die Synodi tanta probatio fuit Euphemii. Quidum non probasset omnia, quæ testificabatur prima pollicitatione damnatus est, & accepit anathema dum non docuisset omnia. Et subscriperunt omnes episcopi in eius damnationem. Leo diaconus vrbis Romæ, dixit: Ex te enim damnaberis, quoniam pontificem, qui te consecravit coepiscopum, condemnabas & accusabas.

Concil. Tom. 7.

E ij

Cecidit autem in terram ante omne Concilium episcoporum, & ibi confitebatur se peccasse. Respondit Abundius episcopus missus ab urbe Roma, & dixit: Non licet quemquam accusare pontificem suum, quoniam iudex non iudicabitur. Alia autem die conuenerunt in basilicam sanctam resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & ibi sederunt iudicantes eum. Ibi autem cum anathemate damnauerunt Euphemium usque ad ultimum temporis sui. Et subscripsérunt omnes in eius damnationem episcopi numero septuagintasex, & duo diaconi cardinales Romani, & tres presbyteri, & tres episcopi, qui directi fuerant, concluserunt, subscribentes in eius damnationem, & dum damnassent eum, exire ciuitatem iudicabant.

C A P. IX.

Et Polychronium episcopum Hierosolymitanum, quia ordinasset diaconum Aethiopem nomine Victorem, & quia ob decem libras auri ecclesias consecrabat, damnauerunt exire ciuitatem, & dederunt ei vel constituerunt prædia tria ecclesiæ, ita tamen, ut locus eius intatus seruaretur in gremio urbis Ierusalem. Et dum cessissent ei usufructuario prædia, subscripsérunt omnes episcopi septuagintasex, & episcopi tres, & presbyteri tres, & diacones duo, & dimiserunt ibidem episcopum quasi vicarium in loco eius nomine Theodolum de Bethlehem urbe. Et suspenderunt sedem eius, ita ut extra ciuitatem habitaret in prædiis supradictis. Et venerunt ad urbem Romam festinantes supradicti octo. Et iussit Sextus episcopus conuenire episcopos supradictos simul cum Augusto Valentiniano, & alligauerunt vulnera eius. Gaudebat autem Augustus in damnatione Euphemii episcopi, qui extitit accusator pontificis sui Polychronii. Et subscripsérunt in damnationem horum duorum, omnis Synodus, & Augustus Valentinianus, & Sextus episcopus urbis Romæ manu propria conclusit.

C A P. X.

Post menses etenim nouem, obsessa est ciuitas Ierusalē, ac laborabat fame, nec tantum fame, quantum inopia paupertatis. Polychronius autem, qui exepiscopus, vendidit publice prædia ecclesiæ supradicta pauperibus &

^{ANNO CHRISTI} 433 clericis, populoque Hierosolymitano erogauit vel sparsit. Veniens autem Priscus diaconus vrbis Ierusalem, accusabat iterum Polychronium, dicens: *Quod in tempore concessum fuerat, vendidit populo, cleroque sparsit.* Hoc Sextus episcopus audiens, gaudio corroborabatur, & intimauit Augusto Valentiniano rem, quam gestam audierat. Respondit Leo diaconus, & dixit ad Sextum episcopum: *Iube occurrere Synodum per auctoritatis tuæ munimen, ut subueniatur domui, quæ supra aquam habuit fundatum, & accipiat contignationes & fundamenta lapidea, ut tui munimine pontificii non ruat dominus ædificata.*

CAP. XI.

Misit autem præcepta per vniuersas ciuitates, & occurserunt omnes episcopi. Et fecit Synodum, & seddit cum Augusto in eadem basilica Constantiniana. Et sedens cum episcopis, simulque & Augusto, cogitationibusque æstuabat Sextus episcopus, qualiter Polychronium releuaret. Respondit Valentinianus Augustus, & dixit: *No liæstuare, pater, quia meruit Polychronius sicut & vidua,* Luc. 21.
Marc. 12. *quæ misit aeris minuta duo in gazophylacium, vbi omnes abundanter miserunt. Illa enim nihil habebat, nisi tantum illa duo minuta.* Et respondit Dominus noster: *Et quid?* Dixit autem Sextus episcopus: *Quia omnibus plus misit.* Hæc autem omnem vietum suum quem habuit, misit. Respondit Leo diaconus: Ergo præsul qui imitatus est viduam, non viduetur. Tunc leuauerunt se omnes episcopi, & qui in eodem loco erant, præ gaudio litanias faciebant: plus enim ex gaudio plorabant omnes.

CAPV T XII.

Et direxit epistolam hanc ad vrbem Ierusalem. Beatiſſimo Polychronio episcopo & coepiscopis Sextus episcopus vrbis Romæ & vniuersa Synodus clerusque omnis & Augustus. Reuelationis tuæ officia & munimen rui næ non patiar obliuisci. Iam redi ad vxorem, quam tentabas adulterare. Non viduetur enim vxor casta, nec vir prudens maculetur pecunia, aut scorti contagio: quin templum, quod deiecerat Euphemius, per te, Polychroni, ædificetur: Redi ad vxorem sine macula, & custodi dicta apostolica. Ora pro vrbe Roma. Actum est au-

Hic consu-
les referun-
tur ab om-
nibus in
annum D.
450. qui
fuit deci-
mus a Six-
ti morte.

tem Valentiniano septimo & Auieno consulibus. Dum introissent hi octo in Ierusalem, decimo Kalendas Aprilis, reuocauerunt Polychronium episcopum in urbem Ierusalem cum magno honore, & sedet in eadem annos septem & menses sex, & requieuit in pace.

ANNO
CHRISTI
433.

NOTA.

An hæc a-
& legitima
sunt.
Argumenta
pro parte
affirmante.

Rationes
pro parte
negantce.

Sententia
auctoris.

² *Acta.*] Hæc acta synodalis expurgationis Polychronii Hierosolymitani episcopi Romæ coram Sexto pontifice habita, legitima & alicuius auctoritatis esse videntur, tum quod Nicolaus Romanus pontifex in epistola ad Michaelem imperatorem ea velut legitima citarit, tum quod scriptores nostri temporis eamdem post Petrum Damiani in epistola ad Henricum Rauennatem allegantes, de horum fide & auctoritate nihil haec tenus dubitauerint. Contra vero eadem spuria & illegitima esse, quiuis prudens asseruerit, si ad notam consularem, nomen accusati, alialve res apud acta descriptas, diligenter attendat. Si quod habent acta, hæc accusatio, & expurgatio contigit Valentiniano septimum & Auieno consulibus, certe non ad tempora Sixti, sed ad annum vndecimum Leonis papæ referenda forent. Temporibus Sixti vel Leonis pontificum, ab anno Domini 429. usque ad annum Christi 457. non modo non aliquis Polychronius Hierosolymitanæ sedis episcopum egit, (nam post Praylium Iuuenalis prædictis temporibus Hierosolymitanæ sedis episcopatum tenuit, & duobus oecumenicis Conciliis Ephesino & Calchedonensi interfuit) sed neque apud Nicephorum episcopum Constantinopolitanum, qui texuit catalogum episcoporum Hierosolymitanorum, neque apud Nicephorum Callistum, vel Euagrium, qui horum res in orientali ecclesia gestas prosecuti sunt, usquam vel leuis saltem Polychronii nominis mentio habetur. Tertio quæ hic leguntur de ciuitate Hierosolymorum hoc tempore obsefa, nullo modo subsistere possunt. Hæc sunt quæ actis antiquissimis pondus & auctoritatem imminuunt. Qua ratione hæ difficultates expediri queant, non video. Si quis eadem ad veritatis lumen aliquo modo reuocare possit, pergratum fecerit, si consilium & auxilium mihi communicauerit. Vide Baronium anno 433. numero 38. & 39.

CONCILIVM ARMENIAE,
QVO LIBRI NESTORIANORVM
CONDENNATI.

N O T A.

* *Concilium.*] Cum Theodosius imperator libros Nestorii, publica sanctione edita condemnasset, ideo quod ex scriptis Nestorii in orientali ecclesia controversiae & tumultus agitarentur, Nestoriani ad fontem, vnde suum venenum hauserant, reuertentes, libros Theodori Mopsuesteni & Diodori Tarsensis legendos exposuerunt, atque in Syrorum, Armenorum, & Persarum linguam translatos velut catholicos duas naturas in Christo contra Eunomium & Apollinarem confitentes, diuulgarunt. Quare cognita episcopi Armeniae in Synodus conuenerunt, inuentosque libros impietate plenos condemnarunt. Quos, ne soli condemnasse viderentur, per legationem missam ad Proclum Constantinopolitanum episcopum sententiae suae confirmationem petiuerunt. Proclus re examinata cum Armenis non tantum ipse consensit; verum etiam per Ioannem Antiochenum aliosque episcopos, qui cum ipso congregati erant, eamdem fidem & sententiam subscribi curauit. Hæc ex Librati Breuiario cap. 10. & ex epistola Procli ad Armenos reddita. Baron. anno 435. num. 1. & sequentibus.

Nestoria-
norum libri
condem-
nantur in
Armenia.

CONCILIVM
CONSTANTINOPOLITANVM
IN CAVSA PRIMATVS
ALEXANDRINI,

sub præsidio Procli Constantinopolitani episcopi.

N O T A.

ANNO
CHRISTI
439. * *Concilium Constantinopolitanum.*] Cum Dioscorus Alexandrinæ ^{Causa Cō-} ecclesiæ diaconus, Constantinoli degens, eiusdem Alexandri- ^{cilii.} næ ecclesiæ apocrisarium ageret, veterem controvseriam de iure dioecesios & primatus exsuscitans, ad Alexandrinum episcopum pertinere instabat, omnibus oriëtis ecclesiis præsidere, vt pote quod in ecclesia catholica, post Romanum pontificem, Alexandrinus primatum obtineret. Cui cum episcopus Antiochenus potissimum

40 SEXTVS CONCILIVM THEODOSIVS & VALENTINIANVS IMP.

contradiceret, ideo quod distinctio & diuisio diocesium auctoritate apostolica semel ordinata, Nicæni aliorumque Conciliorum Canonibus confirmata esset, congregata hanc ob causam Synodo, post diligentem causæ discussionem, patres vñanimi consensu definiierunt, vt quæ in Nicæno aliisque Conciliis hac de re olim constituta fuissent, rata ac firma manerent. Pro iuribus Antiochenæ ecclesiæ Theodoretus Cyri episcopus acerrimus defensor insurrexit. Vnde factum, quod (sicut ipse testatur) Dioscorus ex hoc tempore cum graui & diuturno odio prosecutus fuerit. Hæc ex epistola 86. Theodoreti. Baronius anno 439. num. 42. & 43.

Acta Con-
cilii.

ANNO
CHRISTI
439.

CONCILIVM REGENSE,

Cum Ebreduni a duobus contra Canones ordinatus esset episcopus, sub die III. Kalendas Decembris celebratum, Theodosio Augusto XVII. & Festo viris clarissimis consulibus, * anno Christi CCCC XXXIX. Valentinianni III. Augusti decimoquinto, Sixti III. papæ octauo.

* In edi-
tione Bini
legitur,
Æra 472.

TITVL CANONVM.

- I. *Vt duo, qui soli ordinationem presumperant, ab omnibus dein- ceps ordinationibus & Concilii abstineant.*
- II. *Vt Ebreduni, remoto eo qui perperam fuerat assumptus, alia fiat legitima ordinatio.*
- III. *Armentario, qui perperam fuerat ordinatus, pena remissa, chorepiscopi nomen certis literibus indulsum.*
- IV. *De clericis, qui ab Armenta-*
- v. *riotemere prouecti dicebantur.*
- v. *Quod presbyteris liceat priua- tis benedictionem desideranti- bus impertiri.*
- VI. *Vt defuncto episcopo, ecclesia illius curam vicinus gerat epi- scopus.*
- VII. *Ne quis ad ordinationem ve- niat, nisi metropolitani literis inuitatus.*
- VIII. *Vt singulis annis bini fiant Conuentus.*

PRÆFATIO.

CVM in voluntate Domini apud Regensem ecclesiam conuenissemus, & transgressionis apud Ebredunensem ecclesiam habitæ remedium quereretur, qua sacris ecclesiæ Canonibus, ac reuerendis patrum constitutionibus omni parte neglectis, absque trium episcoporum præsentia, absque comprouincialium literis, sine metropolitani auctoritate, irritam ordinationis speciem a duo-

ANNO CHRISTI 439. a duobus temere conuenientibus præsumptam esse clarebat; non minus doloris de præsumptum lapsu, quam de ecclesiæ ipsius conuulsione, in peccoribus omnium diutina collatione versatum est.

CANONES.

I.

Primum itaque, quia non vlciscendi, sed remediandi studium, nutu Domini, vniuersorum peccatora prorsus sacerdotali consilio insederat, Canonum in sermonibus singulis proprietate perspecta, patuit quod sicut reprobe præsumpta esent in irritum deuocanda, ita eos qui reproba præsumpsissent, quamuis confundere censura coegeret, caritati liceret absoluere: præsertim cum hi qui tam peruersa incidissent, a primo lapsus ipsius die adhibitis passim precibus, culpam pœnitentes aut ignorantiae, aut circumscriptiōni imputassent: quia etsi inueniabile crederetur sacerdotem sacerdotalia statuta nescisse; leuius tamen erat, quam si ore impudenti fateretur se nota calasse. Itaque eos qui tam incondita, ac tam instabilia usurpauerunt, placuit misericordiae & caritatis occursu, ita in communionem dilectionemque recipi, ut scirent secundum recentem & saluberri-
mam Taurinatis Synodi definitionem, ad perpetuam vitæ istius suffusionem, nullis se de cetero ordinationibus, nullis ordinariis interfuturos esse Conciliis: quia nihil salubre ab illis statuendum expectaretur, qui tantæ corruptionis tam detestanda exempla præbuerant.

Conc. Taur.
rinense
Can. 3.

Ebredunensi ecclesiæ ante omnia mature vi-
sum est consulendum, quia quatuor de biennio
mensibus sacerdote legitimo destituta hoc gra-
uius ægrotauerat, quod clerus innocens, ac disci-
plinæ, vt probatum est, memor, quorumdam
laicorum insolentia ac varia perturbatione vexa-
tus, etiam in sacerdotibus ac ministris minas ac
iurgia, & vim acerbissimam periculoſe pernicioſa
nuper cæde pertulerat: nec poterat differri bono-
rum ac disciplinæ memorum expectatio, ne vide-
rentur contumacium & inquietorum vota palpa-
ri. quorum conſpirationes iniquæ, machinatio-
nesque, & in præteritum, quantum deprehendi
poſſint, animaduersione ecclesiastica puniendæ, &
in futurum anticipandæ erant. Itaque ordinatio-
nem, quam Canones irritam definiunt, nos quo-
que euacuandam esse censuimus, in qua prætermiſ-
ſa trium præſentia, nec expeditis comprouincia-
lium literis, metropolitani quoque voluntate ne-
lecta, prorsus nihil, quod episcopum faceret, oſten-
ſum eſt. Itaque placuit in voluntate Domini, remo-
to eo qui perperam assumptus erat episcopus, fieri
omnino fratrum constitutionem ecclesiastica tra-
ditione seruata.

I II.

Verum quia hæc sancta Synodus non discipli-
næ tantum curam, sed & misericordiæ gessit: cum-
que occurreret, quod se Armentarius diebus pro-
ximis eidem ecclesiæ multa assentatorum insolentia
retulisset; occurrebat tamen, quod ante admo-

ANNO CHRISTI nitionem discessisset; quod a nonnullis sacerdotum
439. in hoc ipsum confirmatus, se etiam priuate domui
reddidisset; quod epistolas ad clerum ipsum emi-
serat, quibus episcopatum, quem se non indeptum
agnoscet, appetere nuntiauerat, eradi nomen
suum petens, & hoc ipsum quod instabiliter in se
præsumptum erat, iam tunc inordinatum & irri-
tum futurum protestatum esse confirmans: in illam
potius partem declinata sententia est, vt iuueni e-
ducato in timore Domini plus suffragaretur, quod
in actu vitiosissimo interdum sana sensisset, quam
quod iuuenilibus titillationibus in aliqua parte ces-
sisset. Itaque prætermisso his, quæ in regressu ipsius
eum, absque ullius excusationis effugio, societate
culpæ resperserant, velut innocentem eumdem
præterire sacerdotes Domini, qui huic Concilio
aderant, damnatione vacuum maluerunt. **Quod**
ergo in quibusdam schismaticis magis, quam hære-
ticis, recipiendis Nicænum Concilium statuit a
singulis per territoria sua, hoc etiam præsens Con-
uentus in hoc statuit ab omnibus debere seruari. Id
est, vt cuicunque de fratribus tale aliquid caritatis
consilia dictauerint, liceat ei vnam parochiarum
suarum ecclesiam cedere, in qua aut chorepiscopi
nomine, vt idem Canon loquitur, aut peregrina, vt
aiunt, communione foueatur. Primum itaque sta-
tuitur, vt hoc in qualibet prouincia, præterquam
in Alpina maritima, liceat. **Quam** si in aliqua par-
te accesserit, vt malorum incitator, & quietis im-
patiens, damnationi, quam in se prouocauerat
subiacebit. Sed & si quis eidem quidquam ex his

Conc. Ni-
cænum
Can. 8.

Concil. Tom. 7.

F ij

quæ statuta sunt transgredienti communicauerit , a
communione omnium fiat alienus. Deinde ut quo-
libet in loco præterquam in publico egerit , ne
quis ei locus decernatur , quem curiæ & ciuitatis
species , aut ordo nobilitat. Additur , ne vnquam
in ciuitatibus , vel sub episcoporum absentia , of-
ferre præsumat , nec ordinare vel vltimum cleri-
cum , nec in ea quidem ecclesia , quæ illi cuiuscum-
que misericordia fuerit attributa. nec vlli episco-
porum , vel succedente ætate assumpto , in rudi-
mentis suis huic in aliquo , quasi pro ætatis reue-
rentia , cedere liceat. nec vsquam ipsi quidquam
de episcopalibus officiis usurpare , præterquam in
ecclesia , quam cuiusquam misericordia fuerit in-
deptus : in qua ei solum neophytes confirmare , &
ante presbyteros offerre conceditur. Quod si vn-
quam aliquid , caritate alterius prouocatus , de ha-
bitationis commutatione variauerit , non aliter in
alia ecclesia requiem accipiat , quam priori renun-
tiauerit. nec omnino vnquam duarum ecclesiarum
gubernationem obtineat : cui etiam in ea , quæ ipsi
conceditur , ministros a ciuitatis episcopo necesse
est ordinari.

IV.

Sane quia ministrorum mentio facta est , & non
nulli ab ipso inuenti excommunicati , temere in
clero prouecti dicuntur : statutum est , eos qui ita
assumpti sunt deponendos : quibus autem nulla
conuersationis macula præiudicauerit , prout Ebren-
dunensi sacerdoti constituendum visum esset , aut
in ecclesiæ suæ ministerio tenendos , aut ad ipsum

ANNO CHRISTI 439. quocumque habitasset transferendos. Plebi quam acceperit ex constitutionis huius permisso benedicere, & vt supra definitum est, in vna eademque ecclesia neophytes confirmare, in castellis ac vicis totum illi ante presbyteros sicubi venerit liceat, quod in ciuitatibus omnino præscribitur.

V.

Et inter minutas has discussiones & indefinitas visum est, omni presbytero per familias, per agros, per priuatas domos, pro desiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire, quod nonnullas iam prouincias habere succurrit. Huic autem etiam in ecclesiarum plebibus, per loca tamen magis, quam per vrbes, hoc idem visum est esse trbuendum. In ecclesia quoque, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum, ius habebit. Et per omnia, vt sit multæ indulgentiæ testimonium, semper se inferiorem episcopo, superiorem presbytero agat. Mandatis votisque omnium sanctorum prosequenter viuat in timore Domini, quietem collat, Deo seruiat, Synodi circa se benevolentiaæ gratias agat, semperque indignum se indultis, & negatis imparem esse fateatur.

V I.

In commune autem, omnes qui conuenerant sacerdotes, sibimetipsis contra huiusmodi scandala præcauendum censuerunt. Itaque propter eiusmodi temeritatem, tali definitione consultum est, vt de cetero obseruaretur, ne quis ad eam ecclesiam, quæ episcopum perdidisset, nisi vicinæ

ecclesiæ episcopus, exequiarum tempore accede-
ret; qui [visitatoris vice] tamen statim ecclesiæ
ipsius curam districtissime gereret, ne quid ante
ordinationem discordantium in nouitatibus cleri-
corum subuersioniliceret. Itaque cum tale aliquid
accidit, vicinis vicinarum ecclesiarum inspectio,
recensio, descriptioque mandatur.

VII.

Hæc autem omnia exequiarum tempore, usque
ad septimam defuncti diem ager. Exin se ecclesiæ
referens, mandatum metropolitani simul cum
omnibus sanctis episcopis opperietur. Nec quis-
quam ad ecclesiam, quæ sumnum amiserat sacer-
dotem, nisi metropolitani literis inuitatus, acce-
dat; ne a plebe decipiatur, & vim pati voluisse vi-
deatur.

VIII.

Quæ voluntate communi in voluntate Domini
constituta, omnes communi consensu conser-
uanda, neque, quod absit, sine offensa omnium
ac Dei quoquam transgredienda definiunt: adii-
cientes, ut secundum antiquam constitutionem,
si quies temporum erit, bis in anno conuentus a-
gant. Certe inter quaslibet anxietates, neglectis
propriis ac domesticis necessitatibus, quoquomo-
do simul gratias agentes Deo, quo donante quid-
quid spiritu considerant consurgentes, solum ec-
clesiæ remedium, remota vltionis prurigine, atque
omni animositate, quæsissent.

S V B S C R I P T I O N E S.

- Ego Hilarius episcopus , iuxta id quod vniuersis sanctis coepi-
scopis meis , qui mecum subscriperunt , placuit , definita pa-
trum secutus , his definitionibus sub die III. Kalendas Decem-
bris , Theodosio Augusto XVII. & Festo viris clarissimis consu-
libus subscripti .
- Ego Seuerianus episcopus huic definitioni interfui & subscripsi , die
& consule suprascripto .
- Ego Audentius episcopus his statutis interfui & subscripsi , die &
consule suprascripto .
- Ego Iulius episcopus his statutis interfui & subscripsi , die & consule
suprascripto .
- Ego Arcadius episcopus his definitionibus interfui & subscripsi , die
& consule suprascripto .
- Ego Auspicius episcopus his definitionibus interfui & subscripsi , die
& consule suprascripto .
- Ego Seuerus episcopus his definitionibus interfui & subscripsi , die
& consule suprascripto .
- Ego Claudius episcopus his definitionibus interfui & subscripsi , die
& consule suprascripto .
- Ego Valerianus episcopus his definitionibus interfui & subscripsi ,
die & consule suprascripto .
- Ego Nestorius episcopus his definitionibus interfui & subscripsi , die
& consule suprascripto .
- Ego Asclepius episcopus his definitionibus interfui & subscripsi , die
& consule suprascripto .
- Ego Theodorus episcopus his definitionibus interfui & subscripsi ,
die & consule suprascripto .
- Ego Maximus episcopus his definitionibus interfui & subscripsi , die
& consule suprascripto .
- Ego Vincentius presbyter episcopi Constantini , ab eodem ordina-
tus , interfui & subscripsi vice ipsius .

N O T A E I A C O B I S I R M O N D I
S O C I E T A T I S I E S V .

* *Regense* in veteribus libris dicitur , non Regiense . in quibusdam ,
Synodus habita in civitate Regensi. Sic & Faustus , qui episcopus Re-
giensis dici vulgo solet , ab antiquis scriptoribus Regensis nuncupa-
tur , & territorium Regense a Gregorio Turonensi lib. 4. cap. 37. Nec
dubiū , quin ubi in Concilio Valentino Hispaniae Synodus Regiensis
nominatur , Regensis appellari debeat . Vera enim & prisa scriptu-
rae ratio fuit Reiensis : nam & vrbem ipsam , ut Sidonius docet , Reios
vocabant . Postea Regensis scribi coepit , quia vtriusque vocis apud
Gallos idem est sonus , sicut in *maiestas* & *magestas* .

* *Theodosio XVII. & Festo.*] Quidam *Fausto* , sed mendose . Fau-

stus enim præcedentis anni consul fuerat cum Theodosio XVI. In codice Lugdunensi, quem vnum præcipue in his subscriptionibus secuti sumus, sub finem Constantiani legitur pro Constantini.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Acta Synodi. ^a *Concilium.*] Causam habitu Concilii ipsa acta manifeste aperiunt. Ebredunensis episcopi ordinatio a duobus tantum episcopis contra Canones facta irritatur: ordinantes iniuncta poena mulctantur: episcopi ab heresi aut schismate ad ecclesiam redeentes, quo loco habendi sint, definitur. De defunctorum episcoporum cura & exequiis statutum est, ut proximior episcopus harum rerum curam assumat: post habitum consensum metropolitani, defunctum septimo die sepeliat: ad ordinationem ulterius nemo, nisi a metropolitano vocatus, accedat.

Locus habiti Concilii. ^b *Regense.*] Haec tenus ab omnibus fere creditum fuit, hoc Concilium habitum Regii in Aemilia, vel ut nunc loquimur in Lombardia: cum tamen res gesta alterum Regium, in Narbonensi prouincia situm, satis indicare debuerit; siquidem in eo agatur de consulendo ecclesiæ Ebredunensi, quam in Gallia transalpina sitam esse manifestum est. De constituendo episcopo Galliæ transalpinæ in Concilio cisalpino actum fuisse, non est credibile. Fuisse in transalpina Gallia eius nominis ciuitatem, indices Vaticani demonstrant; qui sic habent: *Archiepiscopatus Reginensis in Calabria: episcopatus Regiensis in Aemilia sub Rauennate metropolitano.* Antoninus in itinerario inter ciuitates prouinciae Narbonensis secundæ ponit ciuitatem Retensium, forte Regensium. In Celticō indiculo, qui commentariis Caesaris additus est, Regenæ & Regenensis episcopatus mentio habetur; sicut etiam Ebreduni, & episcopatus Ebredunensis. Accedit quod iidem ferme episcopi omnes nominati reperiuntur & subscripti in Concilio Arausiano, in Gallia Narbonensi, post annum sequentem sub consulatu Cyri celebrato, qui huic etiam Regensi Concilio interfuerunt & subscripserunt. Vtramque igitur Synodus in una eademque Narbonensi prouincia habitam fuisse non facile prudens aliquis negauerit. Denique subscriptiones episcoporum Epauensis Conciliū demonstrant, Ebredunum eiusque ecclesiæ episcopum, de cuius ordinatione perperam facta in hoc Concilio disputatum fuit, Viennensi metropoli, & consequenter Narbonensi prouinciae in Gallia, subditum fuisse. His adde quod Sidonius Apollinaris lib. 6. epistola ultima ad Patientem episcopum Lugdunensem recensens populos Narbonensis prouinciae, scribit: *Quantas tibi gratias Arelatenses, Regenses, Aueniocius, Arausionensis quoque & Albensis Valentinesque & Tricassinae urbis professor exoluant?* Ex quibus omnibus satis evidens est & manifestum, quod hoc Concilium non quidem Regii Lepidi, sed potius Regii Galliarum in prouincia Narbonensi celebratum fuerit; quamquam ex viris doctissimis non pauci contrarium teneant. Baronius anno 439. num. 44. In Nicoliana editione hæc eadem fere omnia huic Concilio præfixa fuerunt.

^c *Ara*

ANNO CHRISTI 439. ^c *Æra 472.]* Hæc chronologia secundum æram Hispanicam erronea, est & sequenti chronologię Christi & consulū contraria. Nam si triginta octo annos, quibus Ærae supputatio chronogrammam Christi superat, ab ea subtrahas, remanent quadringenti triginta quatuor: adeoque non subsisteret, quod in principio & fine aëtorum synodalium refertur, hanc Synodus decimosexto Kalendas Decembriis Theodosio X V II. & Festo consulibus, anno nimurum Christi 439. celebratam esse.

^d *Quod ergo in quibusdam schismaticis, &c.]* Occasio huius constitutionis ista fuit: Episcoporum eorum qui Pelagium sectati fuerant quidam pœnitentiam simulabant, ut sedem sibi merito ademptam reciperent. Ut ergo patres Concilii certo aliquo & euidente experientia discerent, quive ex iis facte pœniterent, constitutionem decreuerunt, ne qui ex schismaticis aut hereticis ad ecclesiam redirent, sedibus ac dignitatibus suis, quibus priuati erant, restituerentur. Exemplo Sixti pontificis ad hæc constituenda commotos fuisse patres, est admodum probabile. De quo S. Prosper in chronicō hæc ait. *Hactempestate Julianus Atellanensis iactantissimus Pelagi erroris assertor, quem dudum amisi episcopatus intemperans cupidio exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem præferens, molitus in communionem ecclesie irrepere: sed iis insidiis Sextus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: & ita omnes catholicos defectione fallacis bestie gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam heresim gladius apostolicus denuntiasset.* Vide Baronium anno 439. num. 45.

Chronologia corruta.

Canon 3.
Occasio hu-
ius consti-
tutionis
quæ.

VITA,
EPISTOLÆ, ET DECRETA
LEONIS PAPÆ I.

Ex libro pontificali.

ANNO CHRISTI 440. ^a **L**EONI natione Tuscius, ex patre Quintiano, ^b sed in annos vingintivnum, mensem unum, dies tredecim. Huius temporibus fecit Demetria ancilla Dei basilicam S. Stephano via Latina, milliario tertio, in prædio suo. ^c Hic inuenit duas hereses, Eutychianam & Nestorianam. Hic ordinavit præcepta sua auctoritate, & misit ad Martianum Augustum catholicum principem fidelem. Et facta collatione cum eodem principe, collecti sunt episcopi. Et factum est Concilium sanctum episcoporum in Calchedonia, in martyrio sanctæ Euphemiae. Et concil. Tom. 7.

G

gregatis sunt 256. sacerdotes, & alii 406. episcopi, quorum chirographus cucurrit, qui congregati sunt vna cum tomo, hoc est, fide apostolice ecclesiæ Romanæ. Sed & in præsentia catholici principis Martiani Augusti congregatum est Concilium, * numero mille 200. episcoporum vna cum Augusto Martiano, qui exposuerunt fidem catholicam, duas afferentes naturas in uno Christo Deo & homine. In quo loco piissimus Augustus Martianus vna cum vxore sua Pulcheria, deposita regia maiestate, fidem suam exposuerunt ante conspectum sanctorum episcoporum, ubi & damnauerunt Eutychen, & Nestorium, & Dioscorum. Et iterum imperator Martianus Augustus cum coniuge sua Pulcheria Augusta, chirographo proprio fidem suam exponentes, postulauerunt sanctum Concilium, ut dirigeret ad sanctissimum papam Leonem, rogantes ut fidem catholicam exponeret. Beatus vero Leo direxit fidei catholicæ tomum, & exposuit damnans omnes haereses. Idem beatissimus Leo archiepiscopus multas epistolas fidei misit, quæ hodie archiuo ecclesiæ Romanæ reconditæ tenentur. Hic firmauit frequenter suis epistolis Synodum Calchedonensem. Ad Martianum Augustum misit epistolas 12. Ad Leonem Augustum epistolas 13. Ad Flauianum episcopum epistolas 9. Ad episcopos per orientem epistolas 18. per quas fidem Synodi confirmauit. Hic renouauit post cladem Vandalicam omnia ministeria sacrata argentea per omnes titulos, de conflatis hydriis sex, duas basilicæ Constantianæ, duas basilicæ beati Petri apostoli, duas beati Pauli apostoli, quas Constantinus Augustus obtulit, quæ penfauerunt singulæ libras centum. Hic renouauit basilicam beati Petri apostoli, & fecit ibi cameram, quam & ornauit. Et beati Pauli basilicam post ignem diuinum renouauit. Fecit & cameram in eadem, similiter & in basilica Constantiniana. Fecit quoq; basilicam sancto Cornelio episcopo & martyri, iuxta cœmeterium Callisti via Appia.⁴ Hic propter nomen Romanum suscipiens legationem, ambulauit ad regem Hunnorum, liberauit totam Italiam a periculo hostium. Hic constituit monasterium apud Petrum apostolum. Hic constituit ut intra actionem sacrificii diceretur, sanctum sacrificium, immacula-

* numer.
10 600.

tam hostiam, &c. ^{co.} Hic quoque constituit, ut monacha non acciperet velaminis capitinis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate ^{* 69.} annis. Hic etiam constituit, & addidit super sepulcra apostolorum & clero Romano custodes, qui dicuntur cubicularii. Hic fecit ordinaciones quatuor per mensem Decembrem in urbe Roma, presbyteros 81. diacones 31. episcopos per diuersa loca numero 185. Qui etiam sepultus est apud beatum Petrum apostolum, ^{111.} Idus Aprilis. Et cessauit episcopatus dies septem.

N O T A E.

^{co.} Leo.] Anno Domini 440. qui est Theodosii imperatoris 33. & Valentiniani 16. post interregnum, teste Prospero, quadraginta & amplius dierum, septimo Idus Maias, Leo natione Etruscus, Sixti pontificis diaconus absens in locum defuncti subrogatus fuit. Sedes illius in tempora plane miserrima incidit. Nam in oriente Nestoriani, in occidente Manichæi, & Pelagi reliquiae, ecclesiam grauiter perturbabant. Cum Manichæi intra urbem latentes, ut supra in notis ad vitam Siricii pontificis prolixius ostendi, nullo iudicio a catholicis & orthodoxis discerni possent, ideo quod Solem, velut numen aliquod, ad orientem conuersi superstitiose adorarent, ad discernendum catholicos ab hereticis constituit, ne fideles versus orientem conuersi orarent, quantumuis pie & religiose id facerent. *Qua nota
Manichæi a
catholicis
discreti fue-
rint.*

Leo sermone decimoquinto, deieunio. Pelagianam hæresim opera sancti Prospere plane extinxit. Photius in bibliotheca. Huius temporibus Cyrus Alexandrinus ex hac vita migravit, postquam sedem Alexandrinam trigintaduobus annis administrasset. Dioscorus magna hypocrisi improbitatem tegens in locum eiusdem successit. Terræmotus ille horribilis, de quo infra in notis Concilii Calchedonensis, & Felicis III. epistolæ agemus, huius pontificatu contigit. Quo miraculo Attilam urbem Romanam deuastare conantem represserit, quidve pro fide & religione catholica summa cum Dei gloria & ecclesiæ augmentatione gesserit, infra ex notis Conciliorum sequentium patebit. Mirum est, quod stigmaticus hæresiarcha Caluinus gloriae auidum & ambitiosum ausit appellare hunc pontificem, qui ob excellentem virtutem, doctrinam, & in cura pastorali vigilansimum studium, ab omni antiquitate iure meritoque magnus cognominari meruit. Refert sanctus Gregorius lib. 3. epist. 30. quod hisce temporibus, dum quidam Græci de accepto brandeo dubitarent, Leo pontifex allatis forcibus illud inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. Quid sit brandeum, verbis paulo antecedentibus hisce explicat. *Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant,* *vt quidquam tangere presumant de corpore, sed tantummodo in pyxide*

Concil. Tom. 7.

*Cyrillo de-
functo Dio-
scorus sub-
rogatur.*

*Calvinus
redargui-
tur.*

*Miraculosa
brandei in-
ciso.*

*Brandeum
quid.*

Brandeum
quid. brandeum mittitur, atque ad sacratissima sanctorum corpora ponitur: quod eleuatur in ecclesia, qua est dedicanda, cum veneratione reconditur: & tanta per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Eiusdem moris antiquissimi, ponendi vela vel sudaria supra apostoli Petri sepulcrum, ut benedictione locupletata recipentur, meminit Gregorius Turonensis lib. i. miracul. capite 28.

Sophronius
quid de
Leone. Refert de Leone Sophronius in prato spirit. capite 149. quod quadraginta dies perseverauerit ad sepulcrum apostoli Petri, vigiliis & orationibus insistens, petensque ab apostolo, ut pro se apud Deum intercederet, ut dimitterentur sibi peccata sua, quodque impletis diebus quadraginta apparuerit apostolus Petrus, dicens ei: *Orani pro te, & dimissa sunt tibi, quoad pœnam, omnia peccata tua, præter quam impositionis manum, indignis quibusdam ad ordines sacros promotis: hoc solum abs te requiretur, siue bene, siue fortasse male egeris.*

Fabula de
Leone pon-
tifice refel-
litur. Fabulosum est, quod occasione mulieris manum osculantis, oblationem humanam passus, dexteram sibi ipsi præsciderit. Occasionem fabulae dedisse videtur id quod scribitur de Ioanne Damasco, qui cum ab iconoclasta Leone dextera mutilatus esset, sanatus est a B. Virgine Dei genitrice. Plura rerum gestarum sub Leone infra attingemus in notis Conciliorum.

Quamdui
federit. ¹ *Sedit annos viginti unum, mensem unum, dies 13.] Annis 21. minus 13. diebus, a consulatu Valentinianni ad Seuerinum & Dagalaiphum. His enim consulibus mortuus est tertio Idus Aprilis anno 461. qui est Leonis imperatoris 5.*

² *Hic inuenit duas heres.] De his omnibus fusius infra suis locis in notis Conciliorum.*

³ *Hic propter nomen Romanū, ambulauit ad regem Hunnorū. De hoc grandi miraculo in Attila repressione, haec Romanae ecclesiae vetera monumenta. Cum Romam ardentī furore Attila raperetur, iamque copias, ubi Mincius in Padū influit, traicere pararet, occurrit pontifex Leo malorum impendentium misericordia motus: cuius diuina eloquentia persuasum est Attila, ut regredetur. Qui interrogatus a suis, cur prater consuetudinem inflexus esset, atque tam humiliter Romani pontificis imperata faceret; respondit & confessus quod verum esset, nimis rursum se vidisse Leone loquente adstantem alium quemdam habitu sacerdotali decorum quid diuinum præse ferentem, minitatemque mortem, nisi Leonis pape iussa capesseret. Huius facti meminit Cassiodorus in chron. & lib. i. variar. epist. 4. Vide Baron. ann. 452. num. 58.*

⁴ *Hic quoque constituit ut monacha.] Ad imitationem & exhortationem S. Leonis, Marcianus imperator promulgavit edictum aduersus eos qui filias virgines inuitas cogebant sacrum velum accipere, Deoque in perpetuum virginitatis cultu dicari: prohibens ne aliqua huiusmodi a parentibus oblata virgo, ante quadragesimum ætatis annum, sacrum velamen acciperet; ut usque ad illud tempus libera esset, possetque nubere, si vellet. Eadem quoque lege exagitauit viudas illas, quæ non amore continentiae, sed ut liberius viuerent, refugerent nuptias iterare. Extat editum in nouellistit. 8. Intelligishinc,*

Attilam mi-
raculose re-
prescit Leo
pontifex.

Marcianus
de voto ac
religione
iussu ponti-
ficiis legem
tulit.

lector, imperatores de rebus sacris leges sancientes, id ipsum monitu sanctorum præsulum, ex scriptis legibus statuisse; nimur ut imperatoria auctoritate coercentur, qui ecclesiasticas sanctiones paruipenderent. Vide Baronium anno 458. numero 4.

EPISTOLA I.
LEONIS PAPÆ I.
AD EPISCOPOS PER CAMPANIAM
ET PICENVM, &c.

- | | |
|---|---|
| I. <i>Vt nullus episcopus seruum alterius ad officium clericatus promoueat.</i> | III. <i>Quod usurpas, non solum clerici exigere non debeant, sed nec laici.</i> |
| II. <i>Vt quicumque ad sacerdotium, vel viduarum mariti, vel habentes numerosa coniugia, promoti fuerint, ab ecclesiasticis officiis arceantur.</i> | IV. <i>Vt clericus nec suo nec alieno nomine fenus exerceat.</i> |
| | V. <i>Vt si quis sacerdotum contra interdicta fecerit, a suo submoneatur officio.</i> |

Leo episcopus urbis Romæ, uniuersis episcopis per Campaniam, Picenum, Tusciam, & per uniuersas Italæ prouincias constitutis, in Domino salutem.

Vt nobis gratulationem facit ecclesiarum status salubri dispositione compositus, ita non leui nos moerore contristat, quoties aliqua contra statuta Canonum, ecclesiasticaque disciplinam præsumpta vel commissa cognoscimus: quæ si non, qua debemus vigilantia, resēcemos, illi, qui nos speculatores esse voluit, excusare non possumus, permittentes sincerum corpus ecclesie (quod ab omni macula purum custodire debemus) ambientium improba contagione foedari, cum ipsa sibi membrorum per * dissimulationem compago non congruat.

I.

Admittuntur passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur: & qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii, tamquam seruiliis vilitas hunc honorem iure capiat, prouehuntur: & probari Deo se posse creditur, qui Domino suo neandum probare se potuit. Duplex itaq; in hac parte reatus est, quod & sacrum * mysterium

Ann. Christi 445, qui fuit annus pontificatus S. Leonis quartus scripta est hæc epistola. Idem in epistola Damasi papæ.

* diffini-
litudi-
nem

Dist. 54.
Admittun-
tur.

talis confortii vilitate polluitur , & dominorum , quantū ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet, iura soluuntur. Ab his itaque , fratres carissimi , omnes prouinciæ vestræ abstineant sacerdotes : & non tantū ab his , sed ab illis etiam , qui aut originali , aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari: nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vendicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis , qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus : vt a castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur , nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

C A P . I I .

Qualis vero vnicuique natalium honestas & morum esse debeat , qui sacri altaris ministerio est sociandus , &

2. Timoth. 3. Apostolo nos docente, & diuina præceptione didicimus ,

& Canonum regulis , a quibus plerosque fratrum declinasse , & penitus deuiasse reperimus. Nam constat ad sacerdotium peruenisse viduarum maritos , quosdam etiam , quibus fuerint numerosa coniugia , & ad omnem licentiam vita liberior , ad sacram ordinem passim patefactis aditibus fuisse permisso , contra illam beati Apostoli

1. Timoth. 3. vocem , qua talibus reclamat , dicens: Vnius uxoris virum. Et contra illud antiquæ legis præceptum , quo indicitur

*Levit. 21. & cauetur : Sacerdos virginem uxorem accipiat , non viduam , non repudiataam. Hos ergo , quicumque tales admissi sunt , ab ecclesiasticis officiis , & a sacerdotali nomine , apostolicæ sedis auctoritate iubemus arceri ; (nec hoc enim sibi poterunt pro arbitrio vendicare , cuius capaces , per hoc quod illis obliterat , non fuerunt) huius discussionis curram nobis specialiter vendicantes , vt , si qua forsitan , de his commissa sunt , corrigantur , ne liceat ultra committi , & ne qua excusatio de ignoratione nascatur : quamquam ignorare nunquam licuerit * sacerdotem , quid Cano-*

facer-
doti,

nūm fuerit regulis definitum. Hæc ergo ad prouincias vestras , per Innocentium , Legitimum , & Segetium fratres & coepiscopos nostros scripta direximus : vt quæ male pullulasse noscuntur , radicitus euellantur , & messem dominicam zizania nulla corrumpant. Ita enim fructum vberem , quæ sunt sincera , præstabunt , si ea , quæ natam segetem enecare consueuerunt , diligentius amputentur.

III.

Nec hoc quoque prætereundum esse duximus, quos-
dam lucri turpis cupiditate captos, usuriam exercere
pecuniam, & fenore velle ditescere. Quod nos, non di-
cam in eos, qui sunt in clericali officio constituti, sed in
laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condole-
mus. Quod vindicari acrius in eos, qui fuerint confutati,
decernimus: ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

IV.

Illud etiam duximus præmonendum, ut sicut non suo,
ita nec alieno nomine, aliquis clericorum exercere fe-
nus attinet: indecens enim est, crimen suum commodis
alienis impendere. Fenus autem hoc solum aspicere &
exercere debemus, ut, quod hic misericorditer tribui-
mus, ab eo Domino, qui multiplicit & in perpetuum
mansura retribuet, recipere valeamus.

V.

Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis
fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tenta-
uerit, & prohibita fuerit ausus admittere, a suo se no-
uerit officio submouendum, nec eum communionis
nostræ futurum esse confortem, qui socius esse noluit
disciplinae. Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis
forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ
recordationis Innocentii, quam omnium præcessorum
nostrorum, quæ de ecclesiasticis * ordinibus, & Cano-
num ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem
custodire debere mandamus; ut si quis illa contempserit,
veniam sibi deinceps nouerit denegari. Data sexto Idus
Octobris, Maximo * vero & * Paterno viris clarissimis
consulibus.

* ordina-
tionibus

* iterum
* Paterno

t. q. 4.
Nec hoc
prætereun-
dum.

Distin. 46.
sicut non
suo.

Distin. 10.
Si Rom.
pont. §.
Quibus ad
hæc.

EPISTOLA II.

LEONIS PAPÆ I.

AD EPISCOPOS PER ITALIAM.

Quod plurimi Manichæorum vigilantia ipsius papæ
Leonis in vrbe Roma detecti sunt.

*Leo episcopus urbis Romæ, omnibus episcopis per Italianam con-
stitutis, in Domino salutem.*

Anno Chri-
sti 446. qui
fuit annus
pontificatus
S. Leonis 5.
scripta est
hac episto-
la.

IN confortium vos nostræ solicitudinis, dilectissimi fra-
tres, aduocamus, vt vigilancia pastorali, ne quid dia-
bolicæ fraudis astutia possit nocere commissis vobis gre-
gibus, diligentius consulatis; ne is, qui Domini misericor-
dia reuelante per nostram curam a nostris ouibus morbus
abigitur, ne cum vobis præmonitus, & adhuc quidaga-
tur ignaris, per vestras se dispergat ecclesias, & suarum
furtim cuniculos inueniat latebrarum, ne quod a nobis
in vrbe extinguitur, tenebrosis apud vos radicibus semi-
netur. Plurimos impietatis Manichææ sequaces & do-
ctores in vrbe inuestigatio nostra reperit, vigilancia di-
uulgauit, auctoritas & censura coercuit: quos potuimus
emendare, correxi mus, & vt damnarent Manichæum
cum prædicationibus & disciplinis suis publica in ecclesia
professione, & manus sua subscriptione compulimus, &
ita de voragine impietatis sua confessos, pœnitentiam
concedendo, leuaui mus. Aliquanti vero, qui ita se de-
merferant, vt nullum his auxiliantis posset remedium
subuenire, subdit legibus, secundum Christianorum prin-
cipum constituta, ne sanctum gregem sua contagione
polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio re-
legati. Et omnia, quæ tam in scripturis, quam in occultis
traditionibus suis habent profana vel turpia, vt nosset
populus quid refugeret aut vitaret, oculis Christianæ ple-
bis certa manifestatione probauimus, adeo vt ipse qui
eorum dicebatur episcopus, a nobis tentus, proderet
flagitiosa in suis mysteriis quæ teneret, sicut gestorum
vos series potest edocere. Ad instructionem enim ve-
stram etiam ista direximus: quibus lectis, omnia, quæ a
nobis deprehensa sunt, nosse poteritis. Et quia aliquantos

de

de his, quos, ne absoluarentur, arctior reatus inuoluerat, cognouimus aufugisse, hanc ad dilectionem vestram epistolam misimus per acolythum nostrum, ut effecta certior sanctitas vestra, solicitius agere dignetur & cautius, necubi Manichææ peruersitatis homines plebes vestras facultatem lœdendi, & huius sacrilegii possint inuenire doctores. Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi hos, qui sunt perditores & perditi, zelo fidei dominicæ persequamur, & a sanis mentibus, ne pestis hæc latius diuulgetur, seueritate qua possumus, abscondamus. Vnde hortor dilectionem vestram, obtestor & moneo, ut qua debetis & potestis solicitudine vigiletis ad inuestigandos eos, necubi occultandi se reperiant facultatem. ut enim habebit a Deo ingens remunerationis præmium qui diligentius, quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit executus: ita ante tribunal Domini de reatu negligentia se non poterit excusare, quicumque plebem suam, contra sacrilegæ persuasionis autores, noluerit custodire. Data tertio Kalendas Februarii, Theodosio xviii. & Albino viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA III.

LEONIS PAPÆ I.

*IANVA-
RIVM
AD *IVLIANVM EPISCOPVM
AQVILEIENSEM.

Quod omnis cuiuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens, hæreticæ communioni se miscuerit, & ad ecclesiam conuersus fuerit, in eo gradu, quo erat, sine promotione remaneat.

*Januario Leo episcopus urbis Romæ, *Iuliano Aquileiensi episcopo.

LECTIS fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ, quem olim noueramus, agnouimus, congratulantes tibi, quod ad custodiæ gregum Christi pastoralem curam vigilanter exequaris, ne lupi, qui sub specie ouium subintrarunt, bestiali sævitia simplices quosque dilacerent: & non solum ipsi nulla correptione proficiant, sed etiam ea quæ sunt sana corrumpant. Quod ne vipera possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus com-

Concil. Tom. 7.

H

Anno Chri.
sti 449. qui
fuit annus
pontifica-
tus S. Leo-
nis 8. scri-
pta est hæc
epistola.
Matth. 7.
1. q. 1. Si
quis hære-
ticæ.

monendam: insinuantes ad animæ periculum pertinere, si quisquam de his, quia nobis in hæreticorum atque schismaticorum sectam delapsus, & se vtcumque hæreticæ communionis contagione macularit, resipiscens, in communione catholica sine professione legitimæ satisfactio-
nis habeatur. Saluberrimum enim & spiritalis medicinæ vtilitate plenissimum est, vt siue presbyteri, siue diaconi, aut cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem, quam iampridem amiserant, rursum reuerti ambiunt, prius errores suos, & ipsos auctores errorum damnari a se sine ambiguitate fa-
teantur, vt sensibus prauis etiam peremptis, nulla spe-
randi supersit occasio, ne vllum membrum talium possit
societate violari, cum per omnia illis professio propria
cœperit obuiare. Circa quos etiam illam Canonū consti-
tutionem præcipimus custodiri, vt in magno habeant be-
neficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo in-
ueniuntur ordine, stabilitate perpetua maneant: si tamen
iterata tinctione non fuerint maculati. Non leuem apud
Deum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros promo-
uendos ordines iudicarit. Quod si cum grandi examina-
tione promotio conceditur inculpatis, multo magis non
debet licere suspectis. Proinde dilectio tua, cuius deuo-
tione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus no-
stris, & det operam, vt circumspete atque velociter im-
pleantur, quæ ad totius ecclesiæ incolumentem, & lau-
dabiliter digesta sunt, & salubriter ordinata. Non autem
dubitetur dilectio tua, nos si (quod non arbitramur) ne-
glecta fuerint quæ pro custodia Canonum, & pro fidei
integritate decernimus, vehementius commouendos:
quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referen-
dæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores: qui
multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam
dissimulant adhibere medicinam. Data pridie Kalendas
Iulii, Alypio & Ardabure viris clarissimis consulibus.

Distinct.
86. Inferiorum culpæ.

EPISTOLA IV.

LEONIS PAPÆ I.

AD VNIVERSOS EPISCOPOS PER SICILIAM
CONSTITVTOS.

- I. *Quod prohibeatur in die epiphania baptismum celebrari.*
- II. *Quod cuncta nobis per ordinem rerum, per incarnationem Domini nostri salutis sacramenta digesta sunt.*
- III. *Quod in baptismo mors proueniat intersectione peccati, & sepulturam triduanam imitetur trina demersio, & ab aquis eleuatio sit velut resurrectio de sepulcro.*
- IV. *Quod beatus apostolus Petrus in die Pentecostes virorum tria millia baptizauerit.*
- V. *Quod haec duo tempora, id est, Pascha & Pentecoste, a Romanis pontificibus ad baptizandum prefixa sunt.*
- VI. *Quod omni tempore hi qui necessitate mortis urgentur, id est, agritudinis, obsidionis, persecutionis, naufragij, debeant baptizari.*
- VII. *Vt de Sicilia terni semper annis singulis de episcopis, ad diem tertium Kalendarum Octobrium, Romam sociandi Synodo occurrant.*

*Leo episcopus uniuersis episcopis per Siciliam constitutis
in Domino salutem.*

DIVINIS præceptis & apostolicis monitis incitamus, ut pro omnium ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu: ac, si quid vsquam reprehensioni inueniatur obnoxium, celeri sollicitudine, aut ab ignorantia imperitia, aut a præsumptionis usurpatione reuocemus. Monente enim dominicæ vocis imperio, quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctiōnis imbuitur, vt Christi oves, qui Christum diligit, pascat, ipsius sedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præsumus, reuerentia cohortamur: vt periculum desidiæ, quantum possumus, declinemus, ne professio summi apostoli, qua se amatorem Domini esse testatus est, vana inueniatur in nobis: quia negligenter pascens toties commendatum dominicum gregem, conuincitur summum non amare pastorem.

Anno Christi 449, qui fuit annus pontificatus S. Leonis scripta est haec epistola.
25. q. 1. Diuinis præceptis.

I.

Cum ergo mihi de caritatis vestræ actibus fraterna
Concil. Tom. 7.

H ij

affectione sollicito, certis indiciis innotuerit, vos in eo, quod inter sacramenta ecclesiæ principale est, ab apostolicæ institutionis consuetudine discrepare, ita ut baptismi sacramentum numerosius in die epiphaniæ, quam paschali tempore celebretis; miror vos, vel præcessores vestros tam irrationabilem nouitatem usurpare potuisse, vt confuso temporis vtriusque mysterio, nullam esse differentiam crederetis inter diem, quo adoratus est Christus a magis, & diem quo resurrexit a mortuis. Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si vnde consecrationem honoris accepistis, inde legem totius obseruantia sumeretis: & beati Petri apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiastica magistra rationis. A cuius vos regulis recessisse, * minore posset æquanimitate tolerari, si aliqua commotionis nostræ increpatio non præcessisset. Nunc autem, quia non desperatur correctione, mansuetudo seruanda est. Et licet vix ferenda sit in sacerdotibus excusatio, quæ prætendat inscitiam, maluimus tamen & censuram necessariam temperare, & ratione vos apertissimæ veritatis instruere.

II.

Semper quidem in æterno consilio Dei mansit humani generis incommutabiliter præordinata reparatio: sed ordo rerum, per Iesum Christum Dominum nostrum temporaliter gerendarum, in incarnatione Verbi sumpfit exordium. Vnde aliud tempus est, quo, annuntiante angelo, beata Maria fecundandam se per Spiritum sanctum credidit, & concepit: aliud, quo salua integritate virginea, puer editus exultate gaudio cœlestium ministrorum pastoribus indicatur: aliud, quo infans circumciditur: aliud, quo hostia pro eo legalis offertur: aliud quo tres magi, claritate noui sideris incitati, in Bethlehem ab oriente perueniunt, & adoratum parvulum mystica munera oblatione venerantur. Nec iidem sunt dies, quibus impio Herodi, ordinata diuinitus in Ægyptum translatione subtractus, vel quibus ab Ægypto in Galilæam persecutore mortuo reuocatus est. Inter has autem dispensationum varietates, accedunt augmenta corporæ: *Crescit Dominus* (sicut euangelista testatur) *profectibus ætatis & gratiæ*. Per dies Paschæ in templum Ierusalem

Lnc. 2.

* minus
posset &
æquanimi-
tatem

cum parentibus venit , & cum abesset a societate reduntium , sedens cum senioribus , & inter admirantes magistros disputans inuenitur , rationemque remansionis suæ reddens . *Quid est (inquit) quod me quærebatis ?* Luc. 2.
Nesciebatis, quod in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?
 significans , eius se esse Filium , cuius esset & templum . Iam vero cum in annis maioribus apertius declarandus , baptismum præcursoris sui Ioannis expetiit , quid deitatis eius remansit ambiguum , quando baptizato Domino Iesu , Spiritus sanctus in columbae specie super eum Math. 3. descendit & mansit , audita de cælis Patris voce dicentis : *Tu es Filius meus dilectus, in te bene complacui. Quæ omnia* Luc. 3.
 nia ideo , quanta potuimus breuitate , perstrinximus : vt notum fit dilectioni vestrae vniuersos dies Christi innumeris consecratos fuisse virtutibus , & in cunctis eius actionibus sacramentorum mysteria coruscasse : sed aliter quoque signis denuntiari , aliter rebus impleri , nec quæcumque numerantur in operibus saluatoris , ad tempus pertinere baptismatis . Nam si etiam illa , quæ post beati Ioannis lauacrum , a Domino gesta cognouimus , sub indiscreto honore colamus , omnia tempora continuatis erunt deputanda festis , quia omnia sunt plena miraculis . Verum quia Spiritus sapientiae & intellectus ita apostolos , & totius ecclesiæ erudiuit magistros , vt in Christiana obseruantia nihil inordinatum , nihil pateretur esse confusum ; discernenda erant causæ solennitatum , & in omnibus institutis patrum , principumque nostrorum rationabilis seruanda discretio : quia non aliter unus grex , & unus pastor sumus , nisi quemadmodum Apostolus docet , *idipsum dicamus omnes : Simus autem perfecti in eodem* 1. Cor. 1.
sensu, & in eadem sententia.

III.

Quamuis ergo & illa quæ ad humilitatem , & illa quæ ad gloriam pertinent Christi , in vnam concurrant eamdemque personam , totumque quidquid in illo & virtutis diuinæ est , & infirmitatis humanæ , ad nostræ reparacionis tendat effectum , proprie tamen in morte crucifixi , & in resurrectione ex mortuis , potentia baptismatis nouam creaturam condit ex veteri : vt in renascentibus , & mors Christi operetur & vita , dicente beato apostolo

De conf.
distinct. 4.
Proprie in
morte.

H iii

Rom. 6.

Paulo: *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: & cetera quæ latius magister gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputauit: vt appareret ex huius doctrina spiritu regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diem esse & illud tempus electum, in quo per similitudinem, formamque mysterii, ea * quæ geruntur in membris, his quæ in ipso capite sunt gesta, congruere, dum in baptismatis regula, & mors interuenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur tridemersio, & ab aquis eleuatio, resurgentis ad instar est de sepulcro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ eum esse legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus Iesus Christus, posteaquam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarum præsules docebantur,*

Math. 28.

& formam & potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes ergo nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. De quo vtique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intellegi, regenerationis gratiam ex sua resurrectione coepisse. Additur sane huic obseruantæ etiam Pentecostes ex adventu Spiritus sancti consecrata solennitas, quæ de paschalibus festi pendet articulo. Et cum ad alios dies alia festa pertineant, hæc semper ad eum diem, qui resurrectione Domini est insignis, occurrit: porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, vt hi, quosa die Paschæ, aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut nauigationis difficultas interclusit inuitos, aut quibuslibet necessitatibus impeditos, desiderii sui effectum dono Spiritus sancti consequantur. Ipse enim vñigenitus Dei in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter se & Spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in natura, dicens: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum, Spiritum veri-

*quæ geruntur in membris, his quæ in ipso sunt capite gesta congruent,

Ioan. 14.

tatis. Et iterum: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mit-^{Ibidem.}
tet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggesteret uniuersa quæcumque dixi vobis.* Et iterum: *Cum venerit ille Spiritus ^{Ioan. 16.}*
veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Cum itaque ve-
ritas Christus sit, & spiritus veritatis, Spiritus sanctus, no-
menque Paracleti utriusque sit proprium; non dissimile est
festum, vbi unum est sacramentum.

IV.

Hoc autem nos, non ex nostra persuasione defendere,
sed ex apostolica auctoritate seruare, satis idoneo proba-
mus exemplo, sequentes B. apostolum Petrum, qui in
eo die, quo omnem credentium numerum promissus
Spiritus sancti repleuit aduentus, trium millium popu-
lum, sua prædicatione conuersum, lauacro baptismatis
consecravit. Quod sancta scriptura, quæ apostolorum
actus continet, fideli historia docet, dicens: *His auditis ^{aa. 1.}*
compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos
apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos,
*Pænitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque ve-
strum in nomine Iesu Christi in remedium peccatorum, & accipie-
tis donum Spiritus sancti. Vobis enim repromissio est, & filius ve-
stris, & omnibus qui longe sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster. Aliis etiam pluribus verbis testificatus, exhorta-
batur eos, dicens: Saluamini a generatione ista praua. Qui ergo*
recepérunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ
sunt in illa die animæ circiter tria millia.

V.

Vnde quia manifestissime patet baptizandis in eccle-
sia electis, hæc duo tempora (de quibus locuti sumus) es-
se legitima, dilectionem vestram monemus, vt nullos
alios dies huic obseruantia misceatis.

VI.

Quia etsi sunt alia quoque festa quibus multa in hono-
rem Dei reuerentia debeatur, principalis tamen, & maxi-
mi sacramenti custodienda nobis est mysticæ rationis ex-
ceptio, non interdicta licentia, qua in baptismo tribuen-
do quolibet tempore periclitantibus subuenitur. Ita enim
ad has duas festivitates connexas, atque sibimet cognatas,
incolumium, & in pacis securitate degentium, libera vo-
ta differimus, vt in mortis periculo, in obsidionis discri-

De consecr.
distinct. 4.
Proprie in
morte.

mine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore, hoc vere salutis singulare remedium cuiusquam denegemus. Si quis autem Epiphaniæ festiuitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum sancti Ioannis accesserit, sciat, illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eamdem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec querens remedium renascendi, sic voluit baptizari, quomodo voluit circumcidere, hostiamq; pro se emundationis offerri, ut qui factus erat ex muliere (sicut Apostolus ait) fieret & sub lege, quam non venerat soluere, sed adimplere, & impleendo finire, sicut beatus Apostolus prædicat, dicens: *Finiis autem legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens se docuit esse principium. Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redēptionis & aqua baptismatis. Sicut ergo vetus testamentum testificatio fuit noui, & lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est: sic diuersa sacrificia vnam hostiā præformauerunt, & multorum agnorum occisio illius immolatione finita est, de quo dicitur: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sic & Ioannes, non Christus, sed Christi prævius, non sponsus, sed sponsi amicus fuit adeo fidelis, & non sua querens, sed quæ Iesu Christi, ut se profitetur ad soluenda calceamenta pedum eius indignum, quoniam ipse quidem baptizaret in aqua in pœnitentiam, ille autem baptizaturus esset in Spiritu sancto & igni, qui dupli potestate & vitam redderet, & peccata consumaret. His itaque, fratres, tot tantisque existentibus documentis, quibus, omni ambiguitate submota, euidenter agnoscitis, in baptizandis electis, qui secundum apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & ieuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id est Pascha & Pentecosten esse seruan-

*De consacr.
distinct. 4.
Si qui ne
cessitatem.
Ibid. Si
quis autem
episcopus.
Et in Decr.
Iuo. lib. 1.*

Ioa. 1.

Galat. 4.

Matth. 5.

Rom. 10.

Iean. 19.

Iean. 1.

*In Decret.
Iuo. lib. 1.
De consecr.
distinct. 4.
Duo tem-
pora.*

seruanda, hoc vestrae indicimus caritati, ut ab apostolicis institutis nullo vteritus recedatis excessu. Quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

VII.

Quare illud primitus pro custodia concordissimæ vnitatis exigimus, ut quia saluberrime a sanctis patribus constitutum est binos in annis singulis episcoporum debere esse Conuentus, terni semper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam, fraterno Concilio sociandi, occurant, & indissimulanter a vobis hæc consuetudo seruetur. Quoniam, adiuuante gratia Dei, facilius poterit prouideri, ut in ecclesiis Christi nulla scanda-
la, nulli nascantur errores: cum coram beatissimo apostolo Petro semper in communione tractatum fuerit, vt omnia instituta Canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant. Hæc autem quæ vobis, inspirante Domino, insinuanda credidimus, per fratres & coepiscopos nostros * Bachillum atque Paschafimum, ad vestram volumus notitiam peruenire. Quibus referentibus cognoscamus, quam reuerenter a vobis apostolicæ sedis instituta seruentur. Data duodecimo Kalendas Nouembbris Alypio & Ardagure viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA V.
LEONIS PAPÆ I.
AD DORVM BENEVENTANVM EPISCOPVM.

Episcopum Beneuentanum reprehendit, quod post habitis senioribus iuniores ad presbyteratum assumpserit.

Dilectissimo fratri Doro, Leo episcopus.

IUDICIVM, quod de te sperabamus, dolemus esse fru-
stratum, quando ea te commisisse perspicimus, quæ omnem ecclesiasticæ sanctionis regulam culpabili nouitate fœdarent: cum plenissime noueris, quanta solicitude per omnes Domini ecclesias paternorum velimus Canonum præcepta seruari, & hanc maxime curam ad
Anno Christi 450, qui fuit annus pontificatus S. Leonis 9.

Concil. Tom. 7.

I

sacerdotes vniuersarum plebium pertinere , vt sanctarum constitutionum regulæ nullis corrumpantur excessibus. Vnde miramur te , quem auctoritatum apostolicæ sedis obseruantissimum esse conuenerat , tam negligenter , ac potius insolenter egisse , vt traditarum tibi legum non custos , sed transgressor existeres. Libello etenim Pauli presbyteri tui , qui in subditis habetur , cognovimus , apud te nouo ambitu , foedoque colluicio , presbyterii ordinem fuisse turbatum : ita vt vnius festina & immatura prouectio , quædam eorum deiectio facta sit , quos ætas commendabat , & nulla culpa minuebat. Quod si ambientis intentio , aut imperita fauentium studia id , quod nunquam habuit consuetudo , poscebant , vt incipiens emeritis , & nouellus præferretur antiquis ; tuæ fuerat industriae atque doctrinæ , vt iniuste petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes , ne quem in sacerdotali propere prouehebas honore , ad iniuriam eorum , qui bus sociabatur , inciperet : minorque se fieret , dum in illo non humilitatis virtus , sed elationis vitium roboraretur. Neque enim ignorabas dixisse Dominum , quod *qui se humiliat , exaltabitur : qui vero se exaltat humiliabitur.*

Luc. 18.

Matth. 20.

Eumdemque dixisse : *Quicumque vult inter vos maior fieri , sit uester minister. Et quicumque voluerit inter vos primus esse , erit uester seruus.* Vos autem quæritis de pusillo crescere , & de honore maiores esse. Vtrumque enim inordinatum , vtrumque præposterum est , & omnis laborum fructus aufertur , omnis meritorum mensura vacuatur , si tantum quis assequitur dignitatis , quantum adulationis obtinuit : vt cupiditas eminendi non solum superbientem minuat , sed etiam connuentem. Si vero (vt asseritur) primi secundique presbyteri , circa Epicarpium sibimet præponendum , tam huic assentatio fauit , vt illum cum sui dedecore poscerent honorari ; nec hoc quidem illis , proprio se iudicio deiicientibus , tribui debuit , quod volebant , cui tam miseræ voluntati te dignius fuerat obuiare , quam cedere. Deformis autem & ignava subiectio bene sibi consciis , & non irritam facientibus gratiam Dei , præjudicare non potuit , vt primatus suos quocumque commerito in alterutrum transferentes , subsequentium suorum minuerent dignitatem , & quem ultimum sibi

anteposuerant, ceteris præmineret. Prædicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet priuari etiam sacerdotio mererentur, tamen ut eis pro apostolicæ sedis pietate parcatur, vltimi inter omnes ecclesiæ presbyteros habeantur. Et ut iudicij sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt quem propria sententia fibimet prætulere, ceteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem vnicuique ordinationis suæ tempus adscripsit. Nec quisquam præster prædictos duos imminutæ dignitatis patiatur iniuriam, sed in eorum statum tantummodo hoc recurrat opprobrium, qui nouello, & immature ordinato, inferiores fieri elegere, ut illam euangelicam sententiam ad se sentiant pertinere, qua dicitur: *Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis: & quam mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Paulus vero presbyter ordinem suum, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat. Nec vltterius aliquid in cuiusquam præsumatur iniuriam, ita ut dilectio tua, quam non immerito tota facti huius pulsat inuidia, hoc saltem remedio curare se properet: ut sine dissimulatione hæc quæ decernimus, tradantur effectui, ne si iterato ad nos imploratio iusta configerit, necesse sit seuerius commoueri: cum his quæ male sunt facta correntis, malimus redintegrare disciplinam, quam augere vindictam. Executionem vero præceptionum nostrarum fratri & coepiscopo nostro Iulio commisissæ nos noueris: ut omnia illi, quemadmodum constituimus, roborentur. Data Idibus Martii, Posthumiano viro clarissimo consule.

*Matt. 7.
Marc. 4.*

EPISTOLA VI.

LEONIS PAPÆ I.

AD EVTYCHEN CONSTANTINOPOLITANVM

ABBATEM.

Commendat diligentiam Eutychetis, quod Nestorianam hæresim, quæ iterum pullulabat, renuntiauerit, quam se exterminaturum affirmat.

Dilectissimo filio Eutycheti presbytero, Leo episcopus.

Anno Christi 450. qui
fuit annus
pontifica-
tus S. Leo-
nis 9.

Ad notitiam nostram tuæ dilectionis epistola retulisti, quod Nestoriana hæresis quorumdam rursus studiis pullularet. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte pri-
ma, epistola prima.*

EPISTOLA VII.

LEONIS PAPÆ I.

AD THEODOSIVM SEMPER AVGVSTVM.

Respondet Theodosio, sibi non notum, cur Flauianus Eutychen communione priuauerit, cum intellexerit rem omnem se terminaturum.

Leo episcopus, Theodosio semper Augusto.

Anno Christi 451. qui
fuit annus
pontifica-
tus S. Leo-
nis 10. fuit
scripta hæ-
c epistola, si-
militer &
duæ seque-
tes.

QUANTVM præsidii Dominus ecclesiæ suæ in fide ve-
stræ clementiæ præpararit, his etiam literis, quas ad
me misisti, ostenditur. *Vide reliquum in Concilio Calchedo-
nensti, parte 1. epistola 3.*

EPISTOLA VIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD FLAVIANVM CONSTANTINOPOLITANVM

EPISCOPVM.

Quærit cur Eutyches a communione ecclesiæ fuerit
separatus.

Dilectissimo fratri Flauiano episcopo, Leo episcopus.

CVM Christianissimus & clementissimus imperator.
Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. epistola 2.

EPISTOLA
FLAVIANI EPISCOPI
 CONSTANTINOPOLITANI
AD SANCTISSIMUM LEONEM
 PAPAM VRBIS ROMÆ.

*Domino beatissimo, & Deo amabili patri Leoni,
 Flauianus in Domino salutem.*

NVLLA res diaboli venena compescit, nec continet
 eius mortiferas sagittas. *Vide reliquum in Concilio Cal-*
chedonensi, parte 1. epistola 6.

EPISTOLA ALIA
FLAVIANI ARCHIEPISCOPI
 CONSTANTINOPOLITANI
AD SANCTISSIMUM LEONEM
 PAPAM VRBIS ROMÆ.

Eutychetis hæreses recenset: illum a se in Concilio Con-
 stantinopolitano esse damnum, & ad sedem aposto-
 licam nequaquam appellasse. Sententiae in eum latæ
 confirmationem petit.

*Sanctissimo & beatissimo patri, & consacerdoti Leoni,
 Flauianus in Domino salutem.*

PIE TATE & recta prædicatione. *Vide reliquum in Con-*
cilio Calchedonensi, parte 1. epistola 4.

EPISTOLA IX.
LEONIS PAPÆ I.
 AD THEODOSIVM SEMPER AVGVSTVM.

Scribit imperatori vt Concilium intra Italiam cogat.

Leo urbis Romæ episcopus, Theodosio semper Augusto.

PRO integritate fidei catholicæ Christianissimum prin-
 cipem conuenit esse sollicitum, & hoc indefessis pre-
 cibus diuinam misericordiam posco, vt cordi vestro, id

quod est veritatis, inspiret, neque falli vos in aliquo humanarum calliditatum æmulatione patiatur. A me autem, atque ab omnibus catholicis sacerdotibus, quæ euangelicæ fidei pietas defendat, satis plene ac lucide literis meis, quas clementiam vestram iamdudum per famulum vestrum Epiphanium tribunum, qui pro hac causa missus est, arbitror vos accepisse. Ratum est nec ambigi potest, hoc nos purissime credere, hoc constanter asserre, quod etiam venerandi patres, quōdam apud Nicæam congregati, secundum fidem symboli credendum & confitendum sacratissima auctoritate sanxerunt. Nos enim, venerabilis imperator, sicut Nestorii dogma peruersum merito anathematizauimus, ita iuste etiam horū impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant a Domino Iesu Christo suscep tam esse, damnamus. Vnde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis episcopale Concilium, cito (auxiliante Deo) poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius ecclesiæ sunt commota, refecari: vt per vniuersum regnum vestrum catholicæ fidei integritate seruata, & pacem Christianam manere, & vestram apud Deum crescere gloriam gaudeamus. Data octauo Kalendas Iunias, Astero & Protogene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA X.

LEONIS PAPÆ I.

AD FLAVIANVM CONSTANTINOPOLITANVM

EPISCOPVM.

Contra Eutychetis perfidiam & hæresim.

Leo episcopus, dilectissimo fratri Flaviano Constantinopolitano episcopo.

LECTIONIS dilectionis tuæ literis. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 2. actione 2.*

EPISTOLA XI.

LEONIS PAPÆ I.

AD IVLIANVM EPISCOPVM COENSEM.

Contra Eutychenæ impietatis errorem.

Leo urbis Romæ episcopus dilectissimo fratri Juliano episcopo.

LIET per nos, quos ab urbe pro fidei causa direximus, plenissimas ad fratrem Flauianum literas miserimus contra nimiae impietatis errorem. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi parte i. epistola 8.*

EPISTOLA XII.

LEONIS PAPÆ I.

AD THEODOSIVM AVGVSTVM.

De legatis, quos vice sua destinavit ad Synodum Ephesinam, pro erroribus Eutychetis collectam.

Cæsari Theodosio religiosissimo & piissimo Augusto, Leo papa ecclesiæ catholicæ urbis Romæ.

QVANTVM rebus humanis consulere prouidentia diuina dignetur. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte i. epistola 10.*

EPISTOLA XIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Eutychetis hæreses refellit, & Pulcheriam hortatur ad catholicæ fidei defensionem, & sibi non licere Ephesino Concilio interesse scribit.

Leo catholicæ Romanæ ecclesiæ episcopus, piissimæ Pulcheriæ Augustæ.

QVANTVM præsidii Dominus ecclesiæ suæ in vestra clementia præpararit. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte i. epistola 12.*

LEONIS PAPÆ I.

EPISTOLA XIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD FAVSTVM, MARCIANVM, ET RELIQVOS
ARCHIMANDRITAS CONSTANTINOPOLITANOS.

Certiores facit archimandritas de legatis a se missis,
& Eutychetis errores redarguit.

*Dilectissimis filiis Fausto, Marciano, & reliquis archimandritis,
Leo episcopus.*

CVM propter causam fidei, quam Eutyches perturbare tentauit. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi,
parte 1. epistola 9.*

EPISTOLA XV.

LEONIS PAPÆ I.

AD EPHESINAM SYNODVM SECUNDAM.

Prouocat congregatos episcopos Eutychetis
blasphemias condemnare.

Leo episcopus sanctæ Synodo quæ apud Ephesum conuenit.

RE LIGIOSA clementissimi principis fides sciens ad
suam gloriam maxime pertinere. *Vide reliquum in Con-
cilio Calchedonensi, parte 1. epistola 13.*

EPISTOLA XVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD FLAVIANVM CONSTANTINOPOLITANVM

E P I S C O P V M.

Eius literas accepisse, & legatos destinasse significat.

Flaviano carissimo fratri, Leo episcopus Romæ.

LITERAS tuæ dilectionis accepi, cum gestis quæ apud
vos super fidei quæstione confecta sunt. *Vide reliquum
in Concilio Calchedonensi, parte 1. epistola 16.*

EPI-

EPISTOLA XVII.
LEONIS PAPÆ I.
AD THEODOSIVM AVGVSTVM.

Scribit Synodo sibi interesse non licere: huic autem muneri legatos a se missos plene satisfacturos.

Leo episcopus Theodosio semper Augusto.

ACCEPTIS clementiæ vestræ literis. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. epist. 17.*

EPISTOLA XVIII.
LEONIS PAPÆ I.
AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Leo episcopus, Pulcheria Augustæ.

QUANTVM sibi fiduciæ de fide vestræ clementiæ ecclæsia Dei debeat polliceri. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. epist. II.*

Hæc eadē
fere haben-
tur, sed fu-
sius, supra
epist. 13.

EPISTOLA XIX.
LEONIS PAPÆ I.
AD IVLIANVM EPISCOPVM.

Iuliani fidem commendat, & per legatos Flauiano scripsisse ait quid de catholica fide tenendum sit.

Leo episcopus, Iuliano episcopo, carissimo fratri.

LITERÆ dilectionis tuæ, quæ mihi nuper sunt redditæ, quam spirituali catholicae fidei vigeas amore, demonstrant: & multum gaudere me faciunt, quod in eadem sententia pia corda concurrunt, ut secundum doctrinam Spiritus sancti impleatur in nobis quod Apostolus ait: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia:* cuius unitatis nimium se Eutyches facit extraneum, qui in sua peruersitate veterascit, nec adhuc, quibus vinculis a Domino sit obligatus, intelligit. Et quamquam sacerdo-

Concil. Tom. 7.

K

tem Domini reperiendum putat , qui eius imperitiæ a-
mentiæque consentiat , diu apud nos incertum fuit , quid
in ipso catholicis displiceret . Et cum fratri nostri Flauia-
ni nullas literas sumeremus , ipse autem scriptis suis Ne-
storianam hæresim repullulare quereretur ; non plene
potuimus discere , vnde procederet , vel quo tenderet
tam dolosa causatio . Sed postquam gestorum ad nos epi-
scopium documenta perlata sunt , omnia illa , quæ fal-
laciūm querelarum velamine tegebantur , quam essent
detestanda , patuerunt . Et quia clementissimus impera-
tor , pro benevolentia ac pietate animi sui , de statu huius ,
qui ante honorabilis videbatur , diligentius voluit iudi-
cari , atque ob hoc indicendum credidit episcopale Con-
cilium , per fratres nostros Iulianum episcopum , & Re-
natum presbyterum , sed & filium meum diaconem Hi-
larium , & quos ex latere meo vice mea misi , ad fratrem
nostrum Flavianum sufficientia pro qualitate causæ scri-
pta direxi , quibus & vestra dilectio , & ecclesia vniuersa
cognoscat , de antiqua & singulari fide , quam indoctus
impugnator incessit , quid diuinitus traditum teneamus ,
& quid incommutabiliter prædicemus . Quia tamen non
debemus partes miserationis omittere , congrua modera-
tione credidimus fanciendum , vt si condemnatus presby-
ter plena satisfactione corrigitur , sententia , qua obstrictus
est , relaxetur . Si vero in eodem insipientiæ suæ luto iacere
delegerit , statuta permaneant , & cum eis habeat sortem ,
quorum est secutus errorem . Data Idibus Iunii , Asterio
& Protogene viris clarissimis consulibus .

EPISTOLA XX.

LEONIS PAPÆ I.

AD FLAVIANVM EPISCOVVM.

Catholicum incarnationis dogma contra Eutychen de-
fendendum : ipsi , si resipuerit , indulgendum monet .

Flauiano dilectissimo fratri , Leo episcopus .

PROFECTIS iam nostris , quos ad vos in fidei causa
direximus , per filium nostrum Basiliūm diaconem
scripta tuæ dilectionis accepimus , quibus merito pa-

^{*indidi-}
^{flis,} rum de negotio communis solicitudinibus * indidisses , quoniam & gesta ante delata , de omnibus nos suffi- ciente instruxerant , & ad familiarem interrogationem idoneus erat sermo prædicti , per quem nunc alloquia reddentes , dilectionem tuam per Deigratiā , in qua fi- dimus , cohortamur , vtentes verbis apostolicis , atque di- centes : *In nullo terreamini ab aduersariis , quæ est illis causa perditionis , vobis autem salutis.* Quid enim tam exitiabile , quam negata veritate incarnationis Christi , omnem spem salutis humanæ velle dissoluere ? & Apostolo con- traire dicenti manifeste : *Magnum est pietatis sacramentum , quod manifestatum est in carne ?* Quid tam gloriosum , quam contra inimicos nativitatis & crucis Christi pro fide eu- angelica dimicare ? De cuius purissimo lumine , inui- etaque virtute , datis iam ad tuam dilectionem literis , quid in nostro esset corde patefecimus : ne de illis , quæ secundum doctrinam catholicam didicimus & doce- mus , aliquid inter nos videri possit ambiguum . Quia vero tam valida , & tam clara sunt testimonia veritatis , vt nimis cæcus nimisque obduratus habendus sit , qui ad coruscationem lucis atque rationis non confessim se a te- nebris falsitatis excusserit : ad curandam imperitorum in- saniam , etiam patientiæ volumus adhibere medicinam , vt paternas increpationes hi , qui in sene^ctute carnis suæ mente sunt paruuli , discant obedire maioribus . Ac si de- posita imperitiæ suæ vanitate resipiscunt , omniq[ue] erro- re damnato fidem veram singularemque fuscipiunt , mi- sericordia eisdem episcopal[is] benevolentiæ non negetur , mansuro iudicio , quod præcessit , si impietas merito condemnata , in sua prauitate perstiterit . Data decimo Kalendas Augosti , Asterio & Protogene viris clarissi- mis consulibus .

EPISTOLA XXI.

LEONIS PAPÆ I.

AD FLAVIANVM CONSTANTINOPOLITANVM

EPISCOPVM.

Miratur quod suis literis non responderit, petitque
vt de rébus gestis se faciat certiorem.

Leo episcopus, Flauiano episcopo.

AVGET solicitudinem nostram taciturnitas tua, qui iam diu nulla dilectionis tuæ scripta suscepimus, cum nos curarum tuarum participes, pro fidei defensione solliciti, frequenter per occasiones idoneas ad dilectionem tuam literas miserimus, vt adhortationum nostrarum consolationibus te iuuaremus, vt aduersariorum stimulis pro fidei defensione non cederes, cum laboris tui participes nos probares. Olim ad fraternitatem tuam nostros credimus peruenisse, per quos, plenius scriptis, mandatisque nostris instructum te esse retines, & Basiliū ad te (vt volueras) ipsi remisimus. Nunc, ne aliqua prætermissum occasione te crederes, per filium nostrum honorabilem & amabilem nobis virum Esitium, hanc paginam dedimus, vt tota celeritate ad scripta nostra respondeas, nosque subinde de tuis actibus, nostrorumque, & de totius causæ absolutione facias certiores: vt sollicitudinem, quam nunc pro fidei defensione gerimus, prosprioribus nuntiis molliamus. Data tertio Idus Augusti, Afterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA XXII.

LEONIS PAPÆ I.

AD CONSTANTINOPOLITANOS.

Vt profana iudicantur in hac epistola Concilii Ephesi-
ni secundi acta, & impenditur consolatio Constanti-
nopolitanis pro destituzione pontificis sui Flauiani.

*Leo episcopus, & sancta Synodus, quæ in urbe conuenit, clero,
honoratis, & plebi consistenti apud Constantinopolim,
dilectissimis filiis, in Domino salutem.*

IN notitiam nostram, quæ Ephesi contra opinionem
omnium sunt acta, perlatis. *Vide reliquum in Concilio
Calchedonensi, parte 1. epistola 22.*

EPISTOLA XXIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD CLERVM ET PLEBEM
CONSTANTINOPOLITANÆ VRBIS.

Commendat eos quod Ephesino Conciliabulo reluctati
sint. Catholicam fidem de incarnatione exponit, & vt
agant cum imperatore, de conuocando Concilio,
monet.

*Leo episcopus, & sancta Synodus, quæ in urbe Roma conuenit,
clero, honoratis, & plebi consistenti apud Constantinopolim.*

LICET de his, quæ in Concilio sacerdotum apud E-
phesum gesta memorantur, multus nos mœror af-
ficiat. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. episto-
la 23.*

LEONIS PAPÆ I.

EPISTOLA XXIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD THEODOSIVM AVGUSTVM.

Rogat illum, speciale Concilium in Italia fieri, & in nullo alio loco, eo quod contraria Canonibus facta sit Synodus Ephesina, & in ea acta iudicantur illegitima, nec rite facta.

Gloriosissimo & clementissimo Theodosio Augusto, Leo episcopus.

Hæc epistola fragmentum quoddam esse videtur proxime sequentis epistola.

OLIM & ab initio in Conciliis celebratis tantam nos percepimus a beatissimo Petro apostolorum principi pe fiduciam. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. epist. 20.*

EPISTOLA XXV.

LEONIS PAPÆ I.

AD THEODOSIVM AVGUSTVM.

De sancta Synodo Ephesina, in qua Eutychetis heresis quorumdam episcoporum prauo intellectu adiuta est: vnde hortatur eumdem Augustum, ut præscæ fidei constitutio ab eis non violetur, sed Dei sacerdotes totius orbis adunentur.

Leo episcopus, & sancta Synodus, quæ in urbe Roma conuenit, Theodosio semper Augusto.

LITERIS clementiæ vestræ. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. epistola 19.*

EPISTOLA XXVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD PVLCHERIAM AVGUSTAM.

Contra eamdem secundam Synodum Ephesinam, ut eius errores in alia Synodo retractentur.

Leo episcopus, & sancta Synodus, quæ in urbe Roma conuenit, Pulcheriæ Augustæ.

Si epistolæ, quæ pro fidei causa per nostros clericos directæ sunt. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 1. epistola 21.*

EPISTOLA XXVII.

LEONIS PAPÆ I.

AD FLAVIANVM CONSTANTINOPOLITANVM

EPISCOPVM.

Dolet Flauiani incommoda, & pro communi fidelium
causa nihil ait a se prætermitti.

Flauiano carissimo fratri, Leo episcopus.

QUÆ & quanta dilectio tua pro catholicæ fidei defen-
sione patiatur. *Videreliquum in Concilio Calchedonensi,*
parte prima, epistola 8.

EPISTOLA XXVIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD FAVSTVM ET CETEROS ARCHIMANDRITAS
CONSTANTINOPOLITANOS.

Adhortatur eos ad constantiam in omni bono, maxime
fidei & caritatis, & detestatur acta secundi
Concilii Ephesini.

*Leo episcopus & sancta Synodus, quæ in urbe Roma conuenit,
Fausto, Martino, Petro, & Magno, & Heliæ presbyteris, &
archimandritis Constantinopolitanis, dilectissimis filiis in Do-
mino salutem.*

QVAMVIS ea quæ ad Constantinopolitanam ecclesiam
scripsimus, sollicitudinem deuotionis vestræ latere
non possunt, tamen etiam specialibus dilectionem vestrā
literis cohortandam esse credidimus; vt memores sanctæ
professionis vestræ, quæ proprie in fide & caritate cōsistit,
omnia scandala, quæ contra pacem ecclesiæ orta sunt, a
vestris cordibus repellatis, beati Apostoli sententiam pia
mente retinentes: *Si quis vobis euangelizauerit præterid quod accepistis, anathema sit, & custodientes vnitatem cum fratre* Galat. 1.
nostro Flauiano episcopo, quem ad tempus Dominus
permisit impiorum factione tentari, vt probatum sibi sa-
cerdotem suum perseverantiæ merito faceret clariorem.
Hæ autem perturbationes, necesse est, vt auxiliante Dei
gratia, celeriter destruantur, & omne, quod reprobum
est, ab ecclesiæ puritate, quæ nec maculam nec rugam Ephes. 5.

recipit, respuatur, maxime cum ab insana imperitia in hoc usque proruptum sit, ut contra sacramentum salutis humanæ, incarnationis Domini nostri Iesu Christi veritas denegetur: atque antiquæ fidei prædicator atque defensor, quia non acquieuit blasphemiiis, quas olim sancti patres nostri in multis hereticis damnauere, subiiciatur iniuriis: in quo utique omnium Domini sacerdotum reverentia cæditur, & vniuersa corporis Christi membra pulsantur: sed quia gloriosum nobis est, quidquid nos pati Deus voluerit, & pro veritate tolerare, in consortium vos patientiæ paternis exhortationibus aduocamus, ut per dilectionem vestram omnibus Deo seruientibus, quæ scripsimus, innotescant, & inimicis euangelii resistentes, nec pastoris vestri dilectionem nec unitatem catholicæ fidei deseratis. Quoniam ea, quæ in Epheso nuper contra iustitiam, vel Canonum disciplinam, per unius hominis^{* poten-} im-pudentiam gesta sunt, nulla catholicæ fidei ratio rata esse permittit. Data octauo Idus Octobris, Astero & Pro-togene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA XXIX.

LEONIS PAPÆ I.

AD ANASTASIVM EPISCOPVM

THESSALONICENSEM.

Gratulatur Anastasio, quod ab Ephesina Synodo, dum Flauiano episcopo vis illata fuit, abfuerit: in unitate fidei eum confirmat, & ad eam propugnandam hortatur.

*Leo episcopus urbis Romæ, dilectissimo fratri
Anastasio episcopo.*

QVANTVM relatione Hilarii diaconi nostri cognouimus, magnum facinus Alexandrino episcopo auctore vel executore commissum est: ut dum in fratrem nostrum Flauianum veteres æmulationes & odia priuata defœuiunt, nec innocetiae probatissimi sacerdotis, nec Christianæ fidei parceretur. Vnde multum dilectioni tuæ congratulamur, quod te, ad illam Synodus ire cupientem, opportunis obstaculis manus diuina^{* obtinuit: ne abstenueris} dubio a tanto scelere, indignis iniuriis subiactis,

ceres, & furori impio, militibus (quantum didicimus) armisque suffulto, contraire non posses. Quia ergo prorupit in apertum perfidia quæ latebat, & in nefandissimam hæresim vnius imperitissimi senis asseclæ transfierunt, tempus probationis nostræ debemus agnoscere, & contra impetus aduersantium, munitionibus caelestibus freti, incommutabilis animi constantiam præparare. Scimus, frater carissime, quia sacramento magnæ pietatis suæ aderit diuina protectio. Si quid igitur fraternitati tuæ de impiis constitutionibus fuerit ingestum, protestamur pariter ac monemus, ne vel in damnationem fratris insontis, vel in receptione nefarii dogmatis consensum tui cordis immisceras. Maior est enim, qui in nobis est, quam qui aduersus nos. Annitere potius, quantum te ipse naturæ nostræ susceptor & glorificator adiuuerit, ut omnium fratrum nostrorum corda confirmes. Nobis enim ab euangelio generationis, & mortis, ac resurrectionis Domini nostri Iesu Christi nullatenus recendentibus, definitissimum est, in nostræ communionis numero non futuros eos qui co-nantur antiqua catholicæ fidei fundamenta conuellere. Data tertio Idus Octobris, Asterio & Protogene viris clariſſimis consulibus.

EPISTOLA XXX.

LEONIS PAPÆ I.

AD IVLIANVM EPISCOPVM.

Ex iis quæ in Ephesina Synodo gesta fuerunt, summo dolore ait se affectum: rectam fidem esse retinendam, & a latore, quæ disposuerit, cognitum.

*Leo Romanae ecclesiæ episcopus, Iuliano fratri & coepiscopo
salutem.*

COGNITIS quæ apud Ephesum vnius hominis præsumptione sunt gesta, magno quidem dolore affecti sumus de his quæ impie furioseque commissa sunt: sed ad Dominum nostrū animos dirigentes, multam fiduciam ab ipsa, quam sequimur, veritate concipimus, non omittentes omnia agere, quæ auxiliāte Dei gratia credimus profu-

Concil. Tom. 7.

L

tura. Tenendum ergo nobis est, quod tenemus, & sequiente vnius turbinis procella, serenissima fidei est amplectenda tranquillitas: donec radios suos veritas per uniuersa diffundat, & caliginem infidelitatis consumat. Quæ autem disposita sunt, per latoris sermonem agnosces. Data tertio Idus Octobris, Astero & Protogene viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA XXXI.

LEONIS PAPÆ I.
AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Lætatur literis Pulcheriæ, quantum ipsa ab hæresibus abhorreat, cognouisse, & ad fidem defendam hortatur.

Leo episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

Anno Christi 452. qui
fuit annus
pontifica-
tus S. Leo-
nis II. fuit
scripta hæc
epistola, si-
militer &
s. sequen-
tes.

Matth. 28.

GAUDERE me plurimum, & exultare in Domino, pie-
tatis tuæ scripta fecerunt: quibus euidenter ostendi-
tur, quantū catholicam diligas fidem, & quantum hæreti-
cum detesteris errorem. Hæresis quippe est nimis impia,
& euangelio veritatis inimica, quæ non portionem ali-
quam lædere, sed ipsa Christianæ religionis conatur fun-
damenta conuellere: negans sempiterni Patris filium sem-
piternum de utero beatæ Virginis matris veram carnem
nostræ sumpsisse naturæ, & eos damnatione percellens,
qui ab euangelica & apostolica fide nullo deduci errore
potuerunt, illudque frustra prætendens, quod Nicæna
Synodi fidem teneat, cuius eum constat esse alienum, glo-
riosissima Augusta. Vnde quia non deserit ecclesiā suam
diuina protecōio, dicente Domino: *Ecce ego vobis sum
omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* eodemque
opere & tempore spiritus Dei & clementiæ vestræ solici-
tudinem, & curam nostri cordis accedit, vt de remediis
procurandis eadem utrique cuperemus; & quæ prius po-
posci, nunc quoque instantius peto, maiore utens fiducia
deprecandi, posteaquam præsidium venerandæ exhorta-
tionis accepi, sperans ad futuram misericordiam Dei, vt
cooperante clementiæ vestra, pestiferi erroris possit mor-

bus auferri: ut quidquid, ipso inspirante atque auxiliante, potuerit salubriter fieri, cum vestræ fidei laude peragatur: quoniam res humanæ aliter tutæ esse non possunt, 23. quæst. 3.
Res autem omnes. nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat auctoritas. Data decimosexto Kalendas Aprilis, Valentiniano Augusto septies & Auieno viris clarissimis consulibus, æra 488.

EPISTOLA XXXII.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM ET FAVSTVM PRESBYTEROS.

De damnatione secundi Ephesini Concilii.

Leo episcopus Marciano Faustoque presbyteris.

BONORVM operum, & spiritualium studiorum Deum auctorem esse, non dubium est: qui quorum incitat mentes, adiuuat actiones. Quod nobis præsenti experientia euidenter apparuit. Siquidem inter discretarum spacia longinqua regionum, vnum sumpserunt corda nostra consilium, vt quod a nobis desiderabatis, eo vobis tempore, quo epistolæ vestræ mittebantur, occurrerit, si tamen dilectioni vestræ tradi scripta nostra potuere, quæ non solum apostolicæ sedis auctoritate, sed etiam sanctæ Synodi, quæ ad nos frequens conuenerat, vnanimitate directa sunt, vt in his, quantam curam totius ecclesiæ habeamus, appareat; hortando scilicet omnium fidelium mentes, & clementissimorum principum præsidia ad defensionem fidei postulando, quorum pios & catholicos animos non diffidimus opem atque auctoritatem suam iustis petitionibus præstituros; quo citius, auxiliante Domino, pernicioſa hæresis, & dudum sanctorum patrum auctoritate damnata, quæ & nuper Ephesi male adiuta est, auferatur. Interim vero det operam (quantum fieri potest) vestræ dilectio, vt omnibus ecclesiæ filiis innotescat quod contra impium sensum, secundum doctrinam euangelicam & apostolicam, prædicamus. Quia licet plene, quæ semper fuisset atq; esset catholicorum sententia, scripsierimus, tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes, non parum exhortationis addidimus. Memor

Concil. Tom. 7.

L ij

enim sum, me sub illius nomine ecclesiæ præsidere, cuius a Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes quidem hæreses destruit, sed maxime impietatem præsentis erroris expugnat: & intelligo mihi aliud non licere, quam vt omnes conatus meos ei causæ, in qua vniuersalis ecclesiæ salus infestatur, impendam. Ne autem aliqua negligentia occasione scripta nostra ad vos non potuerint peruenire, exemplaria eorumdem nuncmittenda credidimus, vt nullo modo fidei, quam defendimus, prædicatio vestræ notitiæ subtrahatur. Data decimo sexto Kalendas Aprilis, Valentiniano Augusto septies & Auieno viris clarissimis consulibus.

PISTOLA XXXIII.
LEONIS PAPÆ I.
AD THEODOSIVM AVGVSTVM.

Vt id, quod de incarnatione filii Dei ab Anatolio Constantinopolitano episcopo prædicatur, agnoscat, & vniuersale Concilium in Italia fiat.

Leo episcopus Theodosio semper Augusto.

OMNIBVS quidem vestræ pietatis epistolis. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte i. epistola 32.*

PISTOLA XXXIV.
LEONIS PAPÆ I.

Missos a se legatos commendat.

*Leo episcopus, Fausto, Marciano, Petro, Manueli, Iob, Antiocho, Vianantiaco, Abrahamo, Theodoro, Pientio, Eusebio, Helpidio, Paulo, Asterio & * Charaso presbyteris & archimandritis, & Iacobo diacono & archimandritæ.* *Caro

CAVSA fidei, in qua salus Christiana consistit, multa me solicitudine laborare compellit, metuentem, ne prauitas, quæ in suis fuerat amputāda principiis, processu temporis & perniciosior fiat & latior. Nam cum clemensissimus imperator talia ad nos scripta direxerit, quibus sollicitudinem suam pro pace vniuersalis ecclesiæ demon-

straret, ipse Constantinopolitanus episcopus, & hi qui eumdem consecraranter, præter id quod ad ordinationem noui antistitis pertinebat, nihil nobis de compressis vel abdicatis erroribus indicarunt, quasi in illa ecclesia nullum scandalum, nulla extitisset offensio, aut non hinc præcipue fuerit ordinati meritum demonstrandum, si aliena a se, quæ catholicorum sensibus sunt aduersa, docuisset. Ne ergo (quod inter longinquas regiones accidere solet) in nimias dilationes tenderent veritatis examina, fratres & coepiscopos nostros Abundium & Asterium, sed & Basiliū & Senatorem presbyteros, probatissimos viros, ad piissimum principem cum sufficienti paternarum auctoritatum instructione direximus. Quos in omnibus, fratres carissimi, diligentia ac solicitudine vestra cupimus adiuuari, vt impietas, quæ cæcis ausibus in exitialia abrupta processit, simplices quoque decipiendi vterius non habeat potestatem, cum aptiore medicina etiam illis cupiamus per correctionis remedia subueniri, qui aut impunitia sunt lapsi, aut errore traducti. Et ideo vos, qui iustificamini per fidem, qui catholicam diligitis veritatem, & de singulari sacramento salutis humanæ per Spiritum sanctum estis edocti, collaborate nobiscum, & quanta potestis deuotione id agite, vt falsitate destructa, & fidei soliditate defensa, secura per totum mundum Dei pace portiamur. Data decimo sexto Kalendas Augosti, Valentiano Augusto septies & Auieno viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA XXXV.

LEONIS PAPÆ I.

AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Pro his quæ superius Theodosium Augustum postulauit.

Leo episcopus Pulcheriae Augustæ.

GAUDEO fidei clementiæ vestræ, quod religiosum studium dignanter impenditis, vt pax ecclesiastica renouetur, quæ quorundam dissensionibus videbatur esse turbata. Debetur enim hoc vestræ specialiter gloriæ, vt ablatis omnibus scandalis, quæ contra catholicam

fidem inimicus excitauerat, vna eademque sit per totum mundum confessio veritatis: quæ facilius certiusque reparabitur, si prauorum sensuum nulla semina, nulla vestigia relinquuntur. Quod tamen mearum partium est, præterire non debo, vt scilicet, quid de incarnatione filii Dei a Constantinopolitano episcopo teneatur, agnoscam, præsertim cum in ordinatione ipsius plura præcesserint, taliaque ad nos debuerit scripta dirigere, quæ illum a contagione huius, qui nuper emersit, erroris alienum euidenter ostenderent. Optans itaque securam cum eo habere concordiam, gratiamque illi fraternæ caritatis impendere, scribere ei interim distuli; non dilectionem negans, sed manifestationem catholicæ veritatis expectans. Simplex enim est absolutumque, quod posco, vt remoto longarum disputationum labore, sanctæ memorię Cyrilli Alexandrini episcopi epistolæ, quam ipse ad Nestorium miserat, acquiescat, in qua & errorem Nestorii arguit, & fidem Nicænæ definitionis exposuit, & epistolæ meæ, quæ ad sanctæ recordationis Flauianum episcopum est directa, consentiat. Quibus vigilanter inspectis, Constantinopolitanus antistes repudiandum sibi, quod ausus est contra puram & singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter agnoscat, quia & mea, & sanctorum patrum de incarnatione Domini concors per omnia & vna confessio est. Quam si quis existimauerit non sequendam, ipse se a compage catholicæ unitatis absindet: cum tamen nos, vt in integrum omnia reuocentur, optemus. Ad effectum vero salubrium dispositiōnum velocius obtinendum, fratres & coepiscopos meos, Abundium & Asterium, sed & Basilium & Senatorem presbyteros, probatissimos viros misi, qui clementiæ vestræ formam fidei, quam secundum doctrinam venerabilium patrum prædicamus, offerrent, & remotis circumlocutionibus, quibus obscurari veritas solet, quid de incarnatione filii Dei a totius orbis probatis sacerdotibus defensum fuisset, ostenderent. Quos post diuinam gratiam, sancto vestræ pietatis auxilio dignum est adiuuari, ne in totius ecclesiæ perturbationem imprudens procedat contentio; cum correctione adhibita, omnes oporteat in vnius confessionis redire concordiam. A qua si for-

sitan ab aliquibus discrepatur, vniuersale Concilium sacerdotum haberi intra Italianam, clementia vestra annuente, iubeatur: quo remota arte fallendi, tandem pateat, quid altiore tractatu aut coerceri debeat aut sanari. Data tertiodecimo Kalendas Augusti, Valentiniano Augusto septies & Auieno viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA XXXVI.
LEONIS PAPÆ I.

AD *MARTINVM PRESBYTERVM.

*MAR-
CIANVM

Gratulatur ei, quod a recto catholicae fidei sensu non deflexerit.

Leo episcopus Martino presbytero.

GRATIAS agimus Deo, & multam fiduciam piæ exultationis accepimus, cum dilectionem tuam & catholicam fraternitatem ita spiritu fidei vigere cognoscimus, vt cordibus vestris nihil infirmitatis heretica possit inferrentatio: ad quam diuinitus destruendam, nec defuit (vt scitis) solicitude nostra, nec deerit, donec omnipotentis dextera omnia diaboli arma confringat. Cui ob hoc aliquid audere permittitur, vt a fidelibus Christi gloria maiore vincatur. Si quid autem difficultatum interuenit aut morarum, cum æquanimitate tolerandum est: quoniam ubi veritas est magistra, nunquam defunt diuina sollatia, fratres carissimi. Quamuis ergo magna locorum interualla nos diuidant, vnitate tamen fidei vobiscum sumus, toto corde Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum & verum hominem confitentes, nulla in vobis detrimenta perpetimur, cum de vestra professionis concordia gloriamur: tantum ut sit, auxiliante Domino, constantia perseverans, dicente Apostolo: *Vobis enim datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Ad quam fortitudinem sanctorum mentium roborandam, fratres nostros, atque legatos, quos pro apostolicæ fidei libertate direximus, & quos dudum apud vos esse confidimus, plurimum credimus profuturos, cum totius actionis nostræ didiceritis affectum, & curam vestram atque consilium operi iunxeritis. De qua re non

Philip. 1.

necessæ est nunc latius scribere, cum iam per supradictos sufficientes epistolas miserimus, quibus abundantissime omnis catholica fraternitas instruatur. Diuinæ erit virtutis & gratiæ, vt Dei filius, qui naturam humani generis suam fecit, amplius quam videmus, aut sapimus, magnum pietatis suæ afferat sacramentum, quod impia temeritas sibi quidem fraudauit, sed reætis cordibus non potuit. Data Idibus Septembbris, Valentianio & Auieno viris clausimis consulibus.

EPISTOLA XXXVII.

LEONIS PAPÆ I.

AD LEONEM RAVENNATEM EPISCOPVM.

De his, qui de captiuitate redeuntes, incertum
habent vtrum ante captiuitatem baptisma
consecuti sint.

- I. *De parvulis qui in captiuitatem deuenerint, & baptismum per impositionem manus Spiritu non reminiscuntur se consecutos.* II. *Vt ab hereticis baptizatus, tum sanctum accipiat.*

Leo episcopus, Leoni episcopo Rauennati salutem.

Anno Christi 453. qui fuit annus pontificatus S. Leonis 11. scripta fuit hec epistola & 4. sequentes.

FREVENTER quidem in diuersarum ambiguo quæstionum titubantia fratrū corda, Spiritu Dei instruentate, solidauimus, responsonis formam vel ex sanctarum scripturarum disciplinis, vel ex patrum regulis colligentes. Sed nuper in Synodo nouum & inauditum antea genus consultationis exortum est.

I.

Nam quorumdam fratrum suggestione comperimus, aliquos captiuorum ad sedes suas, libertatemque redeuntes, qui scilicet in captiuitatem illa ætate peruerenterint, quæ nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptismi : sed vtrum eiusdem mysterii ante sacramenta perceperint, infantia inscientia non posse se reminisci: & ideo sub hoc latentis recordationis incerto, animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia, quæ ideo non impenditur, quia putatur impensa. Cum itaque tribuere talibus dominici

dominici sacramenta mysterii, non immerito quorum-dam fratrum formido dubitaret, in synodali (vt diximus) cœtu formam huiuscemodi consultationis accepimus, quam diligentius discuti, & pro vniuerscuiusque sensu sollicita voluimus ratione tractari, quo ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius peruenire possemus. Eadem ergo, quæ in sensum nostrum diuina inspiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmauit assensio. In primis itaque prouidere debemus, ne, dum speciem quamdam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. *Quis enim ita sit suspi-cationibus suis deditus, vt verum esse definiat, quod omni manifestacione cessante, ex opinione ambigua suspicatur?* Cum itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum; nihil est in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiæ suæ nec ille reus sit qui consecratur, nec ille qui consecrat. Scimus quidem inexpiable esse facinus, quoties iuxta hæreticorum damnata a sanctis patribus instituta, cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante doctrina, quæ nobis vnam prædicat in trinitate deitatem, vnam in fide confessio-nem, vnum in baptismate sacramentum. Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis cri-men deuenire, quod factum esse omnino nescitur. Atque ideo, quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite, & longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagate, vtrum nemo sit penitus qui testimonio suo iuuare possit ignorantiam nescientis. Et cum constiterit hunc, qui baptismatis indiget sa-cramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cuius in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic salutis ianuam a-perire, quam nunquam ante docetur ingressus.

II.

Quod si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur: sed hoc tantum, quod ibi defuit, confe-ratur, vt per episcopalem manus impositionem virtutem

Concil. Tom. 7.

M

sancti Spiritus consequatur. Quam rem , frater carissime, ideo generaliter ad omnium vestrum volumus peruenire notitiam ; ne , dum plus iusto metuitur , misericordia Dei saluari cupientibus denegetur. Data nono Kalendas Nouembbris , consulatu Marciani Augusti.

EPISTOLA XXXVIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Literas a Marciano missas se accepisse dicit : de hoc gratias agit , & per legatos scripsisse significat.

Leo episcopus Marciano semper Augusto.

LITERAS pietatis vestræ accepisse me gadeo , & ad significationem totius prosperitatis pertinere cognosco , cum sermones vestri vos faciant integritate securos. Quantas itaque clementiæ vestræ gratias referamus , non ex verbis nostris , sed ex beneficiis vestris , quæ ecclesiæ contulisti , agnoscite : non ambigentes , qualem illum retributorem in omnibus habeatis , pro cuius estis tam pia religione solliciti , & qui vos (vt res ipsa demonstrat) ad hoc vt fides catholica ab insidiis inimicorum suorum defenderetur , elegit. Hæc a me nunc breuiter per fratris mei Anatolii clericos pietas vestra dignanter accipiat. Pleniora autem de omnibus , quæ ad curam meam pro statu ecclesiarum , & concordia pertinent Domini sacerdotum , per legatos nostros scripta direximus. Data Idibus Aprilis , Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XXXIX.
L E O N I S P A P Æ I.
AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Gratias agit, quod Nestorianam & Eutychianam hæresim fidei defensione destruxerit.

Leo episcopus urbis Romæ, Pulcheriae Augustæ.

QUOD semper de sancta pietatis vestræ mente præsumpsimus, id plenissime experiendo cognouimus, Christianam fidem, quamuis diuersis prauorum appetetur infidiis, vobis tamen præsentibus, & in defensionem eius a Domino præparatis non posse turbari. Non enim Deus aut suæ misericordiæ sacramentum, aut vestri laboris deserit meritum: quo dudum subdolum sanctæ religionis hostem ab ipsis visceribus ecclesiæ depulisti, cum hæresim suam tueri impietas Nestoriana non potuit, quia non fecellit famulam & discipulam veritatis, quantum simplicibus infunderetur veneni per illa loquacis hominis colorata mendacia. De quo virtutum agone processit, ut per solitudinem vestram ea, quæ per Eutychen diabolus molitus est, non laterent, & qui sibi singulas partes geminæ impietatis elegerant, una catholicæ fidei virtute procumberent. Secunda ergo hæc vobis de perempto Eutychetis errore victoria est; quem, si quid sani cordis habuisset, dudum in auctoribus suis perculsum, olimque prostratum, facile potuerat declinare, ne de sepultis cineribus rediuiua tentaret incendia commouere, ut in eorum transiret consortium, quorum secutus esset exemplum, gloriofissima Augusta. Libet igitur exultare cum gaudio, & pro vestræ clementiæ prosperitate, digna Deo vota persoluere: qui tibi per omnes mundi partes, in quibus Domini euangelium prædicatur, duplum iam & palmam contulit, & coronam. Clementia igitur vestra agnoscat omnem Romanam ecclesiam de vniuersis fidei vestræ operibus plurimum gratulari: siue quod legationem nostram pio per omnia adiuuistis affectu, & quod sacerdotes catholicos, qui de ecclesiis suis iniusta fuerunt eiecti sententia, reduxistis: siue quod reliquias sanctæ me-

Concil. Tom. 7.

M ij

moriæ Flauiani innocentis & catholici sacerdotis ad eccliam (cui bene præfuit) fecisti cum honore debito reuocari. In quibus vtique omnibus gloriae vestræ multiplicatur augmentum, dum & sanctos pro suis meritis veneramini, & ab agro dominico spinas & tribulos vultis auferri. Quosdam sane episcopos de his qui rebus impiis videntur præbuuisse consensum, reconciliationem reposcere, & catholicorum communionem desiderare, tam nostrorum, quam fratris & coepiscopi mei Anatolii, cui testimonium ferre dignamini, relatione cognouimus: quorum desideriis sic præbemus effectum, vt correctis, & quæ male sunt facta propria subscriptione damnantibus, participata nostrorum (quos misimus) cura cum supradicto episcopo, pacis gratia tribuatur: quia deuotio nis vtrumque est Christianæ, vt & pertinaces veritas iusta coerceat, & conuersos caritas non repellat. Quia vero nouimus, quantum piæ sollicitudinis catholicis sacerdotibus mansuetudo vestra dignet impendere, indicandum esse curauimus, fratrem & coepiscopum nostrum Eusebium nobiscum degere, & nostræ communionis esse consortem, cuius commendamus ecclesiam, quam dicitur vastare, qui illi iniuste asseritur subrogatus: illud etiam a vestra pietate poscentes, quod vos spontaneo facere non dubitamus arbitrio, vt tam fratrem & coepiscopum meum Julianum, quam Constantinopolitanos clericos, qui sanctæ memoriam Flauiano fidelibus officiis adhaesere, ea, qua debetis, gratia faueatis. De omnibus vero pietatem vestram per nostros, quid fieri aut declinari deberet, instruximus. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XL.

LEONIS PAPÆ I.
AD ANATOLIVM CONSTANTINOPOLITANVM
EPISCOPVM.

- | | |
|---|---|
| I. <i>De fide eius, scriptis missis, probata.</i> | <i>fuerint, ad communionem admittantur.</i> |
| II. <i>De his qui metu turbati in IIII. De nominibus hereticorum hæresim lapsi sunt, ut si conuersi ad altare non recitandis.</i> | |

IV. *De commendatione Iuliani qui Flauiano episcopo fide adhæ-
episcopi, vel eorum clericorum, ferunt.*

Leo episcopus, Anatolio episcopo.

I.

GAUDEMVS in Domino , & in dono gratiæ ipsius gloriatur, quia sicut dilectionis tuæ literis , & fratribus nostrorum, quos Constantinopolim miseramus, relatione cognouimus, sequacem te euangelicæ eruditio- nis ostendis: vt per sacerdotis probabilem fidem merito præsumamus, quod tota ecclesia eidem credita , nec ruma- gam cuiusquam sit erroris habitura , nec maculam, dicente Apostolo : *Despondi enim vos univiro, virginem castam ex- libere Christo.* Illa est enim virgo ecclesia , sponsa vnus viri Christi, quæ nullo se patitur errore vitiari: vt per totum mundum una nobis sit vnus castæ communionis integritas , in qua societatem tuæ dilectionis amplectimur, & ge- storum , quæ sumpsimus , seriem necessariis (sicut oportuit) munitam subscriptionibus approbamus. Ut ergo in- uicem dilectionis tuæ animus nostris confirmaretur allo- quiis , filios nostros Casterium presbyterum , Patricium & Asclepiadem diaconos , qui ad nos tua scripta detulerunt , cum epistolis nostris post venerabilem diem festi paschalis remisimus: indicantes nos (vt supra diximus) de Constantinopolitanæ ecclesiæ pace gaudere , cui hanc curam semper impendimus , vt eam nulla velimus hæ- tiorum fraude violari.

II.

De fratribus vero , quos & epistolis tuis , & legatorum nostrorum relatione communionis nostræ cupidos esse cognouimus , eo quod doleant se contra potentiam , con- traque terrores non tenuisse constantiam , sed alieno sce- leri præbuuisse consensum , cum ita eos formido turbasset , vt in damnationem catholici atque innocentis antistititis , & in receptionem detestabilis prauitatis trepidi famula- rentur obsequio ; illud quidem quod præsentibus & a- gentibus nostris constitutum est approbamus , vt suarum interim ecclesiarum essent communione contenti: sed cum legatis nostris (quos misimus) participata tecum so- licitudine volumus disponatur , quatenus hi , qui plenis

M iii

r. quæst. 1.
In ecclesia
Dei quæ
corpus.

Rom. 8.

satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quam tueri, pacis & communionis nostræ vnitate latentur: ita ut digno prius anathemate, quæ contra fidem catholicam sunt recepta, damnentur. Alter enim in ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia: nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licet in patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex virgine, sacramentum propitiationis exequitur, dicente Apostolo: *Christus Iesus, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cum satisfacientes recipimus, quos dolimus esse deceptos. Nec aspere igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temere largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressis caritatem dominicam redhiberi, ita iustum est, omnia perturbationis auctori- bus imputari.

III.

De nominibus autem Dioscori, Iuuenalis, & Eustathii ad sacrum altare non recitandis, dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti faciendum esse dixerint, quodque honorandæ sancti Flauiani memoriarum non repugnet, & a gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum, eos qui innocentes & catholicos sua persecuzione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri, cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua prauitate condement, quos conuenit, aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.

IV.

Fratrem vero & coepiscopum nostrum Julianum, & clericos, qui sanctæ memoriarum Flauiano fidelibus officiis adhæserunt, dilectioni quoq; tuæ volumus adhærere: ut quem fidei suæ meritis viuere apud Deum nostrum nouimus, in te sibi eum præsentem esse agnoscant. Illud quoq; dilectionem tuam nosse volumus, fratrem & coepiscopū nostrū Euzebiū, qui causa fidei multa discrimina, laboresq; tolerauit, nobiscum interim demorari, & in nostra nunc

communione persisteré, cuius ecclesiam tua solicitudine volumus esse defensam: vt nihil eodem absente depereat, & nullus ei in aliquo præjudicare præsumat, donec cum literarum nostrarum ad vos prosecutione perueniat. Et vt maior circa te vel nostra, vel totius Christianæ plebis affectio prouocetur, hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, in omnium volumus notitiam peruenire: vt qui Deo nostro deseruiunt, de confirmata apud te pace sedis apostolicæ gratulentur. De ceteris vero causis atq; personis dilectionis tua literis, quas per nostros accipiet, plenius instruetur. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XLI.
LEONIS PAPÆ I.
AD IVLIANVM EPISCOPVM.

Gratulatur eum ex ærumnis pro fidei defensione percessis euasisse, vtque seuerius agat cum his, qui nequeunt clementia resipiscere, monet.

Leo episcopus, Iuliano episcopo.

LITERAS fraternitatis tuæ per filios nostros Constantinopolitanos clericos, nuntias tuæ salutis accepi: quibus te magnis tribulationibus grauatum fuisse significas, cum vtique non defuerit materia sollicitudini & laboribus, quæ inter procaces catholicæ fidei aduersarios, inhærentem veritati animum fatigaret, idque (vt scribis) fuerit animo, vt per occasionem necessitatis, & nobiste, & patriæ præsentares. Quod verum futurum speraueram, vt apertius omnium hæreticorum ambages tuo ore cognoscerem. Sed gratias Deo, quod ita incoluntas tua & ecclesiæ causa profecit, vt liberum tibi fuerit apud eos interim degere, quorum nobis probabilis consensus innotuit, sicut & fratris Anatolii scripta profitentur, & gesta, quæ apud ipsum coram nostris sunt confecta, demōstrant fratribus remeantibus. Ergo prædictis salutationibus vivisstitudinem reddo, & vt contra falsitatis astutias perseuerantem diligentiam teneas, fidenter exhortor, cum tibi ad hoc, & tuus animus, & nostra auctoritas suffragetur.

Quoniam licet de multis meliora indicata sint, quod scilicet doleant se deceptos, & damnata perfidia cum auctoribus suis, gratiam nostræ communionis exposcant, quod nos adeo libenter accepimus, reddituri his hanc, quam desiderant, communionem, cum promissa compleuerint: tamen quosdam persistere in sua obduratione cognouimus, quos oportet districtius comprimi, si nequeunt benignitate sanari. Ad quam rem nostros post diem venerabilem dirigemus, qui tecum participato consilio, ea quæ a nobis constituta fuerint, exequantur. Data Idibus Aprilis, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XLII.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGUSTVM.

Illi pro conseruatione catholicæ fidei congratulatur.

*Leo episcopus Romanæ ecclesiæ, Marciano
semper Augusto.*

QVAMVIS per Constantinopolitanos clericos ad pietatem vestram ante rescripserim, sumptis tamen clementiæ vestræ literis per virum illustrem præfectum vrbis filium meum Tatianum, magnam materiam gratulationis accepi: quia studiosissimos vos ecclesiasticæ pacis agnoui. Cui sancto desiderio, digna æquitate conferitur; ut quem statum esse cupitis religionis, eumdem habeatis & regni. Nam inter principes Christianos, Spiritu Dei confirmante concordiam, gemina per totum mundum fiducia robatur: quia profectus caritatis & fidei vtrorumque armorum potentiam insuperabilem facit, ut propitiato per vnam confessionem Deo, simul & heretica falsitas, & barbara destruatur hostilitas, gloriosissime imperator. Aucta igitur per imperiale amicitiam spe cœlestis auxilii, confidentius pietatem vestram pro sacramento salutis humanæ incitatè præsumo, ne cuiusquam procaci impudentique versutia, quasi de incerto, quid sequendum sit, sinatis inquiri. Et cum ab euangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter de scripturis diuinis sapere, quam beati

beati apostoli & patres nostri didicerunt atque docuerunt, nunc demum indiscretiæ moueantur & impiæ quæstiones, quas olim mox, ut eas per apta sibi corda dia-bolus excitauit, per discipulos veritatis Spiritus sanctus extinxit. Nimis autem iniquum est, vt per paucorum insipientiam ad coniecturas opinionum, & ad carnalium disceptationum bella, prouocemur: tamquam reparata disceptatione tractandum sit, vtrum Eutyches impie senserit, & vtrum impie Diocorus iudicarit, qui in sanctæ memorię Flauiani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque, vt in eamdem ruinam prouoluerentur, impegit: quorum multis iam (vt cognouimus) ad satisfactionis remedia conuersis, & veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cuiusmodi sit fides tenenda tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum. Vnde piissimæ sollicitudini vestre, quam de indicanda Synodo habere dignamini, per legationem, quæ confessim ad clementiam vestram, Deo annuente, perueniet, quidquid ad causæ utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius suggeretur. Data nono Kalendas Maii, Adelphio viro clarissimo consule.

E P I S T O L A X L I I I .

L E O N I S P A P A E I .

A D M A R C I A N U M A V G V S T U M .

De directa vocis suæ legatione Constantinopolim pro Calchedonensi Concilio faciendo.

Leo episcopus Marciano Augusto.

POPOSCERAM quidem a gloriosissima clementia vestra, vt Synodum quam ad reparandam orientalis ecclesiæ pacem, a nobis etiam petitam, necessariam iudicatis, aliquantis per differri ad tempus opportunius iubebetis: vt liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque episcopi, quos hostilitatis metus detinet, conuenient. Sed quia pio studio humanis negotiis diuina præponitis, & rationabiliter ac religiose regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in euangelii prædicatione discordia: ego

Concil. Tom. 7.

N

etiam vestris dispositionibus non renitor, optans, ut omnium cordibus catholica fides, quæ non potest nisi una esse, firmetur. A cuius integritate & Nestoriūs antea, & nunc Eutyches, diuersis quidem callibus, sed impietate non impari deuiauerunt: abominandi prorsus in persuasionibus suis, quas contra sincerum veri luminis fontem, de cœnōsis lacubus diabolicæ falsitatis hauserunt. Prior itaque Synodus Ephesina Nestorium cum dogmate suo merito iusteque damnauit: & quisquis in illo errore persistit, ad nullius potest spem remedii peruenire. Sequens vero in prædicta ciuitate non potest vocari Concilium, quod in euersionem fidei fuisse constat agitatum: quodque vestra clementia amore veritatis, catholicis ad futura, aliud statuendo, cessabit, gloriosissime imperator.

Obtestatio
grauissima.

Vnde per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, vt in præsenti Synodo fidem quam beati patres nostri ab apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari: & quæ olim majorum sunt auctoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari. Illudque potius iubeatis, vt antiquæ Nicænæ Synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant. Nec me quoque (vt voluit vestra clementia) ab illo credatis abesse Concilio, cum in his fratribus, quos direxi, id est, Paschasino & Lucentio episcopis, Bonifacio & Basilio presbyteris, sed & fratre meo Iuliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit aestimanda præsentia. Quos, auxiliante Christo, ita acturos esse confido, vt ea quæ Domino nostro placent, decernantur, accedente pietatis vestrae studio, quod & paci prospicit religionis, & custodiae veritatis. Data sexto Kalendas Iunii, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XLIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Inter cetera, pro defensione fidei imperatori gratulatur.

Leo episcopus Marciano Augusto.

MVLTAM mihi fiduciam scribendi ad clementiam vestram, & literæ vestræ, quas veneranter accepi, & coepiscopi mei reuertentes a Constantinopoli præbuerunt, non sola assertione verborum, sed ipsis iam operum effectibus demonstrantes, ad defensionem catholicæ fidei diuinum in vobis vigere præsidium. Quo utique non solum ecclesiæ status, sed etiam vestri robur munitur imperii: vt merito eius expectetis protectionem, cuius colitis religionem & veritatem, gloriofissime imperator. Nam vt & fratrī mei Anatolii citius manifestaretur integritas, & olim damnati erroris rediūtus afferitor locum in Christi ecclesia non haberet, vt catholici episcopi, quos nuper hæreticorum persecutio deprauare non potuit, ab iniustis reuocarentur exiliis, vtque reliquiis beatæ memorię Flauiani digno honore suscep̄tis, impietatem suam condemnator eius agnosceret, vestræ virtutis titulus, vestræ pietatis est fructus. Cui confido & aliarum insignia accumulanda palmarum, vt sicut Constantinopolitana ecclesia, recepta apostolicæ fidei libertate, latetur; ita omnes regni vestri prouinciæ emundatas se esse a diabolici dogmatis contagio glorientur. Vt ergo præcedentibus literis indicaui, fratres meos Lucentium episcopum, & Basiliū presbyterum, qui solicitudinis meæ partes possint implere, direxi: fauori eos pietatis vestræ in omnibus quæ sunt agenda commendans. Nam cum & fratrī mei Anatolii scriptis, & nostrorum sermone cognouerim, multos de his, qui apud Ephesum Dioscori factiōne compulsi detestabilibus statutis præbuere consensum, pœnitendo inconstantiae suæ veniam postulare, & communio nem catholicam per satisfactionem correctionis expere re; non fuit talium negligenda conuersio, qui non proprio sensu, sed impii præsumptoris impulsu in hæc inci-

Concil. Tom. 7.

N ij

disse noscuntur, in quibus liberum non habuere iudicium.

Ne igitur vel resipiscentium desideria mora longior fatigaret, vel incuriosa facilitas temere aliquos & sine discretione fusciperet, iniunctum est ab apostolica sede directis, vt in confortium suæ deliberationis accito Constantinopolitanae vrbis antistite, & pestilentia contagia non admittantur, & sanitatis remedia non negentur. Quæ industria in omnibus, quæ nequiter gesta sunt, emendandis celerem, iuuante Domino, consequetur effectum, si reparationi pacis ecclesiasticæ opem suam vestra pietas dignetur adiungere: vt vobis in terra regnantibus, & Dei regnum intra vos habere mereamini, & catholicae fidem nulla falsitas violet, nulla haeresis inquietet, nec cuiquam liceat doctrinam euangelicam deserere, & sacerdotali honore gaudere. Synodum vero fieri, vt

Causa defi-
gnatur pro-
hibens ce-
lebrare Cō-
cilium.

meminit clementia vestra, etiam ipsi poposcimus. Sed sacerdotes prouinciarum omnium congregari praesentis temporis necessitas nulla ratione permittit: quoniam illæ prouinciæ, de quibus maxime sunt euocandi, inquietante bello, ab ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Vnde opportuniori tempori, propitiante Domino, cum firmior fuerit restituta securitas, iubeat vestra clementia referuari. De qua re plenius inter cetera apud pietatem vestram poterunt allegare, quos misi. Data * quinto Idus ^{septimo} Junii, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XLV.
LEONIS PAPÆ I.
AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Eutychianam hæresim detestatur. Hortatur vt eius opera Eutyches in remotiorem locum detrudatur,
inque illius monasterio catholicus
abbas sufficiatur.

Leo episcopus Pulcheriae Auguftæ.

RE LIGIOSAM pietatis vestræ solicitudinem, qua vniuerso mundo, Deo inspirante, consulitis, crebrioribus alloquiis incitare praesumo: vt operum vestrorum

profectum necessaria præfatio subsequatur, ac sicut de statu Constantinopolitanæ ecclesiæ gratulamur, cuius & sacerdos & populus catholicæ puritatis fidem iam tenere cognoscitur, ita etiam aliorum concors nobiscum sit de Verbi incarnatione confessio. Vnde quod facturum me aliis literis indicaueram, Lucentium episcopum & Basiliū presbyterum fratres meos dirigere præparaui, qui dispositiones meas, fratri Anatolii deuotione socia- ta, secundum eas, quas acceperunt, regulas exequantur. Sicut enim prædicti episcopi scriptis, & clericorum eius suggestione patefactum est, multa sunt quæ indulgentius sunt curanda, multa quæ iustius coercenda: vt in causa tantæ perturbationis, nec districtio nimis sit aspera, nec remissio parum cauta, cum aliud satisfacientibus, aliud pertinacibus debeatur.

Offertur ergo pietati vestræ digna materia, quæ placitam Domino curam sancti cordis exerceat, & præcedentium meritorum coronas etiam de præsentis erroris abolitione multiplicet. Sicut enim Nestoriana impietas, ita & Eutychiana blasphemia ab omnium est catholicorum eliminanda confortio. Quia tam impium est, consubstantialem & consempiternam Patri Filii deitatem, etiam ex vtero Virginis matris partu editam negare corporeo, quam vnam in Dei Filio, post incarnationis sacramentum, affirmare naturam: vt scilicet aut humanitas eius refutetur, aut deitas; cum vniōne vtriusque essentiæ, nec altera sit in alterutram versa, nec assumpta in assumente finita. Sed & Verbi incommutabilitas, & carnis atque animæ veritas maneant inseparabiliter in unitate personæ; quod qui, testificante lege, credentibus patriarchis, annuentibus prophetis, prædicante euangeliō, docentibus apostolis, & toto mundo confidente, non credunt, extra sacramentum corporis Christi, extra unitatem sunt nominis Christiani.

Quorum sicut ruinam dolemus, ita perfidiam detestamur. Ut autem circa talium personas sincerum seruetur vbique iudicium, & aliud correctis, & aliud pertinacibus rependatur, vestra pietas nostros, qui ab apostolica sede sunt missi, fouere dignetur: eorumque omnes, quas iniunximus, adiuuet actiones, quo citius ac facilius,

auxiliante Domino, quæ ad vestram gloriam, & ad totius ecclesiæ pacem proficiant, exequantur. De Eutychie autem, totius scandali & prauitatis auctore, hoc clementia vestra præcipiat, vt ab eo loco qui Constantinopolitanæ vrbi nimis vicinus est, longius transferatur: ne frequentioribus solatiis eorum, quos ad impietatem suam traxit, vtaatur. Monasterio quoque ipsius, cui perniciose indigneque præsedidit, catholicum abbatem iubete præponi, qui illam seruorum Dei congregationem & a prauo dogmate liberare, & institutis veritatis possit imbuere.

Data Idibus Iunii, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA XLVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD ANATOLIVM CONSTANTINOPOLITANVM
EPISCOPVM.

De his qui hæreticorum erroribus metu, non voluntate,
implicantur, vt per satisfactionem in
ecclesia suscipiantur.

Leo episcopus Anatolio episcopo in Domino salutem.

LIET sperem dilectionem tuam ad omne opus bonum esse deuotam, vt tamen efficacior tua possit fieri industria, necessarium & congruum fuit, fratres meos Lucentium episcopum & Basilium presbyterum (vt promisimus) destinare: quibus tua dilectio societur, vt nihil in his, quæ ad vniuersalis ecclesiæ statum pertinent, aut dubie agatur aut segniter: cum residentibus vobis, quibus executionem nostræ dispositionis iniunximus, ea possint agi cuncta moderatione, vt nec benevolentiae partes, nec iustitiæ negligantur, sed absque personarum acceptione diuinum in omnibus iudicium cogitetur. Quod vt recta obseruantia valeat custodiri, catholicæ primitus fidei seruetur integritas, vt quia per omnia angusta & ardua via est, quæ dicit ad vitam; neque in finistram, neque ad dexteram ab eius tramite deuietur. Et quia euangelica & apostolica fides omnes expugnat errores, & ab uno latere Nestorium deiicit, ab alio Eutychen & participes eius elidit, hanc regulam mementote seruandam, vt qui-

cumque in illa Synodo, quæ nomen Synodine habere potuit, nec meretur, & in qua malevolentia suam Dioscorus, imperitiam autem Iuuenalis ostendit, dolent, ut dilectionis tuæ relatione comperimus, se metu victoros, & terrore superatos, ad consensum sceléstissimi iudicii potuisse compelli, & communionem catholicam obtinere desiderant, satisfactioni eorū pax fraterna præstetur: ita ut non dubiis professionibus Eutychen cum suo dogmate, cumq; consortibus suis anathematis execratione condemnent. De his autem, qui in hac causa grauius peccauere, & ob hoc superiorem sibi locum in eadem infelici Synodo vindicarunt, ut humiliū fratum simplicitatem arrogantiae suæ præiudiciis aggrauarent: si forte resipiscunt, & a factis sui defensione cessantes in condemnationem proprii conuertūtur erroris, horum si satisfactio talis accedit, quæ non refutanda videatur, maturioribus apostolicae sedis consiliis reseruetur, ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorū * agnitionibus, quid constitui debeat, & stimetur. Neque prius in ecclesia, cui te Dominus voluit præsidere, cuiusquam talium (ut ante iam scripsimus) nomen ad altare recitetur, quam quid de eis constitui debeat rerum processus ostendat. De commonitorio vero a clericis dilectionis tuæ nobis oblato, necessarium non fuit epistolis quid videretur inserere; cū sufficeret legatis cuncta committi, quorum sermone ex omnibus diligentius instrueris. Annite igitur, frater carissime, ut quæ ecclesiæ Dei congruant, fideliter & efficaciter cum his fratribus, quos tantæ rei idoneos autores elegimus, exequaris: præsertim cum ipsa vos causæ ratio spesq; diuini auxilii cohortentur, & clementissimorum principum tam sancta sit fides, tam religiosa deuotio, ut in eis non solum Christianum, sed etiam sacerdotalem experiamur affectum. Qui vtique pro ea pietate, qua se Dei famulos esse gloriantur, omnes suggestiones vestras fidei catholicæ profuturas dignanter accipient, ut ipsorum quoque ope, & pax Christiana reparari, & error impius possit aboleri. Ac si de aliquibus amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur: ut pertractata qualitate causarum, nostra quid obseruari debeat sollicitudo constituat. Data quinto Idus Iunii, Adelphio viro clarissimo cōsule.

* actioni-
bus,

EPISTOLA XLVII.

LEONIS PAPÆ I.

AD SYNODVM CALCHEDONENSEM.

Hortatur per legatos suos Dei sacerdotes, vt secundum
scripturas cuncta disponerent.

*Leo episcopus urbis Romæ, sanctæ Synodo apud Calchedonem
constitutæ.*

OPTAVERAM quidem, dilectissimi. *Vide reliquum in
Concilio Calchedonensi, parte i. epistola 40.*

EPISTOLA XLVIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD ANATOLIVM EPISCOPVM.

Basilium & Ioannem presbyteros, apud se Eutychetis &
Nestorii hæreses detestatos, commendat.

Leo episcopus Anatolio confratri.

AD declinandam erroris maculam, qua nonnullos aut Nestoriani impietas, aut Eutychiana labefactauit infania, laudabilem curam filii nostri Basilius & Ioannes presbyteri suæ æstimationis habuerunt: vt inter pugnantia dogmata falsitatis vera catholicæ fidei pace gauderent. Si quidem longinquo peregrinationis labore suscepimus, sensum cordis sui in apostolica sede patetecere: damnantes utramque hæresim, quarum supra fecimus mentionem, & de incarnatione Domini nostri Iesu Christi non aliud recipientes, quam quod, instruente sancto Spiritu, & didicimus, & docemus. Per hos ergo, frater carissime, cum testimonio nostro ad propria reuertentes, dilectioni tuæ nostra scripta direximus: fidenter orantes, vt qui gratia apostolicæ communionis ornantur, etiam tuo fauore per omnia se gaudeant adiuuari. Data decimo tertio Kalendas Iulii, Adelphio viro clarissimo consule.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Legatos ad Concilium Calchedonense, qui vna cum iis
qui ante illorum aduentum legationem susceperant
Concilio præsent, scribit a se missos.

Leo episcopus Marciano semper Augusto.

CREDEBAMVS clementiam vestram id desiderio no-
stro posse præstare, vt præsenti necessitate respecta,
differri ad opportunius tempus sacerdotalem Synodum
iuberetis: vt vocatis de cunctis prouinciis sacerdotibus,
vere posset esse vniuersale Concilium. Sed quia vos amo-
re catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne
deuoto obuiare viderer arbitrio, fratrem & coepiscopum
meum Paschasinum de ea prouincia, quæ videtur esse se-
curior, euocatum, qui vicem præsentia meæ possit imple-
re, direxi, Bonifacio fratre nostro & compresbytero socia-
to, & his, quos antea miseramus, adiunctis, consortem illis
fratrem quoque meum Iulianum addentes episcopum.
Quos ea moderatione vniuersa, Domino auxiliante, cre-
dimus esse gesturos, vt quæcumque in querelam pertur-
bationemque venerunt, ad vnitatem pacis & fidei, com-
pressa omni diffensione reuocentur: nec vllum in aliquo-
rum cordibus sacerdotum, vel Nestorianæ, vel Eutychia-
næ impietatis vestigium relinquatur, quoniam catholi-
ca fides quam instruente nos Spiritu Dei per sanctos pa-
tres a beatis apostolis didicimus & docemus, neutrum
sübrepere permittet errorem. Si quid ergo morborum, si
quid est vulnerū, quod sincera possit correctione curari,
vt ad veram sanitatem reuocetur, optamus. Quæ nunc v-
tique non erunt dubia, nec cuiusquam simplicitati dein-
ceps nocitura, si nullisse excusationibus voluerit obum-
brare, cum absolutionem peccati non obtineat nisi vera
confessio. Quia vero quidam de fratribus (quod sine do-
lore non dicimus) contra turbines falsitatis non value-
re catholicam tenere constantiam, prædictum fratrem
& coepiscopum meum vice mea Synodo conuenit

Concil. Tom. 7.

O

præsidere : certus sum enim quod absque odio & gratia ibidem ab his , quibus hoc commisimus , laboretur , vt cum solius hæreticæ impietatis excidio , in omnibus ecclesis Dei veritas regnet & caritas . Data sexto Kalendas Iulii , Adelphio viro clarissimo consule .

EPISTOLA L.

LEONIS PAPÆ I.

AD EVMDEM MARCIANVM AVGVSTVM.

Eadem repetit quæ in præcedenti epistola.

Leo episcopus , Marciano Augusto .

SANCTVM clementiæ vestræ studium , quo ad reparationem pacis ecclesiasticæ Synodus habere voluitis , adeo libenter accepi , vt quamuis eam fieri intra Italiam poposcissim , & aptius expectari tempus optarem , quo scilicet plurimi possent episcopi etiam de longinquis prouinciis euocari , mox tamen , vt mihi pietatis vestræ scripta sunt tradita , & Bonifacium de comprehensbyteris meis ab vrbe direxerim , & de episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia fecerim nauigare , qui vicem meam sufficienter implerent , datis per eosdem epistolis ad eos qui legationem ante suscepserant , vt ipsi quoque prædictis ad implendas partes meæ præsentia iungerentur . Vnde quamuis nimis arctus dies Synodo fuerit constitutus , spero tamen adfuturum omnipotentis auxilium , quo omnes valeant ad præfinitum tempus occurrere , & vnanimiter cum sanctæ fraternitatis assensu , quæ vniuersali ecclesiæ congruant , definire . Compressa enim , vel remota inquietudine ac prauitate paucorum , facile firmabitur probanda concordia : si in eam fidem quam euangelicis & apostolicis prædicationibus declaratam , per antiquos patres nostros accepimus & tenemus , omnium corda concurrent , nulla penitus disputatione cuiusquam retractationis admissa , ne per vanam fallacemque versutiam aut infirma videantur , aut dubia , quæ in ipso angulari lapide Christo fundata sunt , & sine fine mansura ; hoc nobis indesinenter oranti-

Semel defini-
nita non
sunt in du-
bium vo-
canda .

Ephes. 2.

bus, vt a sacramento singularis fidei nemo inueniatur alienus, sed damnata impietate hærefoes, nullum de perditione cuiusquam catholica ecclesia sentiat detrimentum. Quod autem pietatem vestram de his, per quos meas misi epistolas, obsecraui, nunc quoque simili fiducia precor: vt vice mea aeturos, commendatos per omnia habere dignemini, quo facilius ac diligentius, quæ optimo fidei vestræ ordinata sunt studio, salubri impleantur effectu. Data decimoquarto Kalendas Augusti, Adelphio viro clarissimo consule.

EPISTOLA LI.

LEONIS PAPÆ I.

AD PVLCHERIAM AVGVSTAM

PER THEOSTICVM MAGISTRIANVM.

Eadem quæ superius: insuper omnibus auctoribus Conciliabuli Ephesini, si resipuerint, communionem fidelium non denegari.

Leo episcopus, Pulcheriae Augstæ salutem.

RELIGIOSAM clementiæ vestræ solicitudinem, quam catholicæ fidei indefinenter impenditis, per omnia recognosco, & Deo gratias ago, quod tantam vniuersalitatem ecclesiæ curam habere vos video: vt quod iustitiæ & benevolentiæ congruere arbitror, confidenter insinuem, quo celerius, quæ, propitio Christo pietatis vestræ studio irreprehensibiliter haec tenus gesta sunt, ad gratulandum perducantur effectum. Quod ergo Synodus Calchedonensem haberi clementia vestra præcepit, cum a me, vt in Italia haberetur, mansuetudo vestra retineat postulatum, vt omnes nostrarum partium conuocati antistites, si securitas temporis suppeteret, conuenirent, adeo tamen non aspernanter accepi, vt binos de coepiscopis meis & presbyteris ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent, etiam datis ad venerabilem Synodus congruentibus scriptis, quibus fraternitas aduocata cognosceret, quam formam seruare in hac diiudicatione deberet: ne villa temeritas aut fidei regulis, aut Canonum statutis, aut benignitatis remediis obuiaret.

Concil. Tom. 7.

O ij

Sicut enim a principio huius causæ frequentissime scripsi, hanc inter discordes sensus & carnales æmulationes moderationem volui custodiri, vt integritati quidem si de nihil euelli nihil liceret apponi, ad vnitatem vero pacemque redeuntibus, remedium venia præstaretur. Quia tunc operum diaboli potentia destruuntur, cum ad Dei proximique dilectionem hominum corda reuocantur. Sed quam contraria tunc his monitis atque obsecrationibus meis acta sint, multum est explicare, nec opus est epistolari pagina comprehendti, quidquid in illo Ephesino non iudicio, sed latrocinio potuit perpetrari. Ibi primates Synodi, nec resistentibus sibi fratribus, nec consentientibus pepercérunt: cum ad infringendam catholicam fidem, & ad execrabilem hæresim roborandam, alias priuilegio honoris exuerint, alias consortio impietatis infecrint: saeuiores profecto in eos quos persuadendo ab innocentia separabant, quam in illos quos beatos confessores persequendo faciebant.

Roms. 12.

Verum tamē quia tales sibi maxime sua iniquitate nocuerunt, & maioribus vulneribus diligentior est adhibenda medicina, nullis vñquam epistolis definiui etiam talibus, si resipiscerent, veniam denegandā. Et quamvis incommutabiliter inimicissimam Christianæ religioni hæresim detestemur, ipsos tamen, si corrigantur, & digna se satisfactione purificant, ab ineffabili misericordia Dei non iudicamus alienos: sed potius cum gementibus gemimus, cum flentibus flemus, & sic utimur iustitia commotionis, vt non amittamus remedia caritatis. Quod sicut pietas vestra cognoscit, non verbis solis promittitur, sed etiam factis docetur. Siquidem pene omnes, qui in consensum præsidentium aut traducti fuerant, aut coacti, rescindendo quod statutum fuerat ab illis, & condemnando quod scripserant, perpetuam culpæ abolitionem, & apostolicæ pacis gratiam sint adepti.

Si ergo clementia vestra propositum nostrum considerare dignetur, probabit me eo consilio cunctagessisse, vt sine cuiusquam animæ detimento, hærefoes tantum obtineretur extinctio, & ob hoc circa auctores saeuissimum turbinum, quiddam consuetudinis minuisse, vt ad indulgentiam postulandam compunctione aliqua.

possit eorum traditas excitari. Qui etsi post illud iudicium suum, tam impium quam iniustum, non sunt catholicae fraternitati ita honorabiles, ut fuerant, suas tamen adhuc obtinent sedes, & episcopatus sui honore potiuntur: aut per veram & necessariam satisfactionem pacem ecclesiarum recepturi, aut si haeresim (quod absit) tuebuntur, professionis suæ merito iudicandi. Data decimotertio Kalendas Augusti, Adelphio viro clarissimo consule.

**EPISTOLA SYNODICA
EPISCOPORVM GALLIÆ
AD LEONEM PAPAM.**

De eadem ipsius ad Flauianum epistola, quam eximiis laudibus ornant, eique se in omnibus assentiri profitentur.

Domino vere sancto, merito in Christo beatissimo, & apostolico honore venerando Papæ Leoni, Rauennius, Rusticus, Venerius, Constantinus, Maximus, Armentarius, Florus, Sabinius, Valerianus, Constantius, Nestorius, Maximus Asclepius, item Maximus, Virsus, Ingenuus, Iustus, Valerius, Superuentor, Chrysaphius, Fonteius, Petronius, Ydatius, Aetherius, Eulalius, Eustachius, Fraternus, Victorius, Eugenius, Hilarus, Verus, Amandus, Gerontius, Proculianus, Iulianus, Helladius, Armentarius, Honoratus, Eparchius, Anemius, Dynamius, Maximinus, Ynantius, & Palladius.

PER LATA ad nos epistola beatitudinis vestræ, quam ad orientem pro catholicæ fidei assertione misisti, optassemus statim apostolatui vestro pro tam immenso munere gratiarum actionem referre, nisi nobis difficultatem, qua in vnum celeriter non potuimus conuenire, vel spatia, quibus a nobis disparati sumus, longa terrarum, vel aurarum quæ in regionibus nostris præter consuetudinem fuit intemperies attulisset. Det ergo apostolatus vester nostræ veniam tarditati, quæ non de otio, aut dissimulatione, sed de certa necessitate descendit, quæque nobis, etsi celeritatis gratiam abstulit, exultandi tamen materiam auferre non potuit. Exultaimus itaque,

O iii

Christo propitio, lectis beatitudinis vestræ literis, & omni instruzione patefacta, omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus, dolentes pariter pro his vobiscum, qui catholicæ fidei lumine derelicto, errorum tenebras inciderunt. Quæ apostolatus vestri scripta, ita ut symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripta, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior fit, memorie commendauit. Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes, recognouerunt fidei suæ sensum, & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, vt vester apostolatus exposuit, iure lætantur. Nonnulli sollicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua libere ac fiducialiter, suffragante etiam apostolicæ sedis auctoritate, eloquantur, & afferat vnuquisque quod credit. Quis autem apostolati vestro pro hoc tanto munere, quod non solum Gallias, sed totum mundum velut quibusdam preciosissimis gemmis ornauit, dignas æstimet gratias posse persolui? Doctrinæ post Deum vestræ debet fidelis, vt constanter teneat quod credebat: debebit etiam infidelis, vt a perfidia sua agnita veritate discedat, & apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquit, magisque sequatur & credat, quod per os vestrum Dominus noster Iesus Christus de sacramento incarnationis suæ docet, quam id teneat, quod diabolus humanæ salutis & veritatis inimicus instillat. Optassemus etiam ad filium vestrum, glorioissimum ac fidelissimum principem, super eadem causa literas dare, quibus congratulantes fidei ipsius, humilitatis quoque nostræ sollicitudinem, qua vos in Christo sequimur, proderemus; nisi ad nos de orientalibus partibus nuntio perlato, fieri hoc minime necessarium putassemus. Meritis autem apostolatus vestri pius Dominus præstitit, vt hæresim iamdiu occulte nutritam vestris temporibus proderet. Ad laudem enim sollicitudinis vestræ pertinet, quod malorum error latere non potuit: ad gloriam fidei redundat, quod prava persuasio participes, aut non inuenit, aut inuentos amisit. Respiquat itaque, oramus, conseruando apostolatum vestrum

misericors Dominus ecclesiam suam toto orbe diffusam. Vobis enim ita inuigilantibus , & hi qui curam animæ suæ gerunt, sollicitiores in fide redduntur, & hi qui paucum desides sunt, tanto ad sollicitudinem accenduntur exemplo. Quod nos ante oculos semper habentes, non definemus Domino ac Deo nostro gratias agere, & pariter supplicare, gratulantes quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ apostolicæ sedi, vnde religionis nostræ, propitio Christo, fons & origo manauit, antistitem dederit : petentes etiam, vt datum concessumque munus pontificii vestri longissima ad ædificationem ecclesiarum suarum ætate custodiat. Nos autem, et si impares meritis, pari tamen fide, si quid, quod absit, contra ecclesiam catholicam profana infestatione tentetur, parati sumus, confortante Domino, cum beatitudine vestra pro veritate fidei animas nostras ponere, & vitam hanc auctori salutis nostræ, & largitori æternitatis impondere. Et alia manu: Ora pro me, Domine merito beatissime, & apostolico honore venerande papa.

Rusticus episcopus apostolatum vestrum in Domino venerans saluto, & vt digneris pro me orare supplex oro.
 Venerius episcopus te dominum in Christo meum reuerentissime saluto, & vt digneris pro me orare supplex rogo.
 Constantinus episcopus beatitudinem vestram saluto.
 Maximus episcopus beatitudinem vestram saluto.
 Armentarius episcopus beatitudinem vestram saluto.
 Florus episcopus beatitudinem vestram in Domino venerans saluto, & vt ores pro me plurimum quæso.
 Sabinus episcopus beatitudini vestrae me repræsento, & orationem apostolatus vestri nostri memorem quæso.
 Valerianus episcopus beatitudinem vestram saluto.
 Nectarius episcopus beatitudinem vestram saluto.
 Constantius episcopus beatitudinem vestram saluto.
 Maximus episcopus apostolatum vestrum saluto.
 Ego Asclepius episcopus apostolatum vestrum venerans in Domino plurimum saluto.
 Ego Maximus episcopus apostolatum vestrum saluto.
 Ego Vrsus episcopus beatitudinem vestram saluto.
 Ingenuus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Iustus episcopus coronam vestram venerans saluto.
 Valerius episcopus apostolatum vestrum saluto.
 Ego Superuentor episcopus coronam vestram venerans saluto.
 Verus episcopus apostolatum vestrum reuerenter saluto.

Helladius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.
 Ætherius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.
 Eulalius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.
 Anemius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.
 Chrysaphius episcopus sanctitatem tuam in Domino saluto.
 Petronius episcopus sanctitatem vestram in Domino saluto, & vt
 pro me orare dignemini quæso.
 Ego Fonteius episcopus apostolatum vestrum reuerenter saluto, &
 rogo vt mei meminisse dignemini.
 Ydatius episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Hilarius episcopus apostolatum vestrum plurima in Christo vene-
 ratione saluto.
 Viðturus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Eugenius episcopus beatitudinem tuam saluto.
 Palladius episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Ego Fraternus episcopus coronam vestram venerans saluto.
 Ego Amandus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Ego Gerontius episcopus coronam vestram venerans saluto.
 Ego Proculeianus episcopus coronam vestram venerans saluto.
 Ego Dynamius episcopus coronam vestram venerans saluto.
 Ego Julianus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Ego Armentarius episcopus coronam vestram venerans saluto.
 Ego Honoratus episcopus coronam vestram venerans saluto.
 Eparchius episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Ego Eustachius episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Ego Maximus episcopus apostolatum vestrum venerans saluto.
 Ego Ynantius episcopus coronam vestram venerans saluto.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
 SOCIETATIS IESV.

* *Epistola Synodica.*] E Synodo aliqua missam episcopi ipsi do-
 cent, qui responsi tarditatem excusant, quod in vnum citius con-
 uenire non potuerint. Etsi autem quo loco Synodum habuerint non
 indicant, verisimile tamen est a Rauennio Arelatensi, qui Synodo
 præfuit, Arelate potissimum fuisse conuocatos. Subscriptiones ad
 calcem epistolæ, quarum initium dumtaxat in vulgatis legebatur,
 integras olim ex Nicolai Fabri codice descripsimus, qui in Thuana
 bibliotheca nunc extat.

EPI-

EPISTOLA LII.

LEONIS PAPÆ I.

AD EPISCOPOS GALLIÆ.

Gratulatur ipsis orthodoxam fidem, quam ex eorum literis cognorat. Eutychem & Dioscorum in Synodo Calchedonensi damnatos significat.

Leo Romanæ urbis episcopus Rauennio, Rustico, Venerio, Constantino, Maximo, Armentario, Floro, Sabino, Valeriano, Constantio, Maximo, Asclepio, Nestorio, Maximo, Vrso, Ingenuo, Justo, Valerio, Superuentori, Chrysapbio, Fonteio, Petronio, Hydatio, AEtherio, Euladio, Eustachio, Fraterno, Victuro, Eugenio, Hilario, Vero, Amando, Gerontio, Proculiano, Juliano, Helladio, Armentario, Honorato, Eparchio, Anemio, Dynamio, Maximo, Ynasio, & Palladio, episcopis per Gallias constitutis.

OPTASSEMVS quidem fraternitatis vestræ literas eo tempore quo promiseratis accipere, ut profecturis ad orientem fratribus nostris, quos ad sanctam Synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio iungeretur. Sed cum multa obstacula inopinata nobis intulerint tarditatem, quamlibet seras, & diu expectatas epistolas, per fratrem & coepiscopum nostrum Ingenulum gratanter acceperimus: easque cum gaudio recensentes, probauimus, sicut confidebamus, eruditione Spiritus sancti cælestem in vobis vigere doctrinam: quam in orientalibus ecclesiis versutia hostis antiqui, per eos quos sequaces suos repetit, falsitasque fatigare conata est, cum catholica fides, quæ nulla sui est parte mutabilis, per ipsas aduersantium exercitationes, & validior efficiatur semper, & clarior: operante hæc gratia Dei, ut si qui forte ad hæc subtilia inimici iacula declinanda minus erant instructi, minusque solliciti, perceptis veritatis armis fierent contra impiorum mendacia fortiores. Quod ergo, sicut causa poscebat, fiduciam nostram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxistis, multa exultatione gaudemus. Et merito nos cognoscimus fratribus & coepisco.

Concil. Tom. 7.

P

pis nostris orientalibus intimasse, quod secundum euangelicam & apostolicam traditionem de incarnatione Domini nostri Iesu Christi, vna esset omnium nostrum & indiscreta confessio; neque ullis eorum disputationibus detineri, vt aliter aliquid de summi & salutiferi sacramenti veritate sapiamus, quam & ex prædicatione sanctorum patrum, & ex auctoritate incommutabilis symboli didicimus ac docemus, damnatis ab vniuersali ecclesia, & nunc Eutyche, & antea Nestorio. Quorum si quis non ferendis impietatibus inhærere delegerit, ipse se a corpore Christianæ unitatis abscidit. Non enim ultra iam cuiquam excusationis refugium de ignorantia & inscientia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur, cum hæc ipsa sexcentorum fere fratum, coepiscoporumque nostrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium differendi contra fundamentum fideli inspirare permiserit: quoniam annitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus vicariis nostris, quorum plenissima extitit in omni actione deuotio, non solum sacerdotibus Christi, sed etiam principibus & potestatibus Christianis, cunctisque clericis, plebis, ordinibus, plene atque euidenter apparuit, hanc esse vere apostolicam fidem, ex diuinæ pietatis fonte manantem, quam sinceram, & ab omni face totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus, & vniuerso iam mundo consentiente defendimus, extinctis toto orbe dogmatibus, quæ vel præcedens hæreticus ausus est inferre, vel subsequens, dissimili quidem commento, sed impietate comparci. Nam sicut Nestorius non est toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodo fuisse genitricem, qui postmodum sit a Verbo deitatis suscepitus, duabus scilicet naturis, & personis distinctis, vt neque ipse esset filius hominis, qui Filius Dei, neque unus Christus in utraque natura, sed alter sempiternus ex Patre, alter temporalis ex matre: cum euangelica auctoritas ita Verbum prædicet carnem factum, vt non duos Christos nec duos filios, sed in uno Domino Iesu Christo, & Dei & hominis nobis insinuet veritatem; vt vtriusque substantiæ, id est saluantis atque saluatæ, nec proprietas possit confundi, nec persona geminari. Sicut ergo Nestorius in suo

dogmate execrabilis, sic & Eutyches damnatum olim
secessatus errorem, alia profanitate blasphemans, a catholicæ soliditatis compage resecatus est: quia indecetis qui-
busdam nimiumq; simplicibus persuadere tentauit, quod
Verbum Dei ita caro sit factum, ut veram carnem de ven-
tre Virginis non sumpserit, nec nostri illum generis cor-
pus habuisse, sed diuinitatis eius & carnis vnam esse natu-
ram, ut vnum Dominum nostrum Iesum & falsum homi-
nem, & Deum diceret esse passibilem: quod nec pietas fi-
dei, nec ratio recipit sacramenti, ut aut in sua natura pas-
sibilis fuerit deitas, aut in susceptione humana mentita sit
veritas. Quæ diabolicorum sensuum prodigiosa commen-
ta, sancta nunc Synodus humilitatis nostræ scriptis, au-
toritate domini mei beatissimi Petri apostoli & merito
roboratis, religiosa vnanimitate consentiens, abominan-
do, ab ecclesia Dei amputauit. Dioscorum quoque Ale-
xandrinum in sua impietate manentem; ne illa ecclesia,
quæ inter ipsa euangelii principia beatum Marcum, bea-
tissimi Petri apostoli discipulum, in omnibus vtique do-
ctrinæ sui doctoris magisterio consonantem, habuit fun-
datorem, quæque postea recentioribus a nostra ætate
temporibus Athanasium, Theophilum, & proxime Cy-
rillum, probatissimos præfules habuit, indignam captiui-
tatem sub hæretici dominatione pateretur. Vnde secun-
dum magnam misericordiam Dei, vniuersos diaboli co-
natus, quibus ecclesiam Domini conturbare molitus est,
noueritis esse destructos. Reddite igitur Deo gratias, fra-
tres carissimi, & dignam gratiarum actionem, & oret no-
biscum vestra dilectio, ut fratres nostros, quos expecta-
tio nostra desiderat incolumes quamprimum rediisse læ-
temur, & de omnibus, quæ Domino adiuuante sunt ge-
sta, plenius vos possimus instruere. Nam fratrem Inge-
nulum nolumus hac expectatione tardari, cum ob hoc ip-
sum properantius remeare debuerit, ne diutius vobis es-
set incognita omnium materia gaudiorum: quæ volumus
per curam dilectionis vestrae etiam ad fratres nostros Hi-
spaniæ episcopos peruenire, ut quod Deus operatus est
nulli esse possit incognitum. Data Kalendis Februarii,
Herculano viro clarissimo consule.

EPISTOLA
EVSEBII MEDIOLANENSIS
EPISCOPI AD LEONEM PAPAM.

Scribit se fidei eius, quam ad orientem direxerat,
assertioni cum aliis episcopis consentientibus
subscriptisse.

*Domino sancto & beatissimo patri Leoni, Eusebius
Mediolanensis episcopus.*

REVERSIS, Domino annuente, fratribus nostris, quos ad orientem fidei causa solcite prouida beatitudo vestra direxerat, decursisque literis, quas per eos tua sanctitas destinauit, omni exultatione in Christo reuelatus sum, quod effectum commissæ sibi legationis eosdem reportasse vestra pagina designauit. Nec mirum, quod Dominus noster Iesu Christus catholicæ fidei, quam teneamus, maiestatis suæ gratiam custodiamque præstiterit: quando vos veros cultus sui assertores in apostoli sui sede præfulem collocauit, qui & recta sentire de incarnationis dominicæ sacramento, & eadem potestis rectius custodire.

Admonitis ergo fratribus & coepiscopis meis, habitoque Conuentu, vestrarum formam tenuimus literarum. Nam recensens epistolam beatitudinis vestræ, in sacerdotum Domini Concilio, quam sanctus frater & coepiscopus noster Abundantius, & compresbyter meus Senator detulerant, agnitaque eorum narratione, sicut scripta vestra signauerant, rerum gestarum ordine continuo requisita est recitataq; epistola, quam fidei assertione plene digestam, ad orientem dudum sanctitas vestra transmiserat, quæ ad nos, ex vestra admonitione, sancto fratre & coepiscopo nostro Cyriaco mutuante peruenit, claruit eam plenam fidei simplicitate fulgere, prophetarum etiam assertionibus, euangelicis auctoritatibus, & apostolicæ doctrinæ testimonii, nitore quodam lucis ac veritatis splendore radiare, omnibusque sensibus conuenire, quos beatus Ambrosius, de incarnationis dominicæ mysterio, suis libris Spiritu sancto excitatus inseruit.

Et quia omnia maiorum fidei, nobis antiquitus traditæ, tota puritate conueniunt, domine sancte & beatissime pater, placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare, ut eos, qui impie de incarnationis dominicæ sacramento sentiunt, quamuis intellectus sui prauitate, a catholicæ fidei veritate receudentes, seipso dignos abiectione fecerint, suo etiam consensu, auctoritatis vestræ præcedente sententia, damnatione congrua persequendos. Literarum ergo vestrarum formam secuti, modum præscriptæ ordinationis nos seruasse, his per fratrem & coepiscopum meum Cyriacum missis ostendimus, supereft ut annuente Domino, perfectis rebus, palmam fidei & consummati certaminis coronam quiete perpetua retinentes, hoc futuris memorabile sœculis relinquatis, ut ab hoc tempore præsenti, extincta impia sectæ contumacia videatur, ut vobis propugnatoribus in æternum prostrata succumberet. *Et alia manu:* In columem beatitudinem tuam summa diuinitas adornet atque custodiat, domine sancte ac beatissime pater.

Ego Eusebius episcopus Mediolanensis ecclesiæ in omnia supradicta consensi & subscripti: anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Fuentius episcopus Regiensis ecclesiæ omnia supradicta consensi, & subscripti: anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Maioranus episcopus ecclesiæ Placentinæ in omnia suprascripta consensi & subscripti: anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Cyprianus episcopus ecclesiæ Brixillensis in omnia suprascripta consensi & subscripti: anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Quintus episcopus ecclesiæ * Dertonensis in omnia suprascripta consensi & subscripti: anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Crispinus episcopus ecclesiæ Ticinensis in omnia
P iiij

suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Maximus episcopus ecclesiæ Taurinatis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Floreius presbyter, iussus a præsente sancto Eulogio episcopo meo ecclesiæ Iporiensis, quia ipse propter infirmitatem subscribere non potuit, in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Gradus presbyter, directus ab episcopo Euthasio ecclesiæ Augustanæ, vice ipsius in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Cyriacus episcopus ecclesiæ Laodensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Abundantius episcopus ecclesiæ Comensis in omnia suprascripta consensi ac subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego idem Abundantius, pro absente sancto fratre meo Asimone, episcopo ecclesiæ Curiensis, vice ipsius in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Paschafius episcopus ecclesiæ Genuensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Pastor episcopus ecclesiæ Astensis, in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Simplicius episcopus ecclesiæ Nouariensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Ioannes episcopus ecclesiæ Cremonensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Octavianus episcopus ecclesiæ Brixianæ in omnia suprascripta consensi, & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Iustinianus episcopus ecclesiæ Vercellensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Quintius episcopus ecclesiæ Albingaunensis in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

Ego Præstantius episcopus ecclesiæ Bergomatis in omnia suprascripta consensi & subscripsi: anathema dicens his qui de incarnationis dominicæ sacramento impia senserunt.

EPISTOLA LIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD ANATOLIVM CONSTANTINOPOLITANVM

EPISCOPVM.

Gratulatur ei quod in Calchedonensi Concilio catholica fides, Eutychetis erroribus damnatis, explicata fuerit; deinde arguit, quod contra Nicænam Synodus Alexandrinam atque Antiochenam ecclesias sibi subdere voluisset.

Leo episcopus, Anatolio episcopo.

MANIFESTATO, sicut optauimus, per gratiam Dei lumine euangelicæ veritatis. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 3. num. 5.*

EPISTOLA LIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Gratias agit quod eius opera catholica fides in Calchedonensi Concilio exposita fuerit, Anatolii superbiam damnat.

*Leo episcopus Romanæ & vniuersalis ecclesiae,
Marciano Augusto.*

MAGNO munere misericordiæ, Dei totius ecclesiæ catholicae multiplicata sunt gaudia. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 3. num. 6.*

EPISTOLA LV.

LEONIS PAPÆ I.

AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

De ambitu Anatolii.

Leo episcopus urbis Romæ, Pulcheriæ Augustæ.

SANTIS & Deo placitis clementiæ vestræ studiis defensam contra hæreticos catholicam fidem, & vniuersæ ecclesiæ redditam pacem, ineffabiliter cum vestra pietate gaudemus: gratias agentes misericordiæ omnipotentis Dei, quod exceptis his, qui magis dilexerunt tenebras quam lucem, neminem passus est euangelica veritate fraudari: ut absterna erroris caligine, in omnium cordibus purissimum lumen oriretur, nec de infirmis quorumdam animis tenebrosus ille exultaret inimicus, quem non solum hi, qui illæsi steterant, sed etiam quos fecerat nutare, superauerunt: ut errore abolito, per totum mundum fidès vera regnaret, & omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Confirmato autem in unitate euangeli vniuerso mundo, & in eodem spiritu sensus directis cordibus omnium sacerdotum, optimum fuerat, supra illa, propter quæ sancta est Synodus congregata, & quæ secundum pietatis vestræ studium, probabili sunt fine conclusa, nihil quod tanto bono contrarium

rium esset, inferri, nec per occasionem episcopalis Concilii, id in commune appeti, quod non licuit concupisci.

Frater enim & coepiscopus meus Anatolius parum considerans, quanto pietatis vestrae beneficio, & mei fauoris assensu Constantinopolitanæ ecclesiæ sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adeptis gauisus, quam de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est, credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quod ei quorundam consensum præbuuisse dicitur extorta subscriptio, cum tam deftruendis mox contibus, contradic̄tio fratrum & coepiscoporum meorum vicem meam agentium, fideliter & laudabiliter obuiaret. Quoniam contra statuta paternorum Canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in vrbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur: ita ut si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat, quæ si (vt oportet) a cunctis pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de aliena usurpatione certamina: sed ea, quæ iure caritatis rationabilis est, & morum & officiorum seruabitur vnanimitas. Et ille vere erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: Et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de puſſillo volebant crescere, & de infimis ad summa transfire: Constantinopolitanæ vero præſuli ecclesiæ (quia amplius, quam aſſecutus est, concupiscit) quid illi satisfaciet, si tantæ vrbis magnificentia & claritudo non sufficit? Superbū nimis est & immoderatum, vltra fines proprios tendere, & antiquitate calcata alienum ius velle præripere, atque vt vnius crescat dignitas, tot metropolitanorū impugnare primatus, quietisque prouinciis, & olim sanctæ Synodi Nicænae moderatione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre, atque vt venerabilium patrum decreta soluantur, quorundam episcoporum proferre consensum,

Concil. Tom. 7.

Q

cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus fere annus huius iactantiæ esse iactatur, qua se prædictus episcopus æstimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiamsi quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtainere. Agnoscat cui successit viro, & repulso omni spiritu elationis, Flauiani modestiam, Flauiani humilitatem, quæ illum usque ad confessoris gloriam prouexit, imitetur. Cuius si velit splendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimum dilectionis acquires, non ambiendo humana, sed promerendo diuina. Hæc autem obseruantia vniuersiusque illi animum spondet copulandum, & apostolicæ sedis dilectionem, quam Constantinopolitanæ ecclesiæ semper impendimus, nulla mobilitate violandam. Quia si interdum immoderati præfules aliquas incident culpas, ecclesiarū tamen Christi integra gratia perseuerat. Confessiones vero episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicænam conditorum regulis repugnantes, vinta nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri apostoli, generali prorsus definitione cassamus, in omnibus ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium sacerdotum, per trecentos decem & octo antistites Spiritus sanctus instituit: ita ut etiamsi multo plures aliud, quam illi statuere, decernerent, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit a prædictorum constitutione diuersum.

Attende au-
toritatem
summi pô-
tificis Ro-
mani.

Prolixitatem itaque epistolæ meæ, qua necesse habui explicare quid sentiam, rogo ut per fratrem & coepiscopum meum Lucianum, qui (quantum in ipso est) solitudinem suscepit legationis est fideliter executus, & per filium meum Basilium diaconem pietas vestra dignanter accipiat. Et quia moris vestri est pro pace & unitate ecclesiæ laborare, fratrem meum Anatolium episcopum ex vestra insinuatione dilectum, salubriter in his, quæ ipsi profutura sunt, continete: ut gloria clementiæ vestræ, sicut magnificatur de fide reparata, ita prædicetur de ambitione compressa. Data undecimo Kalendas Iunii, Herculanu viro clarissimo consule.

EPISTOLA LVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD IVLIANVM EPISCOPVM COENSEM.

Conqueritur in Aetii locum Andream hæreticorum
consortio pollutum fuisse suffectum. In Anatolio fidei
feruorem desiderat: cupit se fieri certiorem de tumultu
a monachis in Palæstina excitato, de Antiochenæ ec-
clesiæ statu, & de sua ad Flauianum epistola: demum
ut Calchedonensis Concilii acta fideliter in Latinum
verti, & ad se perferri curet.

Leo episcopus Romæ, Iuliano episcopo Coensi.

AGNOVI in dilectionis tuæ literis fraternaliæ caritatis af-
fectum: quod de multis malis, quæ multa & sœua
pertulimus, pio nobiscum dolore compateris. Sed vtinam
hæc, quæ perpeti nos Dominus aut permisit aut voluit,
ad correctionem proficiant multorum, & vt desinant ad-
uersitates, finiantur offendæ. Quod vtrumque de magna
erit misericordia Dei, si & flagella remoueat, & ad se suo-
rum corda conuertat. Sicut autem fraternitatem tuam ea
quæ apud nos fuit contristauit hostilitas, ita me anxiū
facit, quod in Constantinopolitana ecclesia (quantum
tuæ indicant literæ) hæreticorum insidiæ non quiescunt:
& quæsitis occasionibus, hi qui catholicæ fidei defenso-
res fuere, vexantur. Nam dum Aetius ab officio archidia-
conatus perspeciem prouectionis amouetur, & in locum
eius Andreas, qui ob hæreticorum societatem fuerat ab-
iectus, assumitur, dum beatæ memoriæ Flauiani accusa-
toribus honor redditur, & piissimi confessoris participes
aut discipuli conteruntur, nimis aperte, quid episcopo
ecclesiæ ipsius placeat, demonstratur. In quem pro causæ
merito differo commoueri, & quid ipse mecum cum suis
epistolis agat, quas missurum eum filius noster Aetius in-
dicauit, expesto, dans locum voluntariæ emendationi,
qua dolorem meum cupio mitigari. Clementissimo ta-
men principi & piissimæ Augustæ de his, quæ ad custo-
diam pacis ecclesiasticæ pertinent, scripsi: quod deuotio-
ne suæ fidei prouisuros esse non dubito, ne contra gloriam

Concil. Tom. 7.

Q. ij

Anno Chri-
sti 455, qui
fuit annus
Pontifica-
tus S. Leo-
nis 14. fuit
scripta hæc
epistola, si-
militer &
n. sequen-
tes.

operis ipsorum, damnata hæresis queat pullulare.

Studeat ergo dilectio tua, frater carissime, piam & necessariam curam solicitudini apostolicæ sedis impendere, quæ tibi apud se nutrita catholicam, contra Nestorianos & Eutychianos hæreticos, actionem materno iure commendat, vt diuino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanæ vrbis opportunitate non desinas, vt prædictorum dogmatum impius nunquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum principum clementia, vt confidenter eis possis, quæ sunt insinuanda, sugerere, pietate ipsorum ad utilitatem ecclesiæ vniuersalis utaris. Consulente autem dilectione tua de his in quibus putaueris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ responsionis instrucción, vt sequestrata eorum actione, causa quæ in quibuscumque ecclesiis præfulum suorum debent cognitione firmari, hac speciali cura, vice mea functus utaris, ne hæresis Nestoriana vel Eutychiana in aliqua parte reuirescat: quia in episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est, nec multum aut pro sacramento salutis humanæ, aut pro sua est aestimatione solitus, cum si quid illi inesset spiritualis industriæ, ita & a quibus ordinatus sit, & cui viro successerit, cogitare deberet; vt magis beatum Flauianum, quam sui honoris sequeretur auctores. Et ideo cum piiissimi principes secundum obsecrations meas dignati fuerint fratrem Anatolium de his, quæ merito in querelam veniunt, increpare; videat caritas tua diligentia sua, vt vniuersa scandala, adhibita plenissima correctione, refescantur, & a filii nostri Aetii ccesset iniuriis. Nam apud catholicum episcopum, etiamsi erat vtcumque decus sacerdotale, sacerdoti archidiaconus propter fidei reuerentiam debuit præmitti potius quam locum catholici nequissimus hæreticus obtineret. Cum itaque quæ sequantur, agnouero, tunc manifestius, quid agi oporteat, aestimabo. Nam interim, dolore cohibito, malui indulgere patientiæ, vt locus esset venia.

De Palæstinis vero monachis, qui iampridem in tumultu dissensionis esse dicuntur, quo adhuc animo moveantur ignoro. Neque cuiusquam sermone mihi patefactum est, quas causas videantur ante factæ præferre dif-

cordiæ, vtrum scilicet Eutychianæ peruersitati tali furore famulentur, an implicabiliter doleant episcopum suum in hanc impietatem posse traduci, quæ contra ipsorum locorum sanctorum testimonia, quibus totus mundus instruitur, ab incarnationis dominicæ veritate descivierit, & quod in aliis per indulgentiam curare placuit, in illo putent non esse veniale. Vnde cupio me super his plenius edoceri, vt etiam talium correctioni congrue studeatur: quia aliud est contra fidem impie armari, aliud in errorem quempiā detineri. Chartas etiam, quas Actius presbyter ante indicauit esse directas, & breuiariū fidei, quod te mississe significas, ne cum ad me noueris peruenisse. Vnde, si expeditior occasio se præbuerit per latores, libēter habeo, vt si qua est, quæ vtilis videatur, quam primum ad me mittatur instructio. De Ægyptiis monachis quam quieti, aut cuius sint fidei, scire desidero, & de Alexandrinæ ecclesiæ pace quid ad vos veris nuntiis perferatur, ad cuius episcopum vel ordinatores ipsius, seu clericos, quod ^{* alias} alia scripta direxerim, missis exemplaribus scire te volui. Ad clementissimum quoque principem, & ad religiosissimam Augustam quis nunc meus sermo sit, missa exemplaria decebunt. Vtrum autem epistola mea, quam de incarnationis dominicæ fide, incolumi adhuc sanctæ memoriæ Flauiano, ad dilectionem tuam per Basiliū diaconem miseram, fraternitati tua tradita sit, scire desidero: quoniam suspectum habeo, quod de eius textu nullum vñquam iudicium reddidisti gestorum synodalium, quæ omnibus diebus Concilii in Calchedonensi ciuitate confecta sunt, parum clara propter lingua diuersitatem, apud nos habetur instructio. Et ideo fraternitati tuae specialiter iniungo, vt in vnum codicem vniuersa facias congregari, in Latinum sermonem absolutissima interpretatione translata, vt in nulla parte actionum dubitare possimus, neque ullo modo esse possit ambiguum quod ad plenam intelligentiam te fuerit studente perductum. Data quinto Idus Martii, Opilione viro clarissimo consule.

Q iij

EPISTOLA LVII.
LEONIS PAPÆ I.
AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Petit vt Anatolium, qui cum Aetium ab archidiaconatu amouerit, & catholicos infectetur, de fide male sentire suspicatur, increpet: commendat Julianum, cui ipse vices suas commisit.

Leo episcopus Marciano Augysto.

QVAM excellenti pietate, & quam glorioso clementia vestræ studio in integrum nuper fides Christiana reuocata sit, totus mundus agnoscit, & saluti suæ singulare præsidium per vos a Domino esse reparatum. At si quid aduersum tanti operis consummationem de contrario spiritu sentitur oboriri, necesse est vt ad vestræ reuocetur pietatis auxiliū, quod ad custodiam catholicæ veritatis diuina prouidentia præparauit: vt cum potestatis vestræ sit scandala etiam in longinquū nata refecare, multo magis ea quæ sub vestris audent oculis surgere, non finatis accrescere. Anatoli episcopi ordinationē (sicut scientia Dei testis est) suspe&tam (quod fatendum est) mihi fecerant consecrationis eius au&tores, nec dissimilem ab elegantibus arbitrabar ele&tum: secutumque est, vt dum communione apostolicæ sedis existeret alienus, diu dandis ad eum epistolis pacis me abstinerem. Sed cum illi pietatis vestræ testimonium suffragaretur, cum de fide atque vnanimitate eius optanda quæque & placitura promitteret, professionem eius ita credidi esse sinceram, vt tamen, qua obseruantia se agere deberet, non desinerem commonere, sedulo ipsi ac diligenter inculcans, vt de persecutoribus beatæ memorię Flauiani neminem auderet in suo habere confortio, & Eutychianæ hæreseos defensorē a se indicaret esse deie&tum. Secutumque est, vt de his, quæ pro catholicā fide in synodali Concilio fuerant definita, talia ad me scripserit, qualia catholicum sacerdotem scribere congruebat. Cum ergo ad commendanda ipsius primordia ista præcesserint, miror quid causæ aut occasionis emerserit, vt virum catholicæ fidei, & Nesto-

rianis atque Eutychianis hæreticis constanter etiam aduersum archidiaconem sub honoris specie degradaret, & dispensationum totius causæ & curæ ecclesiasticæ in Andrew Eutychianistam repente transferret, adeo nimia commotione turbatus, ut consecrationem, quam pro iniuria dabat, sexta sabbati traditionis apostolicæ aut ne- scius aut oblitus inferret: quasi non ad episcopum magis quam ad presbyterum ordinationis illius vitium pertine- ret, qui non inueniens quod argueret in fide, quod im- probaret in moribus, deiectionem innocentis per spe- ciem prouectionis impleuit, addens sententiæ illud iniuriæ, ut eum, cœmeterio deputando, condemnaret exilio. Quem tamen pietati vestræ commendare præsumo, ne vallis ulterius noxiis ingrauari possit insidiis, quem Domi- nus (vt comperi) sub vestrâ defensione constituit. Adii- cito autem etiam hanc obsecrationem, vt prædictum epi- scopum a professione sua dissonum, & nimium testimo- nii vestri ac fauoris oblitum, necessarie increpare digne- mini. Cesset catholicos insectari, cesset eos, qui sanctæ memoria Flauiano placuere, conterere, & eorum socie- tam, quos improbavit, eligere. Fraternam enim illi ca- ritatem non aliter poterimus impendere, quam vt se ab inimicis catholicæ fidei approbet execrari, eorumque a se consortium atque commercium abscondat: qui etiam si magna fuisset satisfactiōne purgatus, post dubium ta- men reuersus errorem, catholicis diaconibus postponi debuit, non præponi. Illud quoque clementiæ vestræ be- neuolentiam peto, vt veneratorem vestrum fratrem meum Iulianum episcopum, in vestro, sicut facere digna- mini, habeatis affectu: cuius obsequiis præsentia meæ vo- bis imago reddatur. Nam & de fidei eius sinceritate confi- dens, vicem ipsi meam, contra temporis nostri hæreticos, delegavi: atque propter ecclesiarum pacisque custodiam, vt a comitatu vestro non abesset, exegi: cuius suggestio- nes, pro concordia catholicæ unitatis, tamquam meas au- dire dignemini, placentes Deo, qui vobis præter regiam coronam, etiam sacerdotalem conferat palmam. Data

*quinto

*sexto Idus Martii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA LVIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

De Aetio & Andrea.

Leo episcopus, Pulcheriae Auguſtæ.

MVLTIS extantibus documentis, quibus in dilectio-
nem ecclesiæ Dei pietatis vestræ manifestatur affe-
ctio, merito quoties aliquid nascitur scandalorum, ve-
strum desideratur auxilium: vt fides quæ annitentibus
vobis contra hæreticorum commenta defensa est, secu-
ræ pacis perpetem obtineat firmitatem. Nam quid prod-
est, foris aduersarios veritatis oppressos, si eosdem ha-
beamus intra dominica septa rediuiuos? Quod itaque cir-
ca personam filii mei Aetii gestum esse cognoui, nimium
me anxious facit, & metuere certa ratione compellit, ne
pœnitendum mihi sit, quod de episcopo Constantinopo-
litano, qui ab impugnatoribus fuerat ordinatus fidei, vo-
bis adhortantibus, acquieui meliora sentire, cum tanto
pietatis vestræ testimonio iuuaretur, ne illum grauaret
suæ ordinationis infirmitas, ybi vestra interuentio præsta-
retur. Vnde gratulari cœperam, quod beati Flauiani ho-
noraret memoriam, & hæreticorum conatibus obsistere
diceretur. Sed doleo, illum (sicut prædicti lacrymabilis
querela demonstrat) in deteriora mutatum, & eum nunc
constituisse archidiaconem, quem ipse professus est a se
esse reiectum, qui Eutychianæ hæreſeos se apud nos pro-
diderat defensorem. Quem quia nunc ecclesiasticis ne-
gotiis præposuit, propter hæreticam peruerſitatem, ei-
dem fauorem suum præſtare conuincitur. Qui etiamſi
magna ſatisfactiōne potuifſet indulgentiam promereri,
nequaquam debuit his, qui in fide permanerant, ante-
ferri. Vnde quia non latet clementiam vestram, quantum
periculi, aut per pudendam ſocordiam, aut per dolofam
nequitiam nutriatur, dignamini episcopum ad professio-
nem suæ fidei auctoritate vestræ clementiæ reuocare. Et
ne ſibi has maculas ſuperducat, ne æſtimationem ſuam,
quam veftro acquisiuit fauore, contemnat, ſocietatem
hære-

hæretici, quem dudum a se remouit, abscondat. Cuius innocentia vos ita adfuisse gaudeo, ut moerori eius digna consolatione vestra pietas subueniret. Circa fratrem meum, veneratorem vestrum Iulianum episcopū, quantum debeat crescere vestra dignatio, apostolicæ sedis existimare iudicio: cum in causa fidei, cui gloria vestra famulatur, vicem ipsi meam eatenus delegarim, ut ab ea, quæ vobis debetur obseruantia, non recedens, pietati me vestrae præsentare non desinat, exequens in custodia fidei, & in ecclesiasticis disciplinis per omnia solitudinem, & opportunis suggestionibus, quod vniuersali ecclesiæ proficit, insinuans, ut in ipso, nec catholicis vestrum præsidium, quibus volumus subuenire, nec vobis meum desit obsequium. Data sexto Idus Martii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA LIX.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Gratias agit, quod per Calchedonense Concilium
pax ecclesiæ catholicæ sit redditæ.

Leo episcopus Marciano Augusto.

MVLTAM mihi in omnibus clementiæ vestrae literis cau-
sa gaudii est, dum ex magna diuinæ prouidentiæ mi-
sericordia præstatum humanis rebus experior, quod ec-
clesiasticam pacem (quæ non nisi vnitate prædicationis
euangelicæ custoditur) piissimo studio iuuare dignamini:
ut fidei vestrae gloria non solum vtilitate reipublicæ, sed
etiam religionis profectibus augeatur, gloriosissime im-
perator. Vnde ineffabiliter Deo gratias ago, qui eo tem-
pore, quo oboritura hæreticorum scandala præsciebat,
in imperii fastigio collocavit: in quibus ad totius mundi
salutem, & regia potentia, & sacerdotalis vigeret in-
dustria. Nam cum vestro præcipue opere sit effectum, ut
per synodale Concilium, damnatis impii dogmatis defen-
soribus, omnes vires sacrilegus error amitteret: ad eius-
dem deuotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis
ducibus est oppressum, etiam in quibuscumque reliquiis
deleatur. Quod facilius clementia vestra arbitretur im-
plendum, si per vniuersas ecclesias, definitiones sanctæ

Concil. Tom. 7.

R

Synodi Calchedonensis , apostolicæ sedi placuisse docentur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium subscribendo consensus acceſſerit , quæ ad me secundum formam apostolicæ doctrinæ ac paternæ traditionis emissa est , & per fratrem meum Lucianum episcopum talia & ad gloriam vestram , & ad Constantinopolitanum antistitem scripta direxerim , quæ euidenter ostenderent, me ea quæ de fide catholica in prædicta Synodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eiusdem literis ea , quæ per occasionem Synodi male sunt attentata, reprehenderam, maluit prædictus antistes meam gratulationem tacere, quam suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciae, Deo per vos operante , collatum est, quod probasse vos obſeruantiam meam de custodia Canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicastis. Et merito geminatur gaudium meum, cum vobis religiosissime placere cognosco , vt & fides Nicæna suam teneat firmitatem, & priuilegia ecclesiarum illibata permaneant. Quamuis autem de præclaro fidei vestræ ope re nihil vestra pietas indicarit , mihi tamen per veneratorem vna mecum specialiter vestrum , fratrem meum Iulianum episcopum, innotuisse significo , quam pio dignati fueritis responſo imperitorum monachorum animos cohibere pariter & docere , vt si illos non penitus deferruit diuina misericordia , sentiant se & didicisse quod credant , & agnouisse quod timeant. Quia vero omnibus modis obediendum est pietati vestræ religiosissimæque voluntati, constitutionibus Synodalibus , quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ , & hæreticorum damnatione placuerunt , libens adieci ſententiam meam. Quæ vt in notitiam omnium sacerdotum ecclesiarumque perueniat, vestræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur: ad futuram credo & spero gratiam Dei, quæ tam sanctam tanti principis curam plenissimum desiderii ſui fructum faciat obtinere: vt omnibus diſſentiendi occaſionibus amputatis, apostolicæ vbiq[ue] doctrinæ & pax regnet & veritas. Fratri autem meo Iuliano episcopo, nouerit vestra clementia , hoc me proprie delegasse, vt quidquid illic ad custodiā fidei pertinere probauerit, meo nomine vestræ fiducialiter ſuggerat pietati: quoniā certus sum, vos

ad hæc omnia emendanda vel defendenda, Deo auxiliante, sufficere. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opilio-ne viro clarissimo consule.

EPISTOLA LX.

LEONIS PAPÆ I.

AD PVLCHERIAM AVGVSTAM.

Laudat eam quod quorumdam monachorum cohibuerit
insaniam, eademque subdit quæ imperatori
scripserat.

Leo episcopus, Pulcheriæ Augustæ.

QVAMVIS nullas nunc literas tuæ pietatis acceperim, scribente tamen glorioſiſſimo principe, non aliter dignatione ipsius ſum gauifus, quam ſi mihi etiam tuæ ſerenitatis redderentur alloquia. Vnde confuetudinem debitam mei officii oportuit me custodire, per quam ſignificarem clementiæ veſtræ, absolute me gaudere, & incessabilibus a Deo precibus poſtulare, vt vos, & Romanæ reipublicæ, & catholicæ ecclesiæ in omni proſperitate conſeruet. De vigore autem fidei veſtræ quo indeſinenter Domino ſacrificium laudis offertis, quantas Deo gratias agam, enarrare non valeo: quoniam principibus temporis noſtri non ſolum potentiam regiam, ſed etiam ſacerdotalē cognoscimus in eſſe doctrinam. Indicante enim fratre meo Iuliano episcopo, peruenerunt ad nos in exēplaribus præceptionum veſtrarum ſaluberrimæ ſanctiōnes, quibus insaniam imperitiam monachorum dignati eſtiſ par- cendo plectere, & docendo punire: vt ſi eos ad poenitentiam miſeratio diuina conuerterit, multis lacrymis, & a nefandis cædibus, & ab hæreticorum blaſphemias diluantur. Quod vero piissimus imperator ad omnes episcopos, qui Calchedonensi Synodo interfuere, voluit me ſcripta dirigere, quibus, quæ illic de fidei ſunt regula definita, firmarem, libenter impleui; ne fallax cuiusquam ſimulatio ſententiā meā vellet haberi incertam, cum per Constantinopolitanum episcopum, cui lætitiam meam lar- giter indicaui, in omnium potuerit notitiam peruenire, quod ſcripferam, niſi maluifet meum gaudium tacere,

Concil. Tom. 7.

R ij

quam repulsam sui ambitus publicare. Fratri & coepisco-
po meo Iuliano , cui solicitudinem meam in causa fidei de-
legauit, rogo ut eam fiduciam præbere dignemini, qua
pietati vestræ possit, quæ vniuersali ecclesiæ sint profu-
tura, suggerere. Data duodecimo Kalendas Aprilis, Opi-
lione viro clarissimo consule.

EPISTOLA LXI.

LEONIS PAPÆ I.

AD IVVENALEM HIEROSOLYMITANVM,
ET CETEROS EPISCOPOS,
qui in sancta Synodo Calchedonensi congregati fuerunt.

Scribit se, quæ de incarnatione in Calchedonensi Conci-
lio decreta fuerunt , confirmasse; vtque ei & ceteris
episcopis hoc innotescat, se rogasse imperatorem, vt li-
teras suas ad illos perduci curet.

Leo episcopus, sanctæ Synodo apud Calchedonem habitæ.

OMNEM quidem fraternitatem vestram nosse non
ambigo. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 3.
num. 16.*

EPISTOLA LXII.

LEONIS PAPÆ I.

AD MAXIMVM ANTIOCHENVM
EPISCOPVM.

Confutat errores Eutychetis & Nestorii , eum ad fidei
defensionem hortatur, & quæ contra Nicæni Con-
cilii Decreta statuta sunt, nulla declarat.

*Leo catholicæ ecclesiæ episcopus , Maximo carissimo fratri
episcopo Antiocheno.*

QVANTVM dilectioni tuæ placeat communis fideisa-
cratissima vnitas , & pacis ecclesiasticæ tranquilla
concordia. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 3.
num. 17.*

EPISTOLA LXIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD THEODORICVM EPISCOPVM CYRI.

Scripta post Calchedonense Concilium, de fidei
perseuerantia.

Dilectissimo fratri Theodorico episcopo, Leo episcopus.

REMEANTIBVS ad nos fratribus, & confacerdotibus nostris, quos ad sanctum Concilium sedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuam, superno adiutorio nobiscum, tam Nestorianæ impietatis, quam Eutychianæ vesaniæ, extitisse viðricem. Vnde gloriamur in Domino cum Propheta canentes : *Adiutorium nostrum in psal. 113. nomine Domini, qui fecit cælum & terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit : sed quæ nostro prius ministerio definierat, vniuersæ fraternalitatis irretractabili firmauit assensu, vt vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset: vt in hoc quoque capiti membra concordent, in quo amplius nobis accrescit gaudendi materia, dum & tanto magis se percutit inimicus, quanto contra Christi ministros saeuus surrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam, quam ceteris omnium Dominus statuit præsidere, consensus assentationis videretur, aut alia quælibet subrepere posset aduersa suspicio, inuenti prius sunt, qui de iudiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli, diffensionum incitatî auðtore, ad contradictionis bella profiliunt, ad maius bonum, malum eius, auðtore totius bonitatis dispensante, peruenit. Dulcius siquidem munera gratiæ diuinæ proueniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Et minus bonum videri solet, pax continuata per otium, quam redditâ post laborem. Ipsa quoque veritas & clarus renitescit, & fortius retinetur, dum quæ fides prius docuerat, hæc postea examinatio confirmaret. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, vbi sic summorum seruatur auðtoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem Dei gloriam*

R iii

proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exercendi fiducia, vt vincatur aduersitas, ne quod per se probatur reprobum, silentii præiudicio videatur oppressum.

Exulta igitur, carissime frater, & in vnico Dei filio vi-
ctor exulta. Vicit per nos ille, cuius carnis veritas negabatur: vicit per nos & pro nobis ille cui vicimus: per quem secunda est post aduentum Domini hæc orbi festiuitas. Redditum sæculo est, prædone prostrato, incarnationis diuinæ mysterium: quod humani generis inimicus quia rebus ipsis auferre non poterat, calumniis obscurabat. Quinimo ab incredulorum corde perierat immortale mysterium, quia nihil prodest tanta salus incredulis, ipsa veritate suis dicente discipulis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur.* Solis iustitiæ iubar, densis per orientem Nestorii & Eutychis nebulis impeditum, pure ab occidente resplenduit, ubi culmen in apostolis & doctoribus principaliter collo-
cauit: quamuis nec illic vñquam defuisse credendus sit, quo confessores sibi egregios referuauit, ita vt dum denuo conaretur hostis antiquus per secundi Pharaonis imponitens cor, fidei Abrahæ semen, & filios repromis-
sionis extinguere, Deo miserante languescens, nisi sibi nocere, nihil posset. De quo & illud omnipotens mirabilius egit, quia & quos sibi socios ad Israelitici populi cædes adsciuerat, non cum tyrannidis auctore submersit, sed cū suo populo congregauit. Et sicut reuera se dignum, & soli sibi possibile fons misericordiæ nouerat, victos a nobis, nobiscum fecit esse viatores. Nam dum solus vere fit humani generis hostis spiritus falsitatis, omnes de illo iam triumphare non dubium est, quos sibi veritas vindicauit. Nunc prorsus illa redemptoris nostri dicta, quam sint diuinæ auctoritatis, apparent: dum contra hostes fidei sic ap-
tantur, vt de ipsis dubitare dicta non liceat: *Vos, inquit, ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis implere. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. Quando loquitur mendacum, ex suis propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.*

Nihil ergo mirandum est, quod hi, qui in veritate Dei nostræ naturæ mendacium, crediderunt, patri suo & circa ista concordant, quidquid visum, quidquid auditum,

Marc. 16.

Iohn. 8.

quidquid denique (teste euangelio) tactum est atque palpatum in vnico Dei filio, non eius comprobatum esse afferentes, sed coæternæ & coessentialis Patri fuisse substatiæ, quasi aut diuinitatis natura, crucis ligno transfixa sit, aut inconuertibilis crescere per ætates, & in sapientia proficere sapiëtia sempiterna, vel Spiritu Dei, qui Spiritus est, subinde repleri potuerit. In hoc quoque se acerba vesania, ex quo auctore processerit, prodit; quod quantum in se est, universis nocere molita est. Nam qui nos persequedo afflitit, ceteros ad consensum sceleris impellendo deprauavit. Sed nec nos, licet in singulis fratribus (quia membra nostra sunt) vulnerasset, a speciali dolore fecit exceptos: quibus noua & inaudita atque incredibili audacia inferre contra suum caput est molitus iniuriam. Sed utinam vel post tot pessima resipiscens, non nos etiam de suo æternæ damnationis interitu contristaret. Quam mensuram sceleris prætermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quod nec viuis parcendo, nec mortuis, etiam in sanguine innocentis & catholici sacerdotis, pollutas iampridem, abdicata veritate, atque approbata falsitate, manus intinxit? Et cum scriptum sit: *Qui odit fratrem suum, homicida est;* ^{1. Ioan. 3.} ille, quod odio iam fecisse dictum est, impleuit operibus, quasi nec audisset illud, quod Dominus ait: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, & onus meum leue est.* Dignus diabolici prædicator erroris, Ægyptius vastator inuentus est: quia tamquam sœuissimus tyranus, ecclesiæ nefandas blasphemias per violentam seditionis forum turbam, & per cruentas manus militum venerandis fratribus imponebat. Et cum voce redemptoris nostri firmatum ^{Ioan. 8.} sit, vnum eumdemque homicidii esse & falsitatis auctorem, ille pariter utrumque compleuit: quasi non ut caueantur, sed ut perpetrentur, scripta sint, ad perditionis suæ cumulum trahens, quæ Dei filius monuit ad salutem. Illud quoque surda nimis aure præteriens, quod ab eodem Domino dictum est: *Ego quod vidi apud Patrem meum, ibidem. loquor, & vos quod vidistis apud Patrem vestrum, facitis.*

Igitur dum sanctæ memoriae Flauiano vitæ præsentis scæculi moliretur auferre, se verae vite luce priuauit. Dum vos ab ecclesiis vestris conaretur expellere, se a Christianorū

collegio segregauit. Dum trahit plurimos , & impellit ad erroris assensum , multipli animam suam vulnere sauciauit; solus vltra omnes & per omnes ac pro omnibus reus , qui causa reatus omnibus fuit. Sed licet his tua fraternitas , solido cibo firmata, indigere minime videatur ; tamen ut quod nostri loci est impleamus circa vocem dicentis Apostoli : *Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, dicit ego non infirmor? Quis scandalizatur, dicit ego non vor? hoc præcipue præsenti occasione credimus admonendum , frater carissime , ut quotiescumque diuina gratia administrante, illos, qui foris sunt, fonte doctrinæ aut submergimus , aut purgamus , in nullo ab illis , quas Spiritus sancti diuinitas in Calchedonensi Concilio protulit, fidei regulis recedentes , inter utrumque hostem nouellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela *libremus: non iam (quod absit) tamquam de dubiis disceptantes , sed auctoritate sua, quæ bene definita sunt, adstruentes: cum & in apostolicæ sedis epistola , vniuersalis sanctæ Synodi assensu firmata, tanta diuinæ auctoritatis testimonia nouerimus esse congregata, ut nullus queat vterius dubitare, nisi qui sibi met ipsi errorum tenebras inferre maluerit: cum synodalia gesta , vel quibus primum definitio fidei legitur esse formata, vel quibus præfatae literæ apostolicæ sedis, etiam tuæ fraternitatis studio defensæ sunt, & maxime ad piissimos principes totius Concilii allocutio , tot sit præcedentium patrum testimentiis roborata; ut quamvis imprudenti ac pertinaci animo , si tamen non iam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, valeant suadere.*

Vnde hoc quoque nos contra hostes ecclesiæ prouidere condignum est, ut eis nullam calumniandi occasionem (quod ad nos attinet) penitus relinquamus, nec vñquam contra Nestorianos aut Eutychianos agentes, alteri eorum videamur terga vertisse, sed utrosque Christi hostes æqua lance vitemus atque damnemus: ita ut eos, quoties audientium quantilibet poscit utilitas , cum dogmatibus eorum digno anathemate promptissime atque euidentissime feriamus, ne si hoc a nobis aut obscurius fieri videatur, aut tardius, putetur inuitum. Quod quamvis prudentiam tuam res ipsa admonere sufficiat, nunc tamen

men & experimenta docuerunt. Sed benedictus Deus noster, cuius invincibilis veritas ab omni heresieos macula mundum te, secundum sedis apostolicæ iudicia, demonstrauit. Cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probauimus ac probamus, pro vniuersalibus ecclesiæ defensione seruaueris. Nam quod Deus omnium calumniosorum fallacias soluit, maximam beatissimi Petri curam pro nobis cunctis agnoscimus, qui postquam suæ sedis iudicium in fidei definitione firmauit, nec circa cuiusquam vestrum, qui nobiscum pro catholica fide laboratis, personam, quidquam reprobum videri permisit: quia nec poterat, Spiritu sancto iudicante, quisquam ex eis non viator existere, quorum iam vicerat fides.

Quod supereft, exhortamur, ut quia illic nonnullas Eutychiani ac Nestoriani erroris reliquias cognouimus remansisse, nunc etiam sedi apostolicæ collaborare. Victoria enim quam Christus Dominus Deus noster suæ donauit ecclesiæ, quamdiu in hoc mundo versamur, licet fiducia maiorem tribuat, non tamen in totum solicitudinem permit: nec ut dormiamus donata est, sed ut suauius laboremus. Vnde in hoc quoque tuæ vigilantiæ solicitudine volumus adiuuari, ut tua relatione currente, quid apud illos religionis doctrina dominica proficiat, apostolicam sed festines instruere; quatenus illius religionis sacerdotes, in quocumque usus exegerit, adiuuemus. De his vero, quæ in supradicto Concilio illicita, contra venerabiles Nicænos Canones, præsumptione tentata sunt, ad fratrem & coepiscopum nostrum Antiochenæ sedis præsulē scripsimus: adiuentes & illud, quod nobis propter improbitatem monachorum quorumdam regionis vestræ verbo mandastis per vicarios nostros, & hoc specialiter statuentes, ut præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, seu monachus, siue ille sit laicus, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur. Quas tamen literas, pro utilitate vniuersalibus ecclesiæ, per prædictum fratrem & coepiscopum nostrum Maximum, ad omnium volumus peruenire notitiā: & ob hoc hic nolumus earū exemplar adiicere, quia quæ prædicto fratri & coepiscopo nostro iniunximus, non dubitamus implenda. Et alia manu: Deus te incoluē custodiāt, frater carissime. Data iv. Idus Iunii, Opilione v.c. col.

Concil. Tom. 7.

S

16. q. 1. Ad-
iiciimus il-
lud.

EPISTOLA
PASCHASINI LILYBETANI
EPISCOPI AD LEONEM PAPAM.

Respondet pontifici, quo tempore ipse sentiat Pascha esse
celebrandum, & miraculum affert ad suam
sententiam firmandam.

*Domino vere beatissimo ac apostolico, mihique post Dominum plu-
rimum colendo papæ Leoni, Paschasinus episcopus.*

APOSTOLATVS vestri scripta diacono Panormitanæ ecclæsiæ Silano deferente percepí, quæ nuditati meæ atque ærumnis, quas amarissima captiuitate faciente incurri, solatum in omnibus atque remedium attulerunt: cælesti rore animum recreantes, atque omne quod triste fuerat, abstergentes, domine venerabilis papa. Iubere dignata est corona vestra, vt quod paschalis supputationis veritas anni post hunc futuri haberet, sacrosanctis auribus vestris exiguitas mea intimaret. Cui præcepto pio inobedies existere non potui omnino, nec debui. Diutino itaque tractatu, vel ratiocinatione id verū inuenimus quod ab Alexandrina ecclesiæ antistite beatitudini vestræ rescriptum est. Nam cū Romana supputatione, quæ cyclo concluditur, cuius ipse, de quo agitur, erit sexagesimus quartus annus, qui cyclus cœpit a consulatu Antonini & Syagrii, nobis dubietatem afferret, eo quod septimo Kalendarum Aprilium die, dies dominica, & luna vigesimaprima incurreret, & iterum nono Kalendarum Maiorum die (vt rei veritas habet) dominica dies, & luna decimanona obueniret: in hoc ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum, hoc est legalem supputationem nos conuertimus, quæ cum a Romanis ignoratur, facile errorē incurrit. Cœpit ergo ogdoas a consulatu virorum clarissimorū Aetii iterum & * Sigif-
mildi, quæ clauditur anno de quo quæstio videtur exorta. Talis ratio hæc est. Priores vero anni cōmunes, tertius embolismalis, quartus & quintus communes, sextus embolismalis, septimus communis, octauus embolismalis. Peruidet ergo apostolatus vestri prudentia, octauum annum ogdoadis fieri aliter non posse, nisi embolismū teneamus.

* Sigif-
mildi

Quod si voluerimus illud, quod superius diximus, id est, quod primum incurrit, Pascha septimo Kalendarum Aprilium die celebrare, communem annum faciemus, & incipiet omnis deinceps subsequentium annorum suppeditatio vacillare. Et ne hoc, quod exposui, beatitudini vestrae obscuritatem aliquam afferat, suggestimus communnes annos, apud Hebræos duodecim tantum menses, hoc est, dies 354. habere. Necessitate ergo embolismi cogimur id tenere quod longius est, ne a vero deuiare videatur. Neque nobis aut nouum, aut erraticum videatur, cum dies passionis vndeclimo Kalendas Maii occurrat, a qua (sicut videtur) Pascha nomen accepit: licet Hebrææ linguae interpres tradant Pascha transitū dici, quod tam idem & Ioannis euangelistæ dicto firmatur, quo ait, cum de passione loqueretur: *Cum venisset hora, ut transiret Iesus de hoc mundo ad Patrem.* Non ergo nos dies vna longius posita terreat, ne cum hoc vitamus, incurramus errorem, sicut tempore beatæ recordationis domini mei prædecessoris vestri Zosimi, anno consulatus Honorii Augusti XI. & Constantii secundo. Tunc enim, cum declinaretur, ne decimo Kalendas Maii dies Paschæ teneretur, celebratum octauo die Kalendas Aprilis, id est, pro embolismo communis est annus tentus, & error grauissimus est ortus, in tantum, ut ministerio certo, quod dono sancti Spiritus ministratur, hæc veritas probaretur. Quod propterea credidi exponendum, quia locus ipse etiam sancto atque a me venerando fratri meo Libanio diacono notissimus est. Cuius mysterii miraculum tale est: *Quædam vilissima possessio Meltinas appellatur, in montibus arduis ac siluis densissimis constituta, illicque perparua atque vili opere constructa est ecclesia. In cuius baptisterio nocte sacrosancta paschali, baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur, paucisque qui fuerint consecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex se descendit.* Tunc ergo (sicut supra diximus) cum sanctæ memoriae domino quondam meo ac beatissimo papa Zosimo, cum apud occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus nocte sacra discussis, cum presbyter secundum morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non ve-

Concil. Tom. 7.

S ij

niente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Ut ergo breuiter narrem, illa nocte, quæ luce sciebat in diem dominicam, decimo die Kalendas Maii fons sacer hora competenti repletus est. Evidenti ergo miraculo clariuit, occidentalium partium fuisse errorem. Hæc prout potui, vel epistolaris breuitas passa est, iubente apostolatu vestro rescripsi.

EPISTOLA LXIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGVSTVM.

De Pascha.

Leo episcopus, Mariano Augusto.

TAM multis documentis per omnes Christi ecclesias fidem vestræ pietatis innotuit: ut si quid solicitudinum pro communi religione generatur, merito vestrum queratur auxilium. Et quia memor dispensationis mihi credita, neesse habeo curas meas etiam in ea, quæ sunt futura, præmittere: non improbe cupio clementiæ vestræ studiis adiuuari, ut in ea obseruātia, quæ certa semper ratione variatur, nihil possit erroris incurri. Paschale etenim festum, quo sacramentum salutis humanæ maxime continetur, quamuis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est Lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumque sacratissimæ diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque quod non licet, ut non simul omnis ecclesia, quod non nisi unum esse oportet, obseruet. Studuerunt itaque sancti patres occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino episcopo delegates: quoniam apud Ægyptios huius suppurationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam, qui annis singulis dies prædictæ solennitatis eueniret, sedi apostolicæ indicaretur, ut huius scripti ad longinquiores ecclesias iudicium generaliter percurreret. Sed sanctæ memoriae Theophilus Alexandrinæ ecclesiæ episcopus, cum huius obseruationis annos centum numero collegisset, septuagesimo sexto paschale festum longe aliter quam alii decreuerant tenendum esse constituit, a primo augustæ memoriae Theodosii senioris consulatu succedentes si-

bi sacræ obseruantiaæ ordines ponens: vt longioris temporis ratio eius literis teneretur adscripta, cuius complexionis septuagesimus & quartus est annus, in qua pridie Idus Aprilis sanctum Pascha celebrauimus: sequenti vero anno pridie Nonas Aprilis eadem, propitio Deo, erit habenda festiuitas, sicut regulariter centenariae annorum rationis ordo declarat. Sed in anno, qui erit septuagesimus sextus, Paschæ dies inuenietur adscriptus, quem a passione Domini nullius exempli, nullius constitutionis admittit auctoritas. Nam diem octauum Kalendarum Maiarum ab eo cognoscimus præfinitum, qui anni limitem antiquitus constitutum excedit: cum alii quinto-decimo Kalendarum Maiarum huic festiuitati deputauerint diem. Siquidem ab undecimo Kalendarum Aprilium, usque in *decimum Kalendarum Maiarum, legitimum spatium sit præfinitum. Intra quod omnium varietatum necessitas concludatur: vt Pascha dominicum, nec prius possimus habere, nec tardius. Quod enim in decimum, & in nonum Kalendarum Maiarum videtur non-nunquam peruenisse festiuitas, quadam ratione defenditur. Quia etsi dies resurrectionis ultra terminum videatur exisse, dies tamen passionis limitem positum non inuenietur egressus. Ad octauum autem Kalendarum Maiarum paschalem obseruantiam perducere, nimis infolens & aperta transgressio est.

Quia ergo in illa, ut dixi, centenaria supputatione Theophili, septuagesimus sextus annus diem Paschæ contra morem ecclesiasticum statuisse monstratur, & non leuiter delinquitur, si in principio sacramenti veritas & unitas ab vniuersali ecclesia non tenetur: obsecro clementiam vestram, ut studium vestrum præstare dignemini, quatenus Ægyptii, vel si qui sunt alii, qui certam huius supputationis videntur habere notitiam, scrupulum huius solitudinis absoluant, ut eum diem generalis obseruantia dirigat, qui nec paternarum constitutionum normam relinquit, nec ultra præfixos terminos euagetur. Quidquid autem pietas vestra de hac consultatione cognoverit, ad meam iubeat mox notitiam peruenire: ut in diuinis mysteriis nulla dissonantiaæ culpa nascatur. Data xvi. Kalendas Iulii, Opilione viro clarissimo consule.

S iij

*undeci-
mum

LEONIS PAPÆ I.

EPISTOLA LXV.

LEONIS PAPÆ I.

AD EVDOCIAM AVGVSTAM.

De Pascha.

*Leo Romanæ & uniuersalis ecclesiæ episcopus, Eudociæ
Augustæ salutem.*

SANCTÆ memoriae Theophilus ad Augustum Theodosium seniorē scribens, per centum annos, a primo prædicti principis consulatu, digessit ordinem diei festi, cuius instructionis septuagesimus quartus nūc annūs euoluitur Opilione consule. Pridie Idus Aprilis celebrata est sacra solennitas, vnde sequenti anno, pridie Nonas Aprilis, eadem festiuitas rationabiliter consequitur. Sed annus, qui erit septuagesimus sextus, memorati episcopi annotacionem habere cognoscitur, quæ a totius antiquitatis exemplo, & ab omni auctoritate patrum discordat. Siquidem in octauum Kalendarum Maiarum dominicum Pascha transtulerit, præfinitos antiquitatis limites nimis audenter excedens, cum die quintodecimo Kalendarum Maiarum paschalem solennitatem (sicut cōstituere alii) potuerit annotare. Vnde quia non mediocris mihi solicitude generatur, ne apud Aegyptios hæc persuasio probaretur, ad Christianissimum & clementissimum principem scripta direximus, quibus causam scrupuli diligenter exposui, & suppliciter postulaui, vt operam suam, quemadmodum consuevit, religionis cultui dignanter impendat, vt eos, qui huius suppurationis perfectam videntur habere notitiam, in vnum iubeat conuenire, & diligenter inquirere, ne forte hæc definitio teneatur, & hic excessus, qui prioribus videtur repugnare temporibus, nostræ conniuentiæ, vel negligentiæ deputetur, & fiat in nostris diebus, quod nunquam ante præsumptum est. Quia vero oportet serenitatem tuam curæ istius mecum esse participem, & ne quid tale accidat, præcauere; crebrius religiosissimo & fidelissimo principi dignare suggerere, vt indissimulanter iubeat Aegyptios admonere, ne in summa festiuitatis die, aut dissensione aliqua, aut transgressione peccetur. Quid-

quid autem de hac re diligentius inuestigare solicitude vestra potuerit, cito ad notitiam meam gloriosissimus imperator iubeat peruenire: quia & ad ipsius & ad omnium salutem pertinet, ut Dei cultus nullo errore lœdatur. Data sextodecimo Kalendas Iulii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA LXVI.
LEONIS PAPÆ I.
AD EUDOCIAM AVGVSTAM.

Agit cum ea, ut Palæstinorum monachorum mentes hæretica prauitate pollutas, curet emundari, & si aliquid perfecerit certior fieri cupit.

Leo episcopus, Eudociae Augustæ.

QVANTA mihi catholicæ cura sit fidei, & qua sollicitudine, in quantum Dominus adiuuat, debeat præcaverti, ne vñquam ab imperitis & impiis veritatis euangelio resistatur, pietatem vestram scire non dubito. Et ideo cum salutationis officio, quo semper mihi est vestra orāda clementia, obsecro Dominū, ut me tuam incolumitatem in causa fidei, in qua quorundam intra prouinciam Palæstinam monachorum fuerant corda turbata, magis magisque faciat adiuuare, ut tantum, quod pietatis tuæ studio fieri potest, hæreticæ peruersitati omnis fiducia subtrahatur. Quos enim nec ratio sacramentorum, nec autoritas scriptorum, nec ipsa sacratorum locorum testimonia commouebant, quid eis nisi abruptum periculum timeretur? Profit ergo ecclesiis, sicut (fauente Deo) & prodest, & profit generi humano, in verbis Dei vestram ibi esse voluntatem, vbi Dominum nostrum Iesum Christum vobis sicut verum Deum, & verum quoque hominem, in vnitate personæ, & mirabilium indicia, & passionum documenta, loquuntur. Si ergo prædicti nomen catholicum venerantur & diligunt, & inter Domini corpus se volunt membra nominari, prauos errores, quos temere admiserant, detestentur, & agant pœnitentiam impiorum blasphemiarum, cruentorumque factorum. Succumbant pro salute animarum suarum synodalibus, quæ

in ciuitate Calchedonensi sunt confirmata, Decretis. Et quia ad intelligendum sacramentum salutis humanæ, nisi fides vera, & humilitas quieta non peruenit, credant in euangeliō, quod confitentur in symbolo, nec impiis dogmatibus misceantur. Fides enim catholica sicut damnat Nestorium, qui in vno Domino nostro Iesu Christo duas ausus est prædicare personas, ita damnat etiam Eutychen cum Dioscoro, quod ab vnigenito Deo Verbo negat in vtero Virginis matris veritatem carnis humanæ suscep-tam. Si quid autem erga prædictorum conuer-sionem exhortatio vestra profecerit, quod gloriam vobis præsta-bit æternam, peto hoc mihi clementiæ vestræ literis indi-cetis, vt & in vobis boni operis fructum, * & illis gaudeam ^{* & in} misericordiam Domini non periisse. Data septimo Kalen-das Iulii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA LXVII.
LEONIS PAPÆ I.
AD IVLIANVM EPISCOPVM COENSEM.

Vult de statu fidei admoneri, & Canones obseruari.

Leo episcopus, Iuliano Coensi episcopo.

FREVENTISSIME * dilectionem tuam ad hanc cu-
ram & diligentiam meis sum literis exhortatus, vt de his, quæ circa fidem aguntur, solicitudinem meam indefi-nenter instrueres. Et cum omnibus occasionibus scribere non quiescam, quibusdam tamen scriptis meis, id est, per filium nostrum Rodanum, domesticum filii nostri viri illustrissimi Asparatii datis, nullum responsum tuæ frater-nitatis accepi: tamquam ratio temporis non habuerit, vt quid post mea scripta sit gestum, potueris indicare. Et ideo per filium meum Rodanum his literis te saluto: & vt opportunitatem scribendi non negligas, in quo quæstus solicitudinis meæ releuatur, admoneo. Cum enim in te quamdam mei Constantinopolitani habeant portionem, dignum pro communi amicitia est, & pro totius ecclesiæ dilectione, incessabili te vigore prospicere: ne quid possit de statu fidei me latere. Quæ ergo per prædictos, vel ad glorio-

gloriosissimum principem, vel ad tuam dilectionem scripsi, ut celerrime tradantur effectui, opportunis suggestiōnibus elabora. Et quidquid fuerit Deo auxiliante dispositum, scire me facito: ut perduētis in effectum his quæ rationabiliter ordinata sunt, pax fidei, Canonumque custodia & securior vbiue habeatur & fortior. Data septimo Kalendas Iulii, Opilione viro clarissimo consule.

EPISTOLA LXVIII.

LEONIS PAPÆ I.
AD IVLIANVM EPISCOPVM.

Lætatur imperatoris opera Hierosolymitanum episcopum receptum, monachos Augustæ auctoritate ad fidei sanitatem reuocatos, & ab Alexandrino episcopo literas fidei suæ testes accepisse, & aliqua de Paschatis celebratione. Gratulatur Aetium presbyterum examine purgatum: demum subdit se literas accepisse ab imperatore quibus Anatolium sibi commendabat.

Leo urbis Romæ episcopus, Iuliano episcopo.

CHRISTIANISSIMI principis fidem saepe euidentissimis probauimus documentis, ac de nostro gratias ago, qui talem dignatus est rebus humanis concedere pro sua pietate rectorem; qui fidei causas & reipublica summae vigilantiæ studio tueretur, hæreticorum ausib⁹ semper obſistens, & nihil eorum insaniae aduersum catholiceam fidem licere permittens: cuius post Deum beneficiis hoc debetur, quod Hierosolymitanus episcopus est recepitus, & monachos, quos perfidia hæreticæ falsitatis inuaserat, ad sanitatem Augusta auctoritas reuocauit. Mox itaque, ut accepi epistolæ tuas, talia continentæ, non solum eadem die, sed prope eadem hora responsum redire maturaui, ut certior de omnibus quæ scriferas redideris. Fratrem Proterium Alexandrinæ urbis episcopum gratulor satisfactionis plenas de fide sua ad nos literas direxisse, & manifeste, quidnam teneat, indicasse; cui me dignam gratiam pro fidei ipsius sinceritate necesse est præstare, ut honorem in nullo suæ perdat ecclesiæ, sed sedis suæ priuilegia, paternæ antiquitatis exemplo, iuxta

Concil. Tom. 7.

Anno Christi 456. qui
fuit annus
pontificatus S. Leo-
nis 15. fuit
scripta hæc
epistola, si-
militer &
4. sequen-
tes.

De hoc S.
Proterio
vide Nicæ-
phorus
lib. 15. cap.
16.

T

Canonum illibata iura possideat. De præsentis anni Pa-scha nulla dubitatio esse nobis potuit, sed de futuro, quod Theophilus Alexandrinæ vrbis episcopus, nono Kalen-darum Maiarum die, quod nunquam ita a tempore do-minicæ resurrectionis celebratum est, credidit adscriben-dum. Vnde sollicitius congruit hoc requiri, vt omnis oc-casio tollatur erroris. Nam in nostris annalibus Kalenda-rum Maiarum die aptissime a patribus nostris & constitu-tus legitur & celebratus. Ac ne vel apud nos, vel apud o-rientales nascatur ex hac parte diuersitas, hoc instantius nostro nomine cū Christianissimo principe ageretua di-gnetur dilectio, quamuis & ipse clementissimus princeps se inquisitione sollicitissima curam hanc Ægyptiis dele-gasse, suis epistolis dignatus sit indicare. Epistolam sane meam ad Calchedonensem Synodus datam præsenti-bus episcopis & clericis lectam fuisse tuis epistolis retuli-sti: sed vsque ad illud capitulum quo ea quæ de fide acta sunt meus videtur firmasse consensus. Vnde miratus sum, quod reliqua quæ secuta fuerunt, non pariter in notitiam eorum, quibus sunt lecta, prolata sint: cum maxime om-nibus innotescere debuisset, improbum a nobis ambitum notatum fuisse, ne nouis usurpationibus constituta in-uiolata (vt semper scripsimus) seruarentur. Aetium pre-sbyterum, quem asseris fuisse discussum, gratulamur, co-gnitione habita, in omnibus fuisse purgatum. Epistolam quoque ad Christianissimum principem noueris me mi-fisse: in qua illi gratias egi, quia curam mihi suam, tam pro fidei causa, quam pro securitate reipublicæ dignatus est indicare. Aliam quoque ad nos epistolam dedit, inter-ueniens pro Anatolio episcopo, vt nostri illi animi gratia præbeatur, quoniam correctionem eius promittit, & in omnibus se satisfacturum esse, quæ ad fidei obseruantiam pertinent, pollicetur. Data quinto Idus Ianuarii, Aetio & Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXIX.
 LEONIS PAPÆ I.
 AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Alexandrinum episcopum sibi ab imperatore commendatum summa ostendit laude dignum, dum suam ad Flauianum epistolam profitetur. Talem epistolam, ad hæreticorum nequitiam retundendam, rogat ut in Græcum sermonem fideliter iubeat transferri, suo annulo muniri, & sic ad Alexandrinos transmitti.

Leo episcopus Marciano Augusto.

PVRITATEM fidei Christianæ, qua clementia vestra præfulget, etiam his literis, quas frater & coepiscopus meus Nestorianus detulit, demonstrasti; iustissime fratri meo Proterio Alexandrinæ vrbis antistiti impendentes fauorem, quo mihi per omnia esset acceptior. Nam cui vestra pietas testimonium perhibere dignatur, indubitanter esset probandus, etiamsi taceret. Sed accedit ad gratiam, quod proprio quoq; sermone cognoscatur, & quam sincerus sit catholici dogmatis prædicator, ipsius professione clarescat. Vnde plenissimo affectu dilectionē orthodoxi fratris amplector, & Deo gratias ago, quod amoto eo qui euangelio Christi voluit contraire, & a sanctorum patrum intelligentia dissentire, talem prospexit Alexandrinæ ecclesiæ sacerdotem, qui præcedentibus rectoribus & fide concordaret & vita. Nam cum amplecti se epistolam meam, quam ad beatæ memorie Flauianum contra Eutychen impium misi, toto corde profitetur, quid aliud, quam apostolorum se discipulum ostendit? quoniam doctrina veritatis in lumine suo permanet, & non potest esse diuersum, quod vnum est atque diuinum. Rescripsi itaque prædicto fratri quod debui: atque in sancto studio vt perseveraret admonui. Qui sine dubio constantior erit, si etiam clementiæ vestræ cohortationibus adiuuetur. Nec in aliquo eum terreat quorundam imperita dissensio, quos paucorum hæreticorum instigationibus ignorantia facit obnoxios. Quod sua ergo negligentia assequi nequeunt, opportune eorum insinuetur au-

Concil. Tom. 7.

T ij

ditui. Et ne^{*} memoratis noua inferre, & propria videatur
adstruere; venerabilium patrum, qui eidem ecclesiæ præ-
fuerunt, scripta relegantur: & quid B. Athanasius, quid
Theophilus, quid Cyrillus, quid etiam orientales magi-
stri de incarnatione Domini senserint, recognoscant. Nec
repullulantibus decipientur erroribus, qui olim euāgelici
sermonis sunt virtute prostrati. Quoniam omnes fere hæ-
refes, quæ diuersis temporibus extiterunt, dum sacra-
mentum corporeæ natuitatis, & passionis, ac resurrectio-
nis Christi non intelligunt, ab euangelio deuiarūt. Et pos-
semus minus laborare in hæreticis repellendis, si rudes a-
nimos ipsa non turbarent mendacia, quæ peremit antiquitas. Sed nunc (vt dixi) hic docendi optimus modus est,
vt paternorum sensuum linea Alexandrinæ plebis & cle-
ri auribus innotescat: ac si qui sunt qui nostra scripta
despiciant, illis saltem, qui nobiscum apostolicis sensibus
congruunt, acquiescant. In quo opere multum consacer-
dotis nostri deuotione gaudebo, & semper ipsius vna-
mitate lætabor: quia fraterna pax non nisi vna fidei con-
fessione seruatur. Quia vero quorundam hæreticorum
versuta nequitia, ad conturbandam aliorum simplicita-
tem, epistolam meam, quam ad beatæ memorię Fla-
uianum dedi, falsasse perhibetur, vt commutatis qui-
busdam literis vel syllabis receptorem me Nestoriani
erroris assereret; obsecro venerabilem clementiam ve-
stram, vt eamdem epistolam per fratrem meum Julianum
episcopum, vel eos, quos idoneos ad hoc opus pie-
tas vestra delegerit, in Græcum sermonem iubeatis inte-
gre diligenterque translatam, per idoneum latorem sub
vestri signaculi impressione deferri, tradendam iudici-
bus Alexandrinis, qui eam clero & plebi ipsius ciuitatis,
cum prædictorum episcoporum prædicationibus, qui &
meo scripto consentiunt, faciant recitari: vt agnoscant se
fallacium hominum fraude ulterius decipi non debere,
& probentur apostolicæ sedis sinceri esse discipuli, apud
quam nec Eutyches nec Nestorius ullum obtinent locum: quia sicut alios hæreticos, ita & istos ecclesia vniuer-
salis damnauit. Data quinto Idus Martii, Aetio & Studio
viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXX.

LEONIS PAPÆ I.

AD MARCIANVM AVGUSTVM.

Scribit de exilio Eutychetis, vt ad secretiora loca eum transferret, quia vbi positus erat, adhuc praua docebat.

Leo episcopus Marciano Augusto.

Quod s̄epissime multa iam experimenta docuerunt.
Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 3. num. 18.

EPISTOLA LXXI.

LEONIS PAPÆ I.

AD ANATOLIVM EPISCOPVM

PER NECTARIVM AGENTEM IN REBUS DIRECTA.

Reddit rationem cur ei literas dederit, mox tanto temporis spatio silentio vsus sit: approbat nonnulla ab eodem gesta, hortaturque vt ambitionem temperet, & Nicæni Concilii Canones seruet.

Leo episcopus Anatolio episcopo.

Si firmo incommutabilique proposito, dilectio tua cum gratia communis habuisset; nihil profecto, quod ullam anxietatem tibi ingereret, extitisset. Non enim sinebat ratio, vt eius caritatem spernerem quem amore pacis, & studio reparandæ catholicæ fidei inter ipsa episcopatus rudimenta iuuissimus, optans in ecclesiasticis curis talem habere consortem: vt mihi de sanctis prædecessoribus tuis, nec Ioannis spiritualem copiosamque doctrinam, nec auctoritatem Attici, nec industriam Procli, nec fidem beati Flauiani deesse sentirem: & ita studiis tuis vterer, vt nullus auderet, vel fidei catholicæ resultare, vel Nicænis venerabilium patrum regulis contraire. Sed cum iniuriam Canonum (vt agnoscis) illa tentata sunt, quæ omnibus ecclesiis scandalum maximum generarent, quid aptius ac modestius facerem, quam vt te primum, vt ab hac intentione discederes, fraterno animo, missis literis,

T iii

admonerem? Ad quas cum non rescriberes, ipse te a colloquii mei confortio separasti. Denique inde iam tacui, sed clementissimo principi, custodi fidei, frequenti literarum petitione, suggesisti, ut pro pace ecclesiarum, quam tibi maxime prodesse cognoscis, hæc quæ nunc a tua dilectione facta sunt implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quod secundum eruditionem Spiritus sancti, cuius est virtute plenissimus, sacerdotali dignatur studere concordia, sciens sibi orationes supplicantium copiosius profuturas, si famuli vnius Domini in nullo sint a veræ pacis unitate diuisi.

Quod ergo in Constantinopolitana ecclesia quædam in officiis clericorum correcta significas, ut & Aetium presbyterum in gratiam tuam affectionemque reuocaueris, & Andream archidiaconi actione submoueris, nobis placuisse rescribo: quia estimationem tuam (ut optabam) plurimum erigit atque commendat. Et merito post correctionem in obliuionem deducitur, quod reprehensioni obnoxium videbatur, cum hæreticorum prouectione, & sanctæ memoria Flauiani iniuria grauareris, quæ nunc simul ab omni offensione, cum tui (ut volui) laude cessarunt: quia in ordinem suum, quæ fuerant turbata, redierunt. Andream sane, qui rationabiliter archidiaconi est priuatus officio, & Euphratam, qui sanctæ memoria Flauiani (ut comperi) improbus extitit accusator, si professionibus plenissime scriptis non minus Eutychianam hæresim, quam Nestorianum execrabile dogma condemnant, quoniam venia est præstanda correctis, presbiteros consecrabis, ut sibi remedium catholicæ fidei sentiant profuisse, electo primitus & probato qui archidiaconi officium possit implere, id est, quem nulla vñquam prædictarum impietatum fama resperserit. Ceteri vero, quos par reatus inuoluerat, si veniam simil professione cum satisfactione depositunt, suis ordinibus reformentur: his tantum ad officiorum primatum admissis, quos ab omni errore liberos fuisse constiterit.

Illam autem culpam, quam de augenda potestate, aliena (ut asseris) adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua caritas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola clericorum consilia

translatisse : quia sicut in mala suasione delinquitur , ita & in mala confessione peccatur. Sed gratum mihi (frater carissime) est, quod dilectio tua id profitetur sibi discipuli, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum professio dilectionis tuæ , & attestatio principis Christiani. Nec videtur tarda correctio , cui tam venerabilis assertor accessit. Abiiciatur penitus inconcessi iuris , qui dissensionem fecerat, appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum patrum prouidentissima Decreta posuerunt. Ut quieta sit suis meritis & antiquis priuilegiis dignitas omnium sacerdotum, renouetur & maneat in te dominicæ caritatis affectio : ad quam dilectionem tuam saepius cohortatus sum cum fratre & coepiscopo nostro Iuliano , qui communem gratiam semper optauit: cuius industria & sollicitudines tuæ releuabuntur, & fides catholica munietur. Super omnia autem fraternalia caritate hortor & moneo , vt ea quæ ad gloriæ vel ad munimen pertinent sacerdotalis officii, Nicænorum Canonum vniuersalis ecclesiæ pacem seruantia Decreta custodias. Sic enim inter domini sacerdotes inuiolata caritas permanebit, si paribus studiis , quæ sunt a sanctis patribus constituta, seruentur. Data quarto Kalendas Iunii, Aetio & Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXXII.

LEONIS PAPÆ I.

AD IVVENALEM HIEROSOLYMITANVM

EPISCOPVM.

Hic Flauianum episcopum condemnauerat , & Euthymetis errores admiserat: nunc cum illum poenituisse, illi gratulatur , & particulam crucis cum eulogiis ab eo missam accepisse scribit.

Leo urbis Romæ episcopus, Iuuenali episcopo Hierosolymitano.

ACCEPTIS dilectionis tuæ literis, quas ad me filii nostri Andreas presbyter & Petrus diaconus detulerunt, gauisus equidem sum, quod tibi ad episcopatus tui sedem redire licuisset: sed confluentibus in recordatione omnibus causis quæ te per quosdam excessus laborare fe-

cerunt, dolui aduersitatum tuarum temetipsum tibi fuisse materiam, & resistendi hæreticis perdidisse constantiam, qui æstiment non esse tibi liberum ut eos audeas redarguere, quos tibi professus sis in suo errore placuisse. Beatae enim memoriae Flauiani condénatio, & impiissimi Eutychetis receptio, quid nisi Domini nostri Iesu Christi secundum carnem negatio fuit? quam ipse grandi misericordia sua fecit resolui, cum detestandum illud Ephesinæ Synodi iudicium ita sancta Calchedonensis Concilii auctoritate destruxit, ut nullum deprauatorum a remedio correctionis arceret. Vnde quia in tempore indulgentiæ resipiscentiam magis quam pertinaciam delegisti, ita gaudeo te cælestem expetisse medicinam, ut fidei ab hæreticis impugnatae, tandem possis esse defensor. Quamuis enim nulli sacerdotum liceat nescire quod prædicat, quoniam *qui ignorat, ignorabitur*, inexcusabilior tamen est omnibus imperitis quilibet Hierosolymis habitans Christianus, qui ad cognoscendam virtutem euangelii, non solum paginarum eloquiis, sed ipsorum locorum testimoniis eruditur. Et quod alibi non licet non credi, ibi non potest non videri. *Quid laborat intellectus, vbi est magister aspectus? Et cur lecta velaudita sunt dubia, vbi se & visui & tactui tot humanæ salutis ingerunt sacramenta?* Quasi ad singulos quosque cunctantes Dominus adhuc voce corporea vtatur, & dicat: *Quid turbati estis, & quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipsum. Palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.*

1. Cor. 14.

Luc. 24.

Vtere igitur, frater carissime, inuictissimis catholicæ fidei documentis, & euangelistarum prædicationem sanctorum locorum, in quibus degis, testificatione defende. Apud te est Bethlehem, in qua salutifer Dauidicæ Virginis partus illuxit, quem obuolutum pannis inter angustias diuersorii præsepe suscepit. Apud te est declarata ab angelis, adorata a magis, & per multorum infantium mortes ab Herode quæsita saluatoris infantia. Apud te est, vbi pueritia eius adoleuit, vbi adolescentia maturuit, & per omnia incrementa corporea in virum perfectum veri hominis natura profecit, non sine cibo esuritionis, non sine somno quietis, non sine fletu miserationis, nec sine pa-

uore

uore formidinis. Vnus enim atque idem est, qui & in Dei forma operatus est miracula magna virtutis, & in forma serui subiit fæuitiam passionis. Hoc tibi ipsa crux indeſi-
nenter loquitur, hoc lapis clamat sepulcri, in quo Do-
minus humana conditione iacuit, & de quo diuina poten-
tia resurrexit. Et cum ad montem Oliueti, locum ascen-
ſionis veneraturus, accedis, nonne illa vox angelica in
tuo resultat auditu, qua eleuationem Domini ſtupenti-
bus dicitur: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Aa. 1.*
Iesus qui aſſumptus est a vobis in cælum ſic veniet, quemadmodum
vidiſſis eum euntem in cælum.

Veram igitur Christi generationem crux vera confir-
mat, quoniam ipſe in noſtra carne naſcitur, qui in no-
ſtra crucifigitur, quæ nullo interueniente peccato, niſi
fuiffet noſtri generis, non potuiffet eſſe mortalis. Vt au-
tem repararet omnium vitam, recepit omnium causam,
& vim veteris chirographi, quod ſolus inter omnes *Rom. 5.*
non debuit, pro omnibus ſoluendo vacuauit: vt ſicut per
vniuſ reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per v-
niuſ innocentiam omnes fierent innocentes; inde in ho-
mines manante iuſtitia, vbi eſt humana fuſcepta natura.
Nulla enim ratione extra noſtri eſt corporis veritatem,
de quo euangelista prædicationem inchoans dicit: *Liber Aa. 1.*
generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham. Et qui Sa-
maritanæ mulieri protestatur, *quoniam ſalus ex Iudeis eſt,* *Ian. 4.*
beati Pauli apostoli conſonante doctrina, cum dicit: *Quo- Röm. 9.*
rum patres, & ex quibus Christus ſecundum carnem, qui eſt ſuper
omnia Deus benedictus in ſæcula. Itemque ad Timotheum:
Memento, inquit, Iesum Christum resurrexiſſe a mortuis, ex fe- 2. Tim. 2.
mine David ſecundum carnem.

Hæc autem veritas quantis & noui & veteris testamen-
ti auētoritatibus declaretur, pro antiquitate ſacerdotii tui
euidenter agnoscis, cum fides patrum & ſcripta mea ad
ſanctæ memoriae Flauianum data, quorum mentionem
ipſe fecisti, adiecta vniuersalis Synodi confirmatione ſuf-
ficiant. Vnde proſpicere oportet dilectionē tuam, ne con-
tra redēptionis ac ſpeī noſtræ ineffabile ſacramentum
vllus obmurniuret. Sed ſi qui ſunt, qui adhuc aut ignoran-
tia caligant, aut peruerſitate discordant, eorum quorum
in ecclesia Dei apostolica fuit & eſt clara doctrina, au-

Concil. Tom. 7.

V

ctoritatibus instruantur, & de incarnatione Verbi Dei hoc nos credere, quod illi credidere, cognoscant: neque se extra corpus Christi, in quo commortui, & conresuscitati sumus, sua obduratione constituant: quia nec pietas fidei, nec ratio suscipit sacramenti, vt aut in sua essentia passibilis fuerit deitas, aut in nostræ naturæ susceptione mentita sit veritas. Particulam dominicæ crucis cum eu- logiis dilectionis vestræ veneranter accepi. Data pridie Nonas Septembris, Aetio & Studio viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXXIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD LEONEM AVGVSTVM.

Rogat ut Decreta Concilii Calchedonensis in Alexandrina vrbe, in qua vexari catholicos Anatolius scripserrat, seruari, & in ea vrbe catholicum episcopum eligi curet.

Leo Romæ episcopus Leoni semper Augusto.

Anno Chri-
sti 459, qui
fuit annus
pontifica-
tus S. Leo-
nis 18. scri-
pta est hac
epistola &
s. legentes.

OFFICII, quæ ad gratulationem imperii vestri pertin-
tent, persolutis, etiam hanc paginam necessariæ sup-
plicationis adieci: qua catholicæ fidei diuinitus præpara-
tum fauoris vestri posco præsidium. Nam talia in Alexan-
drina ecclesia perpetrata, fratris & coepiscopi mei Anato-
lli relatione cognoui, vt omnis Christiana religio sentiat
se impeti atque violari, nisi vniuersali fidei vestra devo-
tione prospiciatur, & memoratæ ecclesiæ, quæ antea ca-
tholicis fuit clara doctoribus, reddatur Christiana liber-
tas, vt cessantibus hæreticorū impugnationibus, euangeli-
ca doctrina, quæ illic ante Diocorum viguit, vnta cum
totius ecclesiæ pace reparetur. **Q**uod opus virtutibus ve-
stris, gloriæque conueniens, celerem & Deo placitum
habebit effectum, si apud sanctam Calchedonensem Sy-
nodum de Domini Christi incarnatione firmata, nulla
permiseritis retractatione pulsari: quia in illo Concilio
per Spiritum sanctum congregato, tam plenis atque per-
fectis diffinitionibus cuncta firmata sunt, vt nihil ei regu-
la, quæ ex diuina inspiratione prolata est, aut addi pos-
sit aut minui. Hoc autem etiam apud clementiæ vestræ
scientiam non ambigimus esse perspicuum, siquidem

(vt multorum ante relatione comperimus) molitiones hæreticorum, quæ contra prædictæ Synodi auctoritatem conabantur assurgere, nihil ex hoc permiseritis audere. Vnde quod negandum illis sponte vidistis, gloriosum vobis est vniuersali ecclesiæ me supplicante concedere, & incommutabiliter perpetuoque præstare, vt quæ secundum euangelium Christi & prædicationis euangeliæ veritatem omnibus retro sæculis, vna fide, vnaque intelligentia roborata sunt, nulla ulterius possint actione conuelli. Prout ergo misericordia Dei consilio spiritus sui mentem vestræ pietatis instruxerit, sanctæ primitus Alexandrinæ ecclesiæ pacis reparacioni consulite, & per catholicos sacerdotes talem prouideri iubete pontificem, in quo & in actuum probitate, & in fidei perfectione nihil possit reprehensibile reperiri, vt omnibus rite compotitis, eadem ubique seruetur prædicatio veritatis. Data quinto Idus Iunii, Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXXIV.

LEONIS PAPÆ I.

AD LEONEM AVGUSTVM.

Illi gratulatur quod Calchedonensis Concilii se custodem profiteatur; vtque hæreticos insecatetur, adhortatur.

Leo episcopus Romæ Leoni semper Augusto.

LICET proxime ad clementiam vestram gemina scripta direxerim, quorum vnum debitum salutationis impleret, aliud pro statu ecclesiæ supplicaret, tamen occasione, quæ Deo prouidente se præbuit, iterari utrumque conuenit. Secundum ergo fiduciam illam, quam ex Dei inspiratione vniuersali ecclesiæ præstis, ante cuiusquam preces constituendo quod maxime ab omnibus fuerat expetendum, non desinimus gratias agere, & prouidentiam Dei in fidei vestræ feruore benedicere, quis sancto & catholico spiritu, sicut fratri & coepiscopi mei Anatolii sermone cognoui, ita hæreticorum impudentiæ restitistis, vt profiteremini, ad totius mundi pacem, Calchedonensis

Concil. Tom. 7.

V ij

Synodi vos esse custodem. Quod cum ex vestræ fidei sententia saluberrime diffinitum sit, quanto studiosius vniuersali ecclesiæ est conferendum, vt tranquillitas fidei Christianæ etiam vestro prospicte imperio, nec improbitas hæretica in aliquo suo molimine glorietur? cuius pertinax infidiosa contentio illico conquiescat, si imperiali potestate frenetur. Data Kalendis Septembris, Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXXV.

LEONIS PAPÆ I.

AD EVMDEM LEONEM AVGVSTVM.

Quæ duo a se imperator postulauerat, vt scilicet Constantinopolim se conferret, & Calchedonensis Concilii Decreta damnaret, ea utraque a se ratione denegari demonstrat: hortaturque ad hæreticorum ausus reprehendos, & Alexandrinæ ecclesiæ reformationem.

Leo episcopus, Leoni Augusto.

LITERAS clementiæ tuæ plenas virtute fidei & lumine veritatis veneranter accepi. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte 3. numero 25.*

EPISTOLA LXXVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD ANATOLIVM EPISCOPVM
CONSTANTINOPOLITANVM.

Quæ ab illo de Constantinopolitanæ ecclesiæ statu acceperebat, se imperatori scripsisse docet; vtque hæreticam prauitatem, quæ inter suos clericos serpebat, exterminet, & imperatorem obsecrat, vt hæreticorum machinas destruat.

Leo episcopus, Anatolio episcopo.

DILIGENTIAM necessariæ sollicitudinis, quam fraternitas tua in dirigendis ad nos literis exequitur, approbamus, & acceptis per filium nostrum Olympiū paginis tuis

sacerdotalem in te curam vigere sentimus: cui nos quoque (quantum Dominus dat posse) non desumus, exorantes dilectionem tuam , vt quia tempus laboris incidi mus, in sancta vigilantia perseueres, donec *dextera Domini faciat virtutem*, & sub pedibus ecclesiæ suæ conterat tentatorem. Consolatur etenim nos per omnia præparata diuinitus clementissimi principis fides, quem meo rursus, sicut oportuit, sum cohortatus alloquio : vt impiissimum latronum ausibus, districtiore constantia faciat obuiari : quos nefas est tantum de suo fauore præsumere , vt etiam apud Constantinopolim audeant insanire. Sed hoc eis ideo diuinæ prouidentiæ ratione permittitur, vt magis ac magis quo spiritu agitentur, appareat : ne dubitari possit, in quantam essent audaciam prorupturi, si post damnationem impiissimæ hæresis, disceptandi contra fidem acciperent potestatem, vt quantum in ipsis est, latius hoc furore sœuiren̄t, quem fratres & coepiscopi nostri, qui ad nos nuper ex Ægypti partibus confugere, se pertulisse deplorant: quibus & a Christianissimo principe, & a tua fraternitatis Deo placita caritate solatia pietatis impendi non ambigerem, etiamsi ipse non scriberes. Opportunum autem credidi, vt ad ipsos quoque scripta dirigerem, quæ illos possint in communis fidei proposito roborare, & quid pro patientia sua superna remuneratione mereantur, agnoscerent, sicut beatus Apostolus docet, dicens : *Excipite itaque illos cum gaudio in Domino, & buiusmodi cum honore habete, quoniam propter fidem Christi usque ad mortem accesserunt.* Illud sane plurimum mihi displicere significo, quod inter dilectionis tuae clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorum conniveant prauitati, & vasa iræ vasis misericordiæ misceantur. Quibus inuestigandis, & seueritate congrua coercendis debet diligentia tua vigilanter insistere: ita vt his, quibus prodesse non potuerit correctione, non parcat abscisio. Oportet etenim nos euangelici meminisse mandati, quod ab ipsa veritate præcipitur, vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, a compage corporis auferatur: quia melius sit his in ecclesia carere membris, quam cum ipsis in alterna ire supplicia. Nam superfluo extra ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt, in eis quos decipiunt, vulnera-

*Matth. 18.
Marc. 9.*

mur. Abiicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ fibimet peccatis aliorum parcendo non parcit. Sicut Heli quondam fæcerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis diuinæ iustitiae sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulauit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas inuitat officii, religiosissimum principem dilectio tua studeat frequentare, & non solum regiam, sed & sacerdotalem ipsius mentem precibus meis obsecrare persiste: vt memor communis fidei, quam Spiritu sancto docente suscepimus, omnia hæreticorum machinamenta confringat, neque quidquam illis in ecclesiis Christi licere patiatur; ne in eorum potestate sint diuina mysteria, quibus in domo Dei, pro scelerum suorum magnitudine, nec habitandi ius residet, nec orandi. Data * pridie Idus Octobris, * quinto Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA LXXVII.

LEONIS PAPÆ I.

AD ANATOLIVM EPISCOPVM
PER PATRICIVM DIACONEM MISSA.

Cum ægre tulisset Anatolius quod ab ipso de cauendis hæreticis fuisset admonitus, ratione id fieri debuisse demonstrat: cumque Atticus presbyter non recte Eutychetis errorem fuisset detestatus, formam detestationis mittit.

Leo episcopus Anatolio episcopo.

Anno Chri-
sti 460. qui
fuit annus
pontifica-
tus S. Leo-
nis 20. facti-
pra fuit hæc
epistola &
2. seque-
tes.

LEKTIS dilectionis tuæ literis, quas per filium nostrum Patricium diaconem direxisti, intellexi tibi studium meæ sollicitudinis displicere: qua, secundum dominicam caritatem, quam tibi a nobis impendi experimentis plurimis approbasti, de cauendis his, qui communis fidei aduersarii dicerentur admonui, ne ad negligentiam rectoris referretur, si quisquam in ecclesia catholica ea prædicare præsumeret, quæ hæreticorum sensibus conuenient. Quod vtrum veraciter fama iactaret, dilectionis tuæ inquirendum iudicio delegavi. Neque in aliquo honorem tuum læsi, cui discutienda ea, quæ ad me erant per-

lata, commisi: ut scilicet Atticus presbyter, quem talia audere cognoueram, nisi perfecta se satisfactione purgasset, & non solum voce haereticos, sed etiam propriæ manus subscriptione damnasset, a communionis gratia esset alienus. Qui scripta mittendo dubia fidei & professionis incertæ, confirmauit magis, quam diluit, quidquid ad nos de eo fama pertulerat: cum si conscientiam suam voluisse probare sinceram, non Eutychem sibi odiosum fuisse, sed quod perfidiam ipsius reprobaret atque damnaret, debuit confiteri: quia aliud sunt humanæ, etiam inter catholicos, similitates, aliud diabolici, quos fides catholica damnat, errores. Et ideo, frater carissime, in nullo debes de nostra dilectione dubitare, si Prophetæ exemplum sequaris, & dicas: *Nonne, qui te oderunt Domine,* psal. 138. *oderam illos, & super inimicos tuos tabesceram?* Per omnia enim volo te esse certissimum, quod sicut meam existimationem illas sam cupio permanere, ita opto te quoque in omnibus irreprehensibilem reperiri. Prædictus autem Atticus, ut ab omni suspitione contraria liber appareat, quid in Eutychete anathematizet, ac damnet, euidenter ostendat, & in damnationem erroris expressi, remota omni dubitatione, subscribat: ita ut Calchedonensis symboli definitionem de fide, cui etiam dilectio tua subscribendo consensit, & quam apostolicæ sedis firmavit auctoritas, profiteatur se per omnia seruaturum, adiecta subscriptione propriæ manus, quæ in ecclesia Christiano populo præsente recitetur: ut pro catholica fide, neque nos negligentes, neque ipse ultra suspectus habeatur. Qui si in eadem prauitate perdurans, præceptis salubribus parere noluerit; sententiam Synodi Calchedonensis, cuius definitionibus resultat, excipiat. Data quintodecimo Kalendas Aprilis, Leone & Maiorano Augustis consulibus.

EPISTOLA LXXVIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD LEONEM AVGUSTVM PER PHILONEM

IN REBUS AGENTEM DIRECTA.

Laudat imperatoris integritatem, & fidei catholicæ sinceritatem: rogat ne permittat ea conuelli ab hæreticis, quæ a Nicæna & Calchedonenfi Synodis fuere firmata, & legatos se ad eum missurum spondet.

Leo episcopus Leoni Augusto.

MVLT O gaudio mens mea exultat in Domino, & magna mihi est ratio gloriandi, cum clementia vestræ excellentissimam fidem augeri per omnia donis gratiæ cælestis agnosco: & per incrementa diligentia deuotionem in vobis animi sacerdotalis experior. Nam in vestræ pietatis alloquiis non dubie patet, quid per vos in totius ecclesiæ salutem Spiritus sanctus operetur, & quantum vniuersorum fidelium precibus sit optandum, vt in omnem gloriam vestrum extendatur imperium, qui supra curam rerum temporalium, religiosæ prouidentiæ famulatum diuinis & æternis dispositionibus perseveranter impenditis: vt scilicet catholicæ fides, quæ humanum genus sola viuificat, sola sanctificat, in una confessione permaneat, & dissensiones, quæ de terrenarum opinionum varietate nascuntur, a soliditate illius petræ, supra quam ciuitas Dei ædificatur, abigantur. Hæc autem Dei munera ita demum nobis diuinitus conferentur, si de his, quæ sunt præstata, non inueniamur ingrat: & tamquam nulla sint, quæ adepti sumus, contraria potius expetamus. Nam quæ patefacta sunt querere, quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita conuellere, quid aliud est quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extender? Vnde, quia ad pacem vniuersalis ecclesiæ, & ad custodiam catholicæ fidei, cura dignamini sollicitiore respicere; euidenter agnoscitis, quod magnis hæreticorum audetur insidiis, vt inter Eutychetis Dioscorique discipulos, & eum quem apostolica sedes direxerit, diligentior,

tam-

Hoc hæretici nunquam
non faciūt.

tamquam nihil fuerit ante definitum, tractatus habeatur, & quod totius mundi catholici sacerdotes in sancta Calchedonensi Synodo probant, gaudentque firmatum, in iniuriam etiam sacratissimi Concilii Nicæni efficiatur infirmum. Quod enim nostris temporibus apud Calchedonam de Domini nostri Iesu Christi incarnatione firmatum est, hoc etiam apud Nicæam mysticus ille patrum numerus definiuit, ne catholicorum confessio, aut vnigenitum Dei filium in aliquo crederet Patri imparem, aut eundem, cum factus est Filius hominis, non veram carnis nostræ atque animæ habuisse naturam.

Detestandum ergo nobis est, perseueranterque vitandum, quod fraus heretica nititur obtinere, nec in aliquam disceptationem pie & plene diffinita reuocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum, ipsi de his videamus ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis & euangelicis & apostolicis auctoritatibus confonare. Vnde si qui sunt qui ab his quæ cælitus sunt constituta dissentunt, suis opinionibus relinquuntur, & ab unitate ecclesiæ, cum ea quam elegere peruersitate, discedant. Nam nullo modo fieri potest, ut qui diuinis audent contradicere sacramentis, aliqua nobis communione socientur. Iactent se in sui eloquii vanitate, & de argumentationum suarum versutia, quæ inimica est fidei, glorientur: nobis placet apostolicis obedire præceptis, dicentibus: *Vt-
dete ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem seductionem
hominum.* Nam secundum eumdem Apostolum, *si quæ de-
struxi, hæc ædifico, præuaricatorem me consilio,* & eis me vltionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memorie principis Marciani, sed etiam ego mea confessione firmaui. Quia sicut sancte veraciterque dixisti, perfectio incrementum, & adiectionem plenitudo non recipit. Vnde cum sciam te, venerabilis princeps, sincerissimo veritatis lumine imbutum, in nulla fidei parte nutare, sed sancto perfectoque iudicio a prauis recta discernere, & a refutandis amplectenda diuide-re; obsecro, ne humilitatem meam de diffidentia putas esse culpandam, cum hæc mea cautio non solum vniuersali ecclesiæ consulat, sed etiam tuæ gloriæ famuletur: ne sub imperii tui tempore, & hereticorum aucta-

Concil. Tom. 7.

X

videatur improbitas, & catholicorum perturbata securitas. Quamuis ergo multum per omnia de pietatis vestræ corde confidam, & per inhabitantem in vobis Spiritum Dei, satis vos instructum esse perspiciam: ne fidei vestræ nullus possit error illudere, præceptioni tamen vestræ in eo adnitar obedire, vt aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præsentia meæ instar exhibeant, & quæ sit apostolicæ fidei regula, licet (vt dixi) vobis bene sit nota, demonstrent: patefacientes in omnibus & probantes, non esse omnino inter catholicos computandos, qui definitio[n]es venerabilis Synodi Nicænæ, vel sancti Calchedonensis Concilii regulas non sequuntur: cum vtrorumque sancta Decreta ex euangelico & apostolico sit manifestum fonte prodire, & quidquid non est de irrigatione poculi Christi, poculi esse viperei. Prænoscat igitur pietas vestra, venerabilis imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad configendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos a sede apostolica profecturos: quia de rebus, & apud Nicæam, & apud Calchedonam (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum: tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas. Instructio autem parvulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerii nostri præsidium non negamus. Et sicut simpliciores non spernimus, ita a rebellibus hereticis abstinemus: memores præcepti dominici, dicentes: *Nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos.* Nimis quippe indignum, nimisque iniustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per Prophetam, dicens: *Fili[i] alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inueterati.* Qui etiamsi euangelio non resisterent, de illis tamen se esse monstrarent, de quibus scriptum est: *Deum se profitentur sci[er]e, factis autem negant.* Clamante adhuc iusti Abel sanguine aduersum impium Cain, qui increpatus a Domino, non requieuit ad poenititudinem, sed exarsit ad cædem. Cuius vindictam sic Domini iudicio volumus reseruari, ut improbus prædo & parricida crudelis in seipsum recidat, & nostra non teneat. Neque sanctæ ecclesiæ Alexandrinæ lamentabilem captiuitatem patiamini ulte-

Obferua
quam soli-
citate caue-
rit ne se-
mel defini-
ta in dubiu-
vocarentur.

Math. 7.

Psal. 17.

Tit. 1.

Genes. 4.

rius prolongari, cui oportet fidei vestræ iustitiæque præsidio suam restitui libertatem, ut per omnes Ægypti vrbes dignitas patrum & ius sacerdotale reparetur. Data vndecimo Kalendas Aprilis, Leone & Maiorano Augusto consulibus.

EPISTOLA LXXIX.

LEONIS PAPÆ I.

AD NICETAM EPISCOPVM AQVILEIENSEM.

- I. *Quod debeant feminæ, quæ capti viris nupserant aliis, regressis de captiuitate viris prioribus copulari, ut quod suum est, unusquisque recipiat.*
- II. *Quod non probetur esse culpabilis, qui uxorem captiui in matrimonium videtur esse sortitus.*
- III. *Vt si viri de captiuitate regressi intemperantia uxoris offendit non fuerint, & voluerint eas in coniugium recipere, libram habeant facultatem.*
- IV. *Vt si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impie, ecclesiæ communione priuanda sint.*
- V. *Captiuis, aut terrore, aut fame, non veneratione, cibos immolatios edere compulsi, pœnitentia concedenda est.*
- VI. *Quod hi qui ad iterationem baptismi, vel vi vel* errore coacti, animos inclinarunt, sint subleuandi remedio, ita ut senilis etatis, periculorum quoque & aegritudinum ceterarumque necessitatum habeant sollicita consideratione respectum.*
- VII. *Vt qui ab hereticis baptizati sunt, sola sancti Spiritus inuocatio firmetur.*

Leo episcopus Nicetæ Aquileiensi episcopo salutem.

REGRESSVS ad nos filius meus Adeodatus, diaconus sedis nostræ, dilectionem tuam poposcisse memorauit, vt de his a nobis auctoritatem apostolicæ sedis acciperes, quæ quidem magnam difficultatem diiudicationis videntur afferre. Sed pro inspectione temporalium necessitatum adhibenda curatio est, vt vulnera, quæ hostilitatis aduersitate illata sunt, religionis maxime ratione sanentur.

I.

Cum ergo per bellicam cladem, & per grauissimos hostilitatis incursum, ita quædam dicatis diuisa esse coniugia, vt abductis in captiuitatem viris feminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios, aut interemptos putarint, aut nunquam a dominatione crediderint liberantur.

Concil. Tom. 7.

X ij

Proph. 19. dos, & ad aliorum coniugiū, *solitudine cogente, transfi-
Matt. 19. rent: cumque nunc statu rerū, auxiliante Domino, in me-
 liora conuerso, nonnulli eorum qui putabātur periisse, re-
 meauerint, merito caritas tua videtur ambigere, quid de
 mulieribus, quæ aliis iunctæ sunt viris, a nobis debeat ordi-
 nari. Sed quia nouimus scriptū, *quod a Deo iungitur mulier vi-*
ro: & iterum præceptum agnouimus, *ut quod Deus iunxit, ho-*
mo non separet: necesse est vt legitimarum fœdera nuptia-
 rum redintegranda credamus, & remotis malis, quæ ho-
 stilitas intulit vnicuique, hoc quod legitime habuit, refor-
 metur: omnique studio procurandum est, vt recipiat v-
 nusquisque quod proprium est.

II.

Nec tamen culpabilis iudicetur, & tamquam alieni iu-
 ris peruersor, qui personam eius mariti, qui iam non esse
 æstimabatur, assumpsit. Sic enim multa, quæ ad eos qui
 in captiuitatem ducti sunt pertinebant, in ius alienum
 transfire potuerunt: & tamen plenum iustitiae est, vt eis-
 dem reuersis propria reformatur. *Quod si in mancipiis,*
 vel in agris, aut etiam in domibus, ac possessionibus rite
 seruatur; quanto magis in coniugiorum redintegratione
 faciendum est, vt quod bellica necessitate turbatum est,
 pacis remedio reformatur?

III.

Et ideo, si viri post longam captiuitatem reuersi, ita in
 dilectionem suarum coniugum perseverant, vt eas cu-
 piant in suum redire consortium; omittendum est, & in-
 culpabile iudicandum, quod necessitas intulit, & resti-
 tuendum, quod fides poscit.

IV.

Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum a-
 more sunt captæ, vt malint his cohærere, quam in legiti-
 mum redire consortium, merito sunt notandæ: ita vt et-
 iam ecclesiastica communione priuentur, quia inexcus-
 abiliter contaminationem criminis elegerunt, ostenden-
 tes sibi met pro sua incontinentia placuisse, quod iusta re-
 missio potuit expiare. Redeant ergo in suum statum vo-
 luntaria redintegratione coniugia, neque ullo modo ad
 opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio
 necessitatis extorsit: quia sicut hæ mulieres, quæ reuerti-

ad viros suos nolunt, impiæ habendæ sunt, ita illæ, quæ in affectum initum ex Deo redeunt, merito sunt laudandæ.

V.

De his autem Christianis, qui inter eos, a quibus fuerant captiuati, immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi caritatis tuæ hoc etiam respondendum esse credidimus; vt pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est. Et siue hoc terror extorserit, siue famæ suaserit, non dubitetur abolendum, cum huiusmodi cibus, pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumptus.

VI.

His vero, de quibus dilectio tua similiter nos credit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt, vel errore traducti, & nunc se contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram non nisi per pœnitentiæ remedium, & per impositionem episcopalis manus, communionis recipiant unitatem; tempora pœnitutinis, habita moderatione, tuo constitente iudicio, ^{26. q. 7.} Tempora pœnitutinis. prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos, pariter etiam habens senilis ætatis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinis respiciens necessitates, in quibus si quis ita grauiter urgetur, vt dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subueniri.

VII.

Nam hi qui baptismum ab hereticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola inuocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam (vt scitis) seruandam omnibus ecclesiis prædicamus, vt lauacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Vnus Dominus, una fides, unum baptisma.* Cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed (vt diximus) sola sanctificatio Spiritus sancti inuocanda est: vt quod ab hereticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. Hanc autem epistolam nostram quam ad consultationem tuæ fraterni-

tatis emisimus, ad omnes fratres & comprouinciales tuos episcopos facies peruenire, vt in omnium obseruantia data profit auctoritas. Data duodecimo Kalendarum Aprilium, Maiorano Augusto primum consule.

EPISTOLA LXXX.

LEONIS PAPÆ I.

AD VΝIVERSOS EPISCOPOS PER CAMPANIAM,
SAMNIVM, ET PICENVM CONSTITVTOS.

Reprehendit quosdam episcopos, qui baptismum extra diem Paschatis & Pentecostes conferebant, prohibetque peccata a confitentibus publice recitari.

Leo uniuersis episcopis per Campaniam, Samnum & Picenum constitutis.

Anno Christi 461. qui
fuit annus
pontificatus S. Leo-
nis 21. scri-
pta fuit haec
epistola.

MAGNA indignatione commoueor, & multo dolore contristor, quod quosdam ex vobis comperi ita esse apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos, vt præter Paschæ festum, cui sola Pentecostes solennitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humanæ infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati arbitrii libertate, ius baptismatis vindicare, & in natalibus martyrum, quorum finis aliter honorandus est quam dies dominicæ passionis, regenerationis celebrare mysteria, ac sine vllis spiritualium eruditionibus præparationum, ita rudibus & imperitis tradere sacramentum, vt circa renouandos nihil doctrina ecclesiastica, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa ieunia, quibus vetus homo destruitur, operentur, neque in tanto mysterio salutis humanæ vlla eius diei habeatur exceptio, quo ipsum dominum est conditum renascentibus. Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum, qui hoc faciunt, protestamur, vt ab hac præsumptione cffetur, & summam hanc potissimumque Deigratiā non nisi in paschali & Pentecostes die desiderantibus & creditibus conferatis: manente quolibet tempore grauium necessitatum, ac periculorum consideratione, secundum quam oporteat subuenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas nefaria liberatione fraudetur, cum seruata (sicut prælocuti

sumus) duarum tantummodo festiuitatum reverentia, propter multa pericula sit cauendum, ne cuiquam aut in desperata ægritudine, aut in hostilitatis incurſu, aut in timore naufragii, per sacerdotem Domini regeneratio de- negetur. Si quis vero post hoc interdictum, in eadem fue- rit usurpatione detectus, dignam pertinaciæ suæ incidet vltionem: quoniam ostendit se turpe potius lucrum, quam religionis cultum esse sectatum. Illam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper ag- noui a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri; (de pœnitentia videli- cet, quæ ita a fidelibus postulatur) ne de singulorum pec- catorum genere, libellis scripta professio publice recite- tur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdoti- bus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitu- do fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timo- rem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, quæ pœni- tentiam poscunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentia remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum con- stitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ pri- mum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro deli- citis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi au- ribus non publicetur conscientia confitentis. Datum pri- die Nonas Martii, Ricimero consule.

Confessio
articulatis
& secreta.
De pœni-
tent. dist. I.
Quamuis
plenitudo.

Hucusque
Leonis epi-
stola secun-
dum seriem
temporum,
prout ex
subscriptis
consulim
nominibus
colligere li-
cuit, ordi-
natæ sunt.

EPISTOLA LXXXI.

LEONIS PAPÆ I.

AD DIOSCORVM ALEXANDRINVM

EPISCOPVM.

- I. *De ordinatione presbyteri aut diaconi, ut sabbato sancto celebretur, id est die dominico.* *Agenda, id est Missæ celebratio, populis non sufficerit, nulla sit dubitatio iterari sacrificium.*
- II. *De festiuitatibus, ut si una*

Leo episcopus Dioscoro episcopo Alexandrino salutem.

QVANTVM dilectioni tuæ dominicæ caritatis impen- damus affectum, ex hoc poteris approbare, quod

tua firmius * desideramus fundare initia , ne quid caritati
 tuæ ad perfectionem deesse videatur , cum tibi * specialis *festina-
 gratiæ merita (vt probauimus) suffragentur . Paterna igit-
 tur & fraterna collatio debet sanctitati tuæ esse gratissima ,
 & a te taliter suscipi , quemadmodum a nobis eam intelli-
 gis proficisci . Vnum enim nos sentire oportet & agere ,
 vt (sicut legimus) *in nobis quoque vnum esse cor & anima com-*
probetur . Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Do-
 mino acceperit principatum , & Romana ecclesia in eius
 permaneat institutis , nefas est credere , quod sanctus di-
 scipulus eius Marcus , qui Alexandrinam primus eccle-
 siam gubernauit , aliis regulis traditionum suarum Decre-
 ta formauerit , cum sine dubio de eodem fonte gratiæ v-
 nus spiritus fuerit & discipuli & magistri , nec aliud ordi-
 natus tradere potuerit , quam quod ab ordinatore suscep-
 pit . Non ergo patimur , vt cum vnius nos esse corporis &
 fidei fateamur , in aliquo discrepemus , & alia doctoris ,
 alia discipuli instituta videantur .

I.

Quod ergo a patribus nostris propensiore cura noui-
 mus esse seruatum , a vobis quoque volumus custodiri ,
 vt non passim diebus omnibus sacerdotalis vel Leuitica
 ordinatio celebretur , sed post diem sabbati eius noctis ,
 quæ in prima sabbati lucescit , exordia deligantur , *hoc*
est , sub lege diuini officij substituantur , in quibus his qui con-
 sefrandi sunt , ieunis , & a ieunantibus sacra benedi-
 ctio conferatur . Quod eiusdem obseruantæ erit , si ma-
 ne ipso dominico die continuato sabbati ieunio celebre-
 tur , a quo tempore præcedentis noctis initia non rece-
 dunt , quam ad diem resurrectionis , sicut etiam in Pascha
 Domini declaratur , pertinere non dubium est . Nam præ-
 ter auctoritatem consuetudinis , quam ex apostolica no-
 uimus venire doctrina , etiam sacra scriptura manifestat ,
 quod cum apostoli Paulum & Barnabā ex præcepto Spiriti
 sancti ad euangelium gentibus mitterent prædicandū ,
 ieunantes & orantes imposuerunt eis manus , vt intel-
 ligamus , quanta & dantum & accipientium deuotione
 curandum sit , ne tantæ benedictionis sacramentum negli-
 genter videatur impletum . Et ideo pie & laudabiliter apo-
 stolicis morem gesseris institutis , si hanc ordinandorū sa-
 cer-

A. 4.

24. q. 1.
Cum bea-
tissimus.In Decret.
Iuonis lib. 5.

A. 1.

cerdotum formam per ecclesias , quibus Dominus præesse te voluit , etiam ipse seruaueris : vt his qui consecratis sunt nunquam benedictiones nisi in die resurrectionis dominicæ tribuantur , cui a vespera sabbati initium constat adscribi , & quæ tantis diuinarū dispensationum mysteriis est consecrata , vt quidquid est a Domino insignius constitutum , in huius diei dignitate sit gestum . In hac mundus sumpsit exordium , in hac per resurrectionem Christi , & mors interitum , & vita accepit initium . In hac apostoli a Domino prædicandi omnibus gentibus euangelii tubam sumunt , & inferendum vniuerso mundo sacramentum regenerationis accipiunt . In hac (sicut beatus Ioannes euangelista testatur) congregatis in vnum discipulis , ianuis clausis , cum ad eos Dominus introisset , insufflauit , & dixit : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remittuntur eis peccata , detinueritis de tenta erunt.* Ioan. 20.

In hac denique promissus a Domino apostolis Spiritus sanctus aduenit : vt cælesti quadam regula insinuatum & traditum nouerimus , in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum , in quo collata sunt omnia dona gratiarum .

II.

Vt autem in omnibus obseruantia nostra concordet , illud quoque volumus custodiri : vt cum solennior festivitas conuentum populi numerosioris indixerit , & ad eam tanta fidelium multitudo conuenerit , quam recipere basilica simul vna non possit , sacrificii oblatio indubitanter iteretur : ne his tantum admissis ad hanc deuotionem , qui primi aduenerint , videantur hi qui postmodum confluxerint , non recepti , cum plenum pietatis atque rationis sit , vt quoties basilicam , in qua agitur , præsentia nouæ plebis impleuerit , toties sacrificiū subsequens offeratur . Necesse est autem , vt quædam pars populi sua deuotione priuetur , si vnius tantum Missæ more seruato sacrificium offerre non possint , nisi qui prima diei parte conuenerint . Studiose ergo dilectionem tuam & familiariter admonemus , vt quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit , tua quoque cura non negligas , * vt per omnia nobis & fide & auctibus congruamus . Propter quod remeati filio nostro Possidonio presbytero

Concil. Tom. 7.

Y

* vt omnia nobis ex fide & auctibus congruāt.

De consecratione. I. Necesse est.

hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam , qui nostris processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos missus, quid in omnibus apostolicæ sedis auctoritatis teneremus, agnouit. Data Kalendis Iuliis.

EPISTOLA LXXXII.

LEONIS PAPÆ I.

AD IVLIANVM COENSEM EPISCOPVM.

Quid ipse pro ecclesia fecerit , quidve imperator facere debeat, demonstrat : & miratur, Thalasium episcopum Georgio cuidam prædicandi & scribendi facultatem dedit.

Leo episcopus Iuliano Coensi episcopo.

LITERAS dilectionis tuæ, quas per filium meum virum illustrem Isichium direxisti, eo tempore accepi, quo recentioribus epistolis tuis iterata iam occasione respondebam. Vnde quia etiam in his alloquiis tuis eadem de impiissimis hæreticis iusto dolore conquestus es, congruum fuit, quoad scribendi opportunitas extitit, non tacere. In causa itaque fidei, quidquid pro nostro officio oportuit, ac potest iuuante Domino, & solcite & libenter exequimur: ut euangelio Christi irreprehensibiliter seruiamus, ne per desidiam nostram vlla pars ecclesiæ catholicæ neglecta videatur. Propter quod, sicut omnibus notum est, nō destiti laborare, vt manifestata atque defensa incarnationis dominicæ veritate, omnis fraternitas, quid vbiique, secundū doctrinam apostolicam, & tenendum & docendum esset, agnosceret, accedente gloriosissimorum principum studio diuinitus inspirato, vt in ciuitate Calchedonensi Synodo congregata, hæretica damnaretur impietas, ne vel quisquam sectator Nestorii, vel vllus discipulus Eutychis liberū possit cum catholicis habere consortiū: cum (quod ad sancti Concilii auctoritatem pertinet) nulla usquam remanserit discordia. Si qui autē sua obduracione cæcati, ita in reprobi sensus amentiam transferunt, vt mallingen furere, quam sanari: ad imperiale pertinet potestatem, vt perturbatores ecclesiæ, pacis & reipublicæ, quæ Christianis principibus merito gloriatur, inimici sollicitius cōpri-

mantur. Ut autem imperialis est (vt diximus) potestatis, tumultus publicos ac seditiones sacrilegas seuerius coercere: ita auctoritatis est sacerdotalis, monachis praedicandi aliquam contra fidem licentiam non præbere, & omni virtute resistere, ne ea, quæ ad sacerdotes pertinent, sibi audeant vindicare. Vnde miramur, fratrem Thalassium episcopum, quod Georgio nescio cui, qui præsumendo illicita, & propositum monachi & nomen amisit, scribendi vel praedicandi aliquam permiserit facultatem. Ad quem episcopum (si dilectioni tuae visum fuerit) ex hac parte competentia scripta mittamus. Agat itaque fraternitas tua opportunis suggestionibus, vt clementissimus princeps, quæ Domino sint placitura, præcipiat, & incentores cruentarum seditionum iubeat competentius coerceri: vt nec illi impuniti sint, quorum manus scelera perpetrarunt, nec illi qui talium vtuntur insanis. Si autem inquisitio iudicaria & confessio reorum ad eas personas peruenit, quarum vel consilio vel impulsu mala tanta commissa sunt, nullius fauoris eis sunt præstanta solatia. Quantum enim meliora de ipsis sunt credita, tantum sunt amplius detestandi, quorū nunc impietas, quæ per hypocrisim fuerat velata, detegitur. Et ideo agat Christianissimus & piissimus imperator, quod paci ecclesiasticæ inteligit profuturum. Quem superna inspiratione ita instruendum esse confido, vt & disciplina inquietos reuocare, & a sanguine eorum iubeat abstineri: quamvis nil vltionum non mereantur subire, qui ausi sunt & diuinis & humanis constitutionibus repugnare.

EPISTOLA LXXXIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD PALÆSTINOS EPISCOPOS.

Veram catholicæ ecclesiæ doctrinam de Christi incarnatione exponit.

Leo episcopus uniuersis episcopis per Palæstinam constitutis.

SOLOITUDINI meæ, quam vniuersali ecclesiæ omnibus que eius filiis debeo, multorū relatione patefactū est dilectionis vestræ animis quiddam offendit illatū, dum aut imperiti (vt apparent) interpres, aut maligni quæ-

Concil. Tom. 7.

Cum hac
epistola cœ-
ueniunt
pleraque
in epist. 97.

Y ij

dam vos aliter intelligere, quam a me sunt prædicata, fecerunt, non valentes in Græcum eloquium apte & proprie Latina transferre, cum in rebus subtilibus & difficultibus explicandis, vix sibi etiā in sua lingua disputator quisque sufficiat. Quod tamen apud me eo profecit, vt dū ea, quæ catholica fides respuit, improbatis, intelligamus vos veris amiciores esse quā falsis, & id merito refutare, quod ex antiquæ institutione doctrinæ etiam * ipse detestor. ipse Eu-
tyches
detera-
tur. Quamuis enim epistola mea, ad sanctæ memoria Flavia-
num episcopum data, satis sibi ad manifestationem sui ipsa sufficiat, neque in aliquo, aut purgationis, aut expositionis indigeat, & alia tamen cum eadem mea scripta concordant, in quibus similiter prædicationis meæ sensus in apero est. Necessitatem enim habens contra hæreticos, qui multos Christi populos conturbauerant, differendi, & clementissimis principibus, & sancto Concilio synodi, & Constantinopolitanæ ecclesiæ, quid de incarnatione Verbi, secundum euangelicam apostolicamque doctrinam, deberemus sapere ac sentire, patefeci, & in nullo a sanctorum patrum confessione discessi: quia vna est, vera, singularis, perfecta, inuiolabilis catholica fides, cui nihil addi, nihil minui potest. Quam Nestorius prius, & nunc Eutyches, diuersa quidem asseritione, sed simili impietate impugnare conati sunt, & ecclesiæ Dei duas hærefes sibimet contrarias inferre tentarunt, vt vterque a discipulis veritatis merito damnaretur: quia insanum nimis & sacrilegum fuit, quod varia falsitate ambo senserunt. Anathematizetur ergo Nestorius, qui beatam Virginem Mariam hominis tantummodo credidit genitricem, vt aliam personam carnis, aliam faceret deitatis: nec vnum Christum in Verbo Dei & carne sentiret, sed separatim atque seiuētim, alium Filium Dei, alium hominis prædicaret; cum tamen manente illa incommutabilis Verbi essentia, quæ ei cum Patre & Spiritu sancto intemporalis atque coæterna est, ita intra virginea viscera Verbum caro sit factum, vt vno conceputu vnoque partu eadem Virgo secundū vunionem vtriusque substantiæ & ancilla Domini esset & mater. Quod etiam Elizabeth (sicut Lucas euangeliſta declarat) intellexit & dixit: *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

Lxxia 1.

Eutyches quoque eodem percellatur anathemate , qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores , tertium Apollinaris dogma delegit: vt negata humanæ carnis atque animæ veritate , totum Dominum nostrum Iesum Christum vnius afferat esse naturæ ; tamquam Verbi deitas ipsa se in carnem animamque conuerterit , & concipi & nasci , nutrirī & crescere , crucifigi ac mori , sepeliiri ac resurgere , & ascendere in cælum , & in Patris dexterā , vnde ad iudicandos viuos & mortuos veniet , considerare , diuinæ eius tantum essentiæ fuerit , quæ nihil horum in se sine carnis veritate recepit : quoniam natura Vnigeniti , natura est Patris , natura est Spiritus sancti , simulque impassibilis , simul est incommutabilis , sempiternæ trinitatis indiuisa unitas & consubstantialis æqualitas . Vnde si ab Apollinaris peruersitate hæreticus iste desciscit , ne conuincatur deitatem passibilem sentire atque mortalem , & tamen Verbi incarnati , id est , Verbi & carnis unam audet pronuntiare naturam ; non dubie in Manichæi & Marcionis transit insaniam , & mediatorem Dei & hominum , hominem Iesum Christum simulatorie omnia credit egisse , nec humanum in ipso corpus , sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium .

Quæ impietatis mendacia quoniam olim fides catholica detestatur , & talium sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum patrum sunt damnata sententias ; qui cumque illis sunt ita obsecrati , & a lumine veritatis alieni , vt Verbo Dei a tempore incarnationis humanam , id est , nostram negent inesse naturam , ostendant in quo sibi Christianum nomen usurpent , & cum euangelio veritatis , qua ratione concordent , si per beatæ Virginis partum , aut caro sine deitate , aut deitas est orta sine carne . Sicut enim negari non potest , quod *Verbum caro factum est* , *& Ioh. 1.*
habuit in nobis : ita negari non potest , quod *Deus erat in 2. Cor. 1.*
Christo , mundum reconcilians sibi . Quæ autem reconciliatio esse potest , qua humano generi propitiaretur Deus , nisi omnium causam mediator Dei hominumque susciperet ? Qua vero ratione veritatem mediatori impleret , nisi qui in forma Dei æqualis erat Patri , in forma serui particeps esset & nostri , vt per vnum nouum hominem fieret renouatio vetustatis , & mortis vinculum , vnius præuaricatio-

ne contractum, vnius morte qui solus morti nihil debuit, solueretur? Effusio enim pro iniustis sanguinis iustitiam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad premium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent, quoniam (sicut Apostolus ait) *vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia.* Et cum sub peccati prauidicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum seruitutis.

Rom. 5.

Ephes. 5.

Psal. 115.

Iohu. 12.

Lvc. 1.

Quam itaque sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquent, qui in Saluatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, dicant quo sanguine sint redempti? quis est *qui tradidit se metipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis?* Aut quod vñquam sacrificium sacratius fuit quam quod verus pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamuis enim multorum sanctorum in conspectu Domini preciosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, cum inter filios hominum vñus solus Dominus noster Iesu Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.* Fides etenim vera iustificans impios, & creans iustos, ad humanitatis suæ tracta partipem, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem superbum in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam traxit, in quorum corpore triumphauit.

Quamuis ergo in vno Domino nostro Iesu Christo, vero Dei atque hominis Filio, Verbi & carnis vna persona sit, & vtraque essentia communes habeat actiones: intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis: quid sit, quod caro sine Verbo non agit, & quid

sit quod Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim *Lucæ 2.* potentia, nec conciperet Virgo, nec pareret: & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine Verbi potentia non adorarent magipuerum nouo fide- *Matth. 2.* re declaratum: & sine veritate carnis non iuberetur trans-
ferri in Ægyptum puer, & ab Herodis persecutione sub-
duci. Sine Verbi potentia non diceret vox Patris, missa
de cælo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* & si- *Matth. 3.*
ne veritate carnis non protestaretur Ioannes: *Ecce Agnus* *Iohann. 1.*
Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sine Verbi potentia non fie-
ret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum: & *Matth. 4.*
sine veritate carnis, nec cibus ieuno, nec somnus esset
necessarius fatigato. Postremo, sine Verbi potentia, non *Iohann. 16.*
se Dominus Patri profiteretur æqualem, & sine veritate
carnis non idem diceret Patrem se esse maiorem: cum ca-
tholica fides vtrumque suscipiat, vtrumque defendat,
quæ secundum proprietatem diuinæ humanæque substanciæ vnum Dei Filium, & hominem credit, & Verbum.

Quamuis ergo ab illo initio, quo in vtero Virginis *Ver-* *Iohann. 1.*
bum caro factum est, nihil vñquam inter diuinam humanam-
que substantiam diuisionis extiterit, & per omnia incre-
menta corporea, vnius personæ fuerint totius temporis
actiones: ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta sunt,
nulla permixtione confundimus, sed quid cuius formæ
sit, ex operum qualitate sentimus. Nec diuina enim hu-
manis præjudicant, nec humana diuinis, cum ita in idip-
sum vtraque concurrant, vt in eis nec proprietas absuma-
tur, nec persona geminetur. Dicant igitur isti phantasmati-
cici Christiani, quæ substantia Saluatoris affixa sit ligno,
quæ iacuerit in sepulcro, & reuoluto monumenti lapide,
quæ tertio die caro surrexerit, vel quale corpus Iesu di-
scipulorum visui, clausis ad eos ostiis ingressus, intulerit:
cum ad abigendam cernentium diffidentiam, inspici oculis,
& digitisque tractari patentes adhuc fixuras clavorum,
& recens compunctilateris vulnus exigeret. At si in tanta
luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relin-
quit, ostendant, vnde sibi spem vitæ polliceantur æternæ,
ad quam, nisi per mediatorem Dei & hominum, homi-
nem Iesum Christum, non potest perueniri. *Non enim est* *Ad. 4.*
aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos

fieri : nec est redemptio captiuitatis humanæ , nisi in san-
1. Tim. 2.
Philip. 2. guine eius , qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus . Qui
(sicut prædicat beatus Apostolus) cum in forma Dei esset ,
non rapinam arbitratus est , esse se æqualem Deo , sed semetipsum
exinanivit , formam serui accipiens , in similitudinem hominum fa-
ctus , & habitu inuentus ut homo . Humiliauit semetipsum , factus
obediens usque ad mortem ; mortem autem crucis . Propter quod &
Deus illum exaltauit , & donauit illi nomen , quod est super omne
nomen , ut in nomine Iesu omne genu fleatur , cœlestium , terrestrium ,
& inferorum , & omnis lingua confiteatur , quia Dominus Iesus
Christus in gloria est Dei Patris .

Quamuis ergo vñus sit Dominus Iesus Christus , & ve-
ræ deitatis veræque humanitatis in ipso vna prorsus ea-
demque persona sit , neque huius vnitonis soliditas vlla
possit diuisione seiungi : exaltationem tamen , qua illum
exaltauit Deus , & donauit illi nomen , quod super omne
nomen excellit , ad eam intelligimus pertinere formam ,
quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento . In for-
ma quippe Dei , æqualis erat Filius Patri , & inter Genito-
rem atque Vnigenitū nulla erat in essentia discretio , nul-
la in maiestate diuersitas , nec per incarnationis myste-
rium aliquid deceperat Verbo , quod ei Patris munere
redderetur . Forma autem serui , per quam impassibilis
deitas sacramentum magnæ pietatis impleuit , humana
humilitas est , quæ in gloriam diuinæ potestatis euecta est ,
in tantam vnitatem ab ipso conceptu Virginis deitate &
humanitate connexa , vt nec sine homine diuina , nec sine
Deo agerentur humana . Propter quod sicut Dominus
maiestatis dicitur crucifixus , ita qui ex sempiternitate æ-
qualis est Deo , dicitur exaltatus . Nec interest , ex qua
Christus substantia nominetur : cum inseparabiliter ma-
nente vnitate personæ , idem fit & totus hominis filius ,
propter carnem , & totus Dei Filius , propter vnam cum
Patre deitatem . Quidquid ergo in tempore accepit Chri-
stus , secundum hominem accepit , cui quæ non habuit ,
conferuntur . Nam secundum potentiam Verbi , indiffe-
renter omnia , quæ habet Pater , etiam Filius habet , & quæ
in forma serui a Patre accepit , eadem in forma Patris et-
iam ipse donauit , & idem ipse & diues & pauper . Diues , quia
2. Cor. 8.
Ioan. 1. in principio erat Verbum , & Verbum erat apud Deum , & Deus
erat

erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Pauper vero, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quæ autem est eius exinanitio, quæve paupertas, nisi formæ seruilis acceptio? per quam, Verbi maiestate velata, dispensatio humanæ redemptionis impleta est? Nam quia captiuitatis nostræ resoluti originalia vincula non poterant, & ab hostis imperio relaxari, nisi existeret homo nostri generis, nostræque naturæ, quem veteris debiti præiudicia non tenerent, Coleff. 2.

& qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret, sicut ab initio erat diuinitus præordinatum, & prophetarum oraculis prænuntiatum: ita est in plenitudine præfiniti temporis factum, ut multis modis significata promissio in diu expectatum veniret effectum, nec posset esse ambiguum, quod continua significationibus semper fuerat nuntiatum. Destructis itaque tot heresisbus, quæ per sanctam deuotionem præsidentium patrum a corpore sunt catholicae unitatis abscessæ, quæque ideo extorres a Christo esse meruerunt, quia Verbi incarnationem, quæ singularis est recte credentium salus, fecerunt sibi lapidem offensionis & petram scandali: miror dilectionem vestram in discernendo veritatis lumine laborare. Et cum multis manifestationibus declaratum sit, quam recte & Nestorium & Eutychen cum Dioscoro fides Christiana damnauerit, nec Christianus possit vocari, qui vel illius, vel horum impietati præbet assensum: doleo vos euangelicæ & apostolicae doctrinæ (vt audio) resultare, exagitando seditionibus ciuitates, conturban-do ecclesias, nec solum iniurias, sed etiam cædes presbyteris atque episcopis inferendo: vt præ furore & saevitia, propositi vestri & professionis sitis immemores. Vbi est regula mansuetudinis & quietis? Vbi longanimitas patientiæ, vbi tranquillitas pacis, vbi firmamentum dilectionis, & tolerantiæ fortitudo? Quæ vos ab euangelio Christi aut persuasio abduxit, aut persecutio separauit? Vel quæ tanta extitit decipientis astutia, vt oblii prophetarum & apostolorum, oblii symboli salutaris & confessionis, quam pronuntiantes coram multis testibus sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis vos illusionibus subderetis? Quid apud vos acturæ fuerant vngulæ, quid

Concil. Tom. 7.

Z



sæua tormenta, si ad expugnandam fidei vestræ integritatem tantum vana hæreticorum commenta valuerunt? Pro fide vos agere creditis, & fidei contraitis. Ecclesiæ nomine armamini, & contra ecclesiam dimicatis. Hoccine a prophetis, hoc ab euangelistis, hoc ab apostolis didicistis, vt negantes veram Christi carnem, & ipsam Verbi essentiâ passioni mortique subdentes, alienam faciatis nostram a suo reparatore naturam, totumque quod crux intulit, quod lancea vulnerauit, quod sepulcri lapis suscepit & reddidit, solum fuisse opus diuinæ potentiaæ, non etiam humilitatis humanæ? Propter quam Apostolus dicit: *Non enim erubesco euangelium: quoniam nouerat, quale Christianis obiiceretur opprobrium ab inimicis.* Et ideo etiam Dominus protestabatur, dicens: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum coram Patre meo.* Hi enim non erunt digni confessione Filii & Patris, quibus nunc caro Christi verecundiam facit: probabuntque se nullam de signo crucis sumpsisse virtutem, qui quod præferendum frontibus acceperunt, promere labiis erubescunt. Declinate, filii, ab his diabolicis persuasionibus declinate. Veritatem Dei nulla res violat, sed veritas nos nisi in nostra carne non saluat. *Veritas* quippe (sicut Propheta ait) *de terra orta est*, & sic Verbum Maria virgo concepit, vt vniendam *sibi carnem de sua substantia ministraret: nec cum adiectione personæ, nec cum euacuatione naturæ, quoniam qui erat in forma Dei, ita accepit formam serui, vt unus atque idem in forma utraque sit Christus, inclinante se Deo usque ad infima hominis, & proficiente homine usque ad summa deitatis, dicente Apostolo: *Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.*

*Rom. 1.**Marc. 8.
Luc. 12.**Psal. 84.**Rom. 9.*

EPISTOLA LXXXIV. LEONIS PAPÆ I.

AD ANASTASIVM THESSALONICENSEM EPISCOPVM.

- I. *Quod semper Thessalonicenses antifites vicem apostolice sedis impleuerint.*
- II. *Vt metropolitanis sua iura seruentur.*
- III. *Vt a metropolitanis, non laici, non digami, non viduarum mariti, sed irreprehensibiles ordinentur episcopi.*
- IV. *Quod subdiaconis carnale con-*

- iugium denegetur.
- v. *Vt nullus in iuris ordinetur episcopus.*
- vi. *Vt metropolitanus episcopus de electo, quem est ordinaturus episcopum, ad Thessalonicensem pontificem referat, & de metropolitanu elecione similiter prouinciales episcopi faciant.*
- vii. *Vt bina per annum prouincialia episcorum Concilia celebrentur. Et si res difficulter emergerit, nec fuerit Thessalonicensis episcopi iudicio terminata, ad Romanum referatur antistitem.*
- viii. *Vt si quis episcopus suam defenserit ciuitatem, maiorem sedem ambitus causa petierit, nec illam obtinere poterit, & sua carere debet.*
- ix. *Vt nullus alienum clericum solicitare vel tenere presumat, suo episcopo non probante consensum.*
- x. *Vt in euocandis prouincialibus episcopis, a Thessalonicensi pontifice moderatio conseruetur, ne sub hoc colore sacerdotalis honor contumelias addicatur. Nec amplius quam bini de prouinciis episcopi, quos metropolitani probauerint, dirigantur. Et non amplius a statuto Concilii tempore, quam dies quindecim, remoren tur episcopi.*
- xii. *Vt si inter eos de negotio fuerit oborta contentio, cuncta Romano pontifici sub gestorum insinuatione pandantur, ut ab eo, quod Deo placuerit, ordinetur.*

*Leo episcopus urbis Romæ Anastasio episcopo
Thessalonicensi.*

* fide **Q**UANTA fraternitati tuae beatissimi Petri apostoli * fide auctoritate sint commissa, & qualia etiam nostro tibi fauore sint credita, si vera ratione perspiceres, & iusto examine ponderares, multum possemus de iniunctæ tibi sollicitudinis deuotione gaudere.

I.

Quoniam sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuae, priorum fecutus exemplum, vices mei moderaminis delegauit: ut curam, quam vniuersis ecclesiis principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares, & longinquis ab apostolica fede prouinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes: * quia de continenti opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusque rebus, vel tuo studio componeres, vel nostro iudicio reseruares. Nam cum maiora negotia & difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi nec necessitas fuit, in id quod mensuram tuam excederet, deuandi. Abundant enim apud te

Concil. Tom. 7.

Z ij

* monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus: vt commendatas tibi Christi ecclesias per exhortationem caritatis ad salubritatem obedientiae prouocares. Quia et si plerumque existant inter negligentes vel desides fratres, quæ oporteat maiore * au^{toritate} curari: sic tamen est adhibenda correctio, vt semper sit salua dilectio. Vnde & beatus apostolus Paulus, ad ecclesiasticum regimen Timotheum imbuens dicit: *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrem, iuuenes ut fratres, anus ut matres, iuuenulas ut sorores in omni castitate.* Quæ moderatio si quibuscumque inferioribus membris ex apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus & coepiscopis nostris sine offensione reddenda est? Et licet nonnunquam accident, quæ in sacerdotalibus sint reprehendenda personis, plus tamen erga corrigenda agat benevolentia, quam severitas: plus cohortatio, quam commotio, plus caritas, quam potestas.

1. Tim. 5.

Philip. 2.

Sed ab his, qui quæ sua sunt querunt, non quæ Iesu Christi, facile ab hac lege disceditur, & dum dominari magis quam consulere subditis querunt, placet honor, inflat superbia, & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Quod vt necesse habeamus ita dicere, non de paruo animi dolore procedit. Meipsum enim quodammodo in culpa sentio, cum te a traditis tibi regulis immodice deviassे cognosco. Qui si tuæ existimationis parum diligenseras, meæ saltem famæ parcere debueras, ne quæ tuo tantum facta sunt animo, nostro viderentur gesta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas nostras, omniaque ad tuos missa maiores apostolicæ sedis præfulum scripta percurrat, & vela me, vela præcessoribus meis inueniet ordinatum, quod a te cognouiimus esse præsumptum. Venit namque ad nos cum episcopis prouincię suę frater noster Atticus, veteris Epiri metropolitanus antistes, & de indignissima afflictione, quam pertulit, lacrymabili affectione conquestus est coram adstantibus diaconibus tuis, qui querelis flebilibus nihil contra referendo, ea quæ nobis ingerebantur, fide non carere monstrabat. Legebatur quoque in literis tuis, quas iidem diaconi detulerunt, quod frater Atticus Thessalonicanam venisset, quodque consensum suum etiam scripturæ professione signasset, vt de illo

non aliud a nobis intelligi posset, quam proprii arbitrii & spontaneæ deuotionis fuisse quod venerat, quodque chartulam de obedientiæ sponsione conscriperat, in cuius tamen chartulæ mentione signum prodebatur iniuriæ. Non enim necessarium fuerat ut obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso iam voluntarii aduentus probabat officio. Vnde deplorationibus supradictis hæc verba epistolæ tuæ testimonium præbuere, & per hoc, quod non est tacitum, nudatum est illud quod silentio fuerat adopertum; *adhibitam scilicet Illyrici præfecturam, & sublimissimam inter mundanos apices potestatem in exhibitionem insontis antistitis incitamat; vt missa execuzione terribili, quæ omnia sibi officia publica ad effectum præceptionis adiungeret, a sacris ecclesiæ adytis, nullo vel falso insimulatus crimine, extraheretur sacerdos, cui non ob molestiam ægritudinis, non ob seuitiam hiemis darentur induciae, sed iter asperum & periculis plenum per inuias *niues agere cogeretur. Quod tanti laboris, tantique discriminis fuit, vt ex his, qui episcopum comitati sunt, quidam defecisse dicantur. Multum stupeo, frater carissime, sed & plurimum doleo, quod in eum, de quo nihil amplius indicaueras, quam quod euocatus adesse differret, & excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter, & tam vehementer potueris commoueri: præsertim cum et si tale aliquid mereretur, expetandum *cautes tibi fuerat, quid ad tua *consulta rescriberemus. Sed vt video, bene de moribus meis existimasti, & quam ciuilia pro conseruanda sacerdotali concordia responsurus essem, verissime præuidisti: & ideo motus tuos exequi sine dilatione properasti, ne cum moderationis nostræ aliud disponentia scripta sumpsisses, faciendi id, quod factum est, licentiam non haberes. An forte aliquod tibi faciuntis fratris innotuerat, & metropolitanum episcopum noui a-pud te criminis pondus vrgebat? At hoc quidem alienum ab illo esse, etiam tu nihil ei obiiendo confirmas. Sed etiam si quid graue intolerandumque gesisset, nostra erat expectanda censura; vt nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret, agnosceres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus caritati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde sicut

Z iij

1. quæst. 6.
Multum
stupeo.3. quæst. 6.
Multum

multum nos ea quæ a te pie sunt curata lœtificant, ita nimium ea quæ perperam sunt gesta contristant. Et necesse est, post multarum experimenta causarum solicitius prospici, & diligentius præcavéri: quatenus per spiritum caritatis & pacis omnis materia scandalorum de ecclesiis Domini (quas tibi commendauimus) auferatur, præminentē quidem in illis prouinciis episcopatus tui fastigio, sed amputato totius usurpationis excessu.

II.

^{25. quest. 1.}
Igitur secundum sanctorum patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, metropolitanos singularum prouinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita ut a regulis præstitutis, nulla aut negligentia aut præsumptione discedant.

III.

In ciuitatibus, quarum rectores obierunt, de substi-tuendis episcopis hæc forma seruetur: ut is qui ordinandus est (etiam si bona vitæ testimonio fulciatur) non laicus, non neophytus, nec secundæ coniugis sit maritus, aut qui vnam quidem habeat, vel habuerit, sed nec qui sibi vi-duam copularit. Sacerdotum enim tam excellens est elec-tio, ut hæc quæ in aliis ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

IV.

Nam cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiae pu-ritatem, nec subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: *ut & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.* Quod si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri; quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio seruan-dum est, ne aut Leuitico ministerio, aut presbyterali ho-nori, aut episcopalē excellentiæ quisquam idoneus existi-metur, qui se a voluptate vxoria necdum frenasse dete-gitur.

V.

Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consen-

Dift. 32.
Omnium
facerdotū.

1. Cor. 7.

In Decret.
Iuo. lib. 3.
dist. 63. Si
forte.

fus concorditer postularit : ita vt si in aliam forte personam partium se vota diuiserint, metropolitani iudicio is alteri præferatur , qui maioribus & studiis iuuatur & meritis : tantum vt nullus inuitis & non potentibus ordinetur , ne plebs inuita episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quam conuenit, cui non licuerit habere quem voluit.

VI.

De persona autem consecrandi episcopi , & de cleri plebisque consensu, metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat , quodque in prouincia bene placuit, scire te faciat ; vt ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum. Metropolitanus vero defuncto , cum in locum eius alius fuerit subrogandus, prouinciales episcopi ad ciuitatem metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum atque omnium ciuium voluntate discussa , ex presbyteris eiusdem ecclesiæ, vel ex diaconibus optimus eligatur , de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant episcopi, impleturi vota poscentium, si quod ipsis placuit , tibi quoque placuisse cognoverint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari , ita nihil permittimus te ignorantem præsumi.

VII.

De Conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus, quam sancti patres salubriter ordinarunt : vt scilicet bini Conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos ecclesiæ ordines nasci assolent, iudicetur. At si forte inter ipsos qui præsunt de maioribus (quod absit) peccatis causa nascatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri; fraternitatem tuam de totius negotii qualitate metropolitanus curabit instruere , & si coram positis partibus , nec tuo fuerit res sopita iudicio , ad nostram cognitionem, quid illud est, transferatur.

VIII.

Si quis episcopus, mediocritate ciuitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad maio-

Dif. 65. De
persona au-
tem.

Dif. 63.
Metropoli-
tano. Et
dift. 77. in
principio
distinctio-
nis.

Dif. 18. De
Conciliis.
Et in Decr.
Iuo. lib. 4.

7. quæst. 1.
Si quis epi-
scopus.

rem se plebem quacumque occasione transtulerit ; non solum a cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria: vt nec illis præsideat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis, quos per superbiam spreuit. Suis igitur terminis contentus sit quisque, nec supra mensuram iuris sui affectet augeri.

IX.

19. quest. 2.
Alienum
clericum.

Alienum clericum, inuito episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito caritatis id interdantem accipientemque conueniat. Nam grauis iniuriæ reus est, qui de fratribus ecclesia id quod est vtilius aut preciosius audet vel allicere, vel tenere. Itaque si intra provinciam res agatur, transfugam clericum ad suam ecclesiam metropolitanus redire compellet. Si autem longius processit, tui præcepti auctoritate reuocabitur, vt nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

X.

In euocandis autem ad te episcopis moderatissimum esse volumus: ne per maioris diligentiae speciem, fraternalis videaris gloriari iniuriis. Vnde si causa aliqua maior extiterit, ob quam necessarium sit fraternum aduocare conuentum; binos de singulis prouinciis episcopos, quos metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat: ita vt a præstituto tempore non ultra quindecim dies * quo conuenerint, retardentur.

XI.

Philip. 2.
Rom. 15.

Si autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diuersa eorum fuerit a tua voluntate sententia; ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum curamque dirigimus, vt quod ad unitatem concordiae, & quod ad custodiam pertinet disciplinae, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. Et te igitur, frater carissime, & eos fratres nostros, qui de tuis offenduntur excellibus, cum tamen non similis sit omnium materia querelarum, hortor & moneo, vt quæ pie sunt ordinata, salubriterque disposita, nulla concertatione turbentur. Nemo quod suum est querat, sed quod alterius, sicut Apostolus ait: *Vnusquisque vestrum proximo suo placeat*

placeat in bono ad ædificationem. Nec enim poterit unitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum caritatis adstrinxerit: *quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo.* singuli autem alterius membræ. Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulcritudinem facit. Ethæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis: quoniam & inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium pars esset electio, unum tamen datum est, ut ceteris præmineret. De qua forma, episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam, in maioribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiæ cura confluueret, & nihil usquam a suo capite diffideret. Qui ergo scit se quibusdam esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. Et sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii importabile pondus imponere. Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri, dicentis: *Dicte a me, quia mitis sum & humilius corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Iugum enim meum suave est, & onus meum leue. Quod quomodo experiemur, nisi & illud in obseruantiam veniat, quod idem Dominus ait: *Qui maior est vestrum, erit minister vestrorum?* *Qui autem se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.*

Rom. 12.1. Cor. 12.2. quart. 6.Qui fecit sc.Matth. 23.Matth. 11.Matth. 10.Marc. 10.Luc. 14.

EPISTOLA LXXXV.

LEONIS PAPÆ I.

AD SEPTIMIVM ALTINVM EPISCOPVM.

Sancit hæreticos, non nisi damnata hæresi, ad communionem recipiendos.

Leo episcopus Septimio episcopo salutem.

LECTIS fraternalitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ, quam olim noueramus, agnouimus: congratulantes tibi, quod ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilanter exequaris; ne lupi, qui sub specie ouium subintrarunt, bestialiæ sauitia simplices quosque dilacerent, & non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne vipera possit obtinere fallacia, ad metropolitanum episcopum prouinciacæ Venetiæ scripta direximus, quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere, si quisquam de Pelagianorum & Cælestianorum confortio veniens, in communione catholica sine professione legitimæ satisfactio-
1. quæst. 7.
Saluberrimum enim.
Et i. q. 1.
Omnis cu-
iuslibet.
Et, Si quis
hæreticæ.
Et in Decr.
Iuo. lib. 3.
cum literæ
variatione.
 nis habeatur. Saluberrimum enim est, & spiritualis medi-
 cinæ utilitate plenissimum, vt siue presbyteri, siue diaconi, siue alii cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, & ipsos erroris auctores damnari a se sine ambiguitate fateantur: vt sensibus prauis & dum peremptis, nulla sperandi superstitione, ne ullum membrum ecclesiæ talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obuiare. Circa quos etiam illam Canonum constitutionem præcipimus custodiri, ne ab his ecclesiis, ad quas proprie pertinent, sifiantur abscedere, & pro suo arbitrio ad loca sibi non deputata transfire. Quod cum recte non permittitur inculpati, multo minus debeat licere suspectis. Proinde dilectionis tua, cuius deuotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris, & cum supradicto metropolitano det operam, vt circumspècte ac velociter impleantur ea, quæ ad totius ecclesiæ incolumentem, & laudabiliter sunt gesta, & salubriter ordinata.

EPISTOLA LXXXVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD NICETAM AQVILEIENSEM

EPISCOPVM.

Mandat vt Pelagiani sacrī initiati ad communionem recepti fidei catholicæ professionem emittant,
eorumque hæresim refellit.

*Leo episcopus Romæ Nicetæ Aquileiensi episcopo * salutem.*

* Item ad
metropoli-
tanum Ve-
netia

RELEGATIONE sancti fratris & coepiscopi nostri Septimii, quæ in subditis habetur, agnouimus quosdam presbyteros, diacones, ac diuersi ordinis clericos, quos Pelagiana siue Cælestiana hæresis habuerit implicatos, ita in vestra prouincia ad communionem catholicam peruenisse, vt nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris, & pastoralibus excubiis nimium dormitantibus, lupus ouiu pelibus teftus in ouile dominicum, non depositis bestialibus animis introiret: & quod per auctoritatem Canonū Decretorumque nostrorum ne infontibus quidem conceditur, usurpare, vt relictis ecclesiis, in quibus clericatum aut acceperant, aut receperant, instabilitate sua per diuersa circumferantur, amantes semper errare, & nunquam in fundamento apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine nullo sunt præiudicio suæ professionis obstricti, hunc maxime expetunt fructum, vt sub velamento communionis plures domos adeant, & per falsi nominis scientiam multorum corda corrumpant. Quod utique efficere non possent, si ecclesiarum preſules necessariam diligentiam in talium receptione seruarent, nec cuiquam eorum euagari in diuersa licuisset. Ne ergo hoc vterius audeatur, neve per quorundam negligentiam introducta pernicies ad euersionem multarum tendat animalium, hac nostri auctoritate præcepti industriae tuæ fraternitatis indicimus, vt congregata apud vos Synodo provincialium sacerdotū, omnes siue presbyteri, siue diaconi, siue cuiusque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Cælestianorumque consortio in communionem catholicam ea imprudentia sunt recepti, vt non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc, saltem posteaquam

Concil. Tom. 7.

Aa ij

Math. 7.

hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quæ & ipsis prodeesse, & nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris autores, & quidquid in doctrina eorum universalis ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque Decreta synodalia, quæ ad excisionem huius haereseos apostolicæ sedis confirmauit auctoritas, amplecti se, & in omnibus approbare, plenis & apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inueniatur ambiguum. Quoniam nouimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se a damnatorum societate discreuerint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non saluum. Cumque omnes diffinitiones suas ad tantam facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc tibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipient, ut gratia Dei secundum meritum dari accipientiū sentiatur. Quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed merces retributioque meritorum, dicente beato Apostolo: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figuratum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus.* Omnis itaque bonorum operum *donatio, diuina præparatio est: nec propria quisquam iustificatur virtute, quoniam gratia vnicuique principiū iustitiae, & bonorum fons atque origo meritorum est. Sed ab ipsis ideo per naturalem industriam dicitur præueniri, ut quæ ante gratiam proprio data sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata: falsumque sit quod veritas ait. Quoniam *Filius hominis venit querere & saluare quod perierat.* Ideo etiam paruulos dicunt, si sine baptismo hinc de seculo exierint, non posse damnari, neque reos in peccato Adæ teneri, sed ad regnum Dei, vel ad vitam æternam, sine ulla cunctatione venire, cum Apostolus dicat: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit,* propter quod & ipsi paruuli baptizantur. Quamuis in illo uno possint intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra singula diuidatur. Nam & superbia est illic, quia in sua homo potius esse, quam in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo

Ephes. 2.

Matth. 18.

Rom. 5.

*devotio

non credidit: & homicidium, quia se præcipitauit in mortem: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanae serpentina suaſione corrupta eſt: & furtum, quia prohibitus usurpatus eſt cibus: & avaritia, quia plus quam ſufficere illi debuit, appetiuit: & ſi quid aliud in hoc vno admisso diligenti conſideratione poterit inueniri. Paren-
tum quoque peccatis paruulos obligari, non ſolum pri-
morum hominum, ſed etiam fuorum, de quibus ipſi natu-
runt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe ſententia:
Reddam peccata patrum in filios, tenete eos utique, antequam Exod. 20.
 per regenerationem ad testamentum nouum incipient
 pertinere: quod testamentum prophetabatur, cum dice-
 retur per Ezechielem, non accepturos filios peccata pa-
 trum fuorum, nec ulterius futuram in Israel parabolam
 illam: *Patres manduauerunt uiam acerbam, & dentes filio- Ezech. 18.
 rum obſtupescunt.* Ideo enim quisque renascitur, ut ſoluatur
 in eo quidquid peccati eſt, cum quo nafcitur. Nam pec-
 cata quæ male agendo poſtea committuntur, poſſunt &
 pœnitendo fanari, ſicut etiam poſt baptismum fieri vide-
 mus. Ac per hoc non eſt instituta regeneratio, niſi quia
 vitiosa eſt generatio; uisque adeo ut etiam de legitimo ma-
 trimonio procreatus dicat: *In iniquitatibus conceptus sum, Psal. 50.*
& in peccatis mater mea in utero me aluit. Neque hic dixit, in
 iniquitate, vel in peccato, cum hoc recte dici poſſet, ſed
 iniquitates & peccata dicere maluit: quia & in illo vno,
 quod in omnes homines pertransiuit, quodque tam ma-
 gnum eſt, ut eo mutaretur & conuerteretur in neceſſita-
 tem mortis humana natura, (ſicut ſupra diſerui) repe-
 riuntur plura peccata, & alia parentum, quæ licet non
 poſſunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, niſi
 gratuita gratia & misericordia diuina ſubueniat. A paruu- De conf. distinct. 4.
 lo enim recens nato, uisque ad decrepitū ſenem, quamli- A paruolo.
 bet corporis ætatem gerant, ſicut nullus prohibendus eſt
 a baptismo, ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in
 baptismo. Sed paruuli tantum originali, maiores autem
 etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque ma-
 le viuendo addiderunt ad illud quod nafcendo traxe-
 runt.

Cauendum ergo dilectioni tuæ eſt, magnaue diligen-
 tia prouidendum, ne per huiusmodi homines extincta du-

dum scandalorum suscitentur: & de exciso olim dogmate aliquod in provincia tua eiusdem mali germano oriatur, quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat. Qui coram eos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent: & obediendo nobis, probent se esse nostros. Quorum si quis quam salubribus præceptis satisfacere detrectarit, siue ille clericus, siue sit laicus, ab ecclesiæ societate pellatur, ne perditor animæ suæ saluti insidietur alienæ.

Illam quoque partem ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim a sanctis patribus & a nobis saepe decretū est, ut nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, nec in subsequenti officio clericorū ab ecclesia ad ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum reuoces, admoneamus. Et unusquisque non ambitione illeitus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est, perseveret: ita ut si quis sua querens, non quæ Iesu Christi, ad plebem & ecclesiam suam redire neglexerit; & ab honoris priuilegio, & a communio-nis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua, nos, si (quod non arbitramur) negligēta fuerint quæ pro custodia Canonum & pro fidei integritate decernimus, vehementius commouendos: quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referenda sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam saepe nutriunt pestilentiam, dum austriorem dissimulant adhibere medicinam.

EPISTOLA LXXXVII.
LEONIS PAPÆ I.
AD EPISCOPOS AFRICANOS PER MAVRITANIAM
CÆSARIENSEM CONSTITVTOS.

- | | |
|--|--|
| I. Ne illicitæ persona ad episcopatum prouehantur. | episcopo, &c de Maximo ex Donatistis. |
| II. De statutis Canonum conservandis. | IV. De Aggaro & Tiberiano, qui ex laicis fuerunt ordinati. |
| III. De Donato Nouatianorum | V. De virginibus sacris, quæ vim barbaricam pertulerunt. |

In Concil.
Hispanen.
II. cap.3.

Distin. 86.
Inferiorum
culpa.

*Leo episcopus, uniuersis episcopis per Cæsariensem Mauritaniam
in Africa constitutis, in Domino salutem.*

I.

CVM de ordinationibus sacerdotum quædam apud vos illicite usurpata crebrior ad nos commeantium sermo perferret, ratio pietatis exegit, vt pro solicitudine, quam vniuersæ ecclesiæ ex diuina institutione dependimus, rerum fidem studeremus agnoscere, vicem curæ nostræ proficisci entia nobis fratri & consacerdoti nostro Pontentio, * iniungentes, qui secundum scripta, quæ per ipsum ad vos direximus, de episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret. Vnde quia idem plenissime notitiæ nostræ cunctæ reserauit, & sub quibus qualibusque rectoribus quædam Christi plebes in partibus prouinciae Cæsariensis habeantur sincera nobis relatione patefecit: necessarium fuit, vt dolorem cordis nostri, quo pro dominorum gregum periculis æstuamus, datis nunc quoque ad dilectionem vestram literis promeremus: mirantes tantum apud vos, per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem: vt indignis quibusque & longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium & gubernatio ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere dñcrimen. Integritas enim præsidentium salus est subditorum, & vbi est incolumentas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiam si moribus atque actibus non offendat, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo. Et difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

Quod si in quibuslibet ecclesiæ gradibus prouidenter scienterque curandum est, vt in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præpostorum: quanto magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familie Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vbi est illa beati Pauli apostoli per

Distinct. 61.
Miramur
tantum.

1. quæst. 1.
Principatus
quem.

*1. Tim. 5.**Dicit. 78.
Quid est
manus.**1. Tim. 3.**Leuit. 21.
Ezech. 44.*

Spiritum Dei emissā præceptio, qua in persona Timothei omnium sacerdotum Christi numerus eruditur, & proinde vnicuique nostrum dicitur: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis?* Quid est ci-
 to manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experien-
 tiā disciplinæ, sacerdotalē honorem tribuere non pro-
 batis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi ta-
 lem effici ordinantem, qualis est ille qui non * meruit or-
 dinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum,
 qui rectum * sectatur in eligendo sacerdote iudicium: ita * meruit
 graui semetipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis col-
 legium sublimat indignum. Non enim in cuiusquam per-
 sona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur: nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit de præuaricatione collatus. Dicente enim Aposto-
 lo, vt inter alias electionis regulas, is episcopus ordinetur,
 quem vnius vxoris virum fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de mulie-
 re sacerdotis eligendi eadem intelligatur seruanda condi-
 tio, ne forte illa, priusquam in matrimonium eius veni-
 ret, qui aliam non habuisset vxorem, alterius viri esset experta coniugium. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur iniuriam: cum huic ma-
 gno venerandoque mysterio, ne diuinæ quide[m] legis sta-
 tuta defuerint, quibus euidenter est definitum, vt virgi-
 nem sacerdos accipiat, & alterius torum nesciat coniugis,
 quæ vxor est futura pontificis? Iam tunc enim in sacerdo-
 tibus figurabatur Christi & ecclesiæ spirituale coniugium:
 vt quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa * Verbi * Christi
 non aliud virum nosse quam Christum, qui merito vnam
 elegit, vnam diligit, & aliam præter ipsam suo consortio
 non adiungit. Si ergo etiam in veteri testamento hæc sa-
 cerdotalium coniugiorum forma seruata est; quanto magis sub reuelata iam gratia constituti, apostolicis debe-
 mus inferire præceptis, vt quamlibet quis bonis mori-
 bus præditus, & sanctis operibus inueniatur ornatus, ne-
 quaquam tamen, vel ad diaconii gradum, vel ad presby-
 terii honorem, vel ad episcopatus culmen ascendat, si
 aut ipsum non vnius vxoris virum, aut vxorem eius non
 vnius

vnius viri fuisse claruerit? Monente vero Apostolo atque dicente: *Et hi autem probentur primum, & sic ministrant*, quid ^{1. Tim. 3.} aliud intelligendum in hoc putamus, nisi ut in his prouectionibus non solum matrimoniorum castimoniam, sed etiam laborum merita cogitemus, ne aut a baptismo ruidibus, aut a sæculari actu repente conuersis, officium pastorale credatur, cum omnis gradus militiæ Christianæ de incrementis profectuum debeat aestimari, an possint cuiquam maiora committi? Merito sanctorum patrum venerabiles sanctiones, cum de sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuerunt, quorum omnis ætas, a puerilibus exordiis usque ad prouectiores annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia cucurisset, ut vnicuique testimonitum prior vita præberet: nec posset de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro castis moribus, pro aetibus strenuis, celsioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est peruenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuant: quam diligens & quam prudens habenda est dispensatio diuinorum munierum, & cœlestium dignitatum, ne in aliquo apostolica & canonica Decreta violentur, & his ecclesia Domini regenda credatur, qui legitimarum institutionum nescii, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed a summis volunt habere principium? cum valde iniquum sit & absurdum, ut imperiti magistris, noui antiquis, & rudes præferantur emeritis. *In domo quidem* ^{2. Tit. 1.} magna necesse est (sicut Apostolus disserit) ut vasa diuersa sint, quædam aurea & argentea, quædam vero lignea & fictilia: sed horum ministerium pro materiæ qualitate discernitur, nec qui est preciosorum, idem usus est & vilium. Nam ordinata erunt omnia, si fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis & fictilibus eorum hominum species figurantur qui nullis adhuc virtutibus nitent: ita in aureis & argenteis hi sine dubio declarantur, qui per longæ eruditioñis ignem, & per fornacem diuturni laboris excoeti, aurum probatum & argentum purum esse meruerunt. Quibus si merces pro deuotione non redditur, omnis ecclesiastica disciplina resolutur,

Concil. Tom. 7.

B b

*Dist. 61.
Miramur
tantum.*

omnis ordo turbatur: dum in ecclesia, qui nullum subie-
re ministerium, peruerso eligentium iudicio indebitum
obtinent principatum. Cum ergo inter vos tantum va-
luerint, aut studia popularium, aut ambitus superbo-
rum, vt non solum laicos, sed etiam secundarum vxo-
rum viros, aut viduarum maritos ad officium cognosca-

1. quæst. 7.
Exigunt
cauſæ.

* apertif.
ſimile

prouectos: nonne * aptissimæ exigunt cauſæ, vt ecclesiæ, in quibus ista commissa sunt, iudicio se-
uieriore purgentur, & non solum in tales præfules, sed et-
iam in ordinatores eorum vltio competens proferatur?
Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc
censura iustitiæ. Et quia *vniuersæ viæ Domini misericordia*
& veritas, cogimur secundum sedis apostolicæ pietatem,
ita nostram temperare sententiam, vt trutinato ponde-
re delictorum, quæ constat non vnius esse mensuræ, quæ-
dam definiamus vtcumque toleranda, quædam vero pe-
nitus amputanda. Eos enim, qui vel secundas nuptias in-
ierunt, vel viduarum se coniugio sociarunt, nec aposto-
lica, nec legalis auctoritas, sacerdotium obtainere per-
mittit: & multo magis illum, si fuerit vestro iudicio con-
futatus, qui (sicut ad nos relatum est) duarum simul est
maritus vxorum, vel * istum, qui a prima vxore dimissus,
alteram duxisse prohibetur, priuandum honore decerni-
mus. Ceteros vero, quorum prouectio hoc tantum re-
prehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium episco-
pale delecti sunt, neque ex hoc quod vxores habeant pos-
sunt esse culpables, suscepimus sacerdotium tenere per-
mittimus: non præjudicantes apostolicæ sedis statutis,
nec præcessorum nostrorum nostrisque Decretis, quibus
salubriter statutum est, ne primum, vel secundum, aut
tertium in ecclesia gradum quisquam laicorum, quibus-
libet suffragiis fultus, ascendat, priusquam ad hoc me-
ritum per legitima augmenta perueniat. Quod enim
nunc vtcumque patimur esse veniale, inultum post-
modum esse non poterit, si quisquam id, quod omni-
no interdicimus, usurpare præsumperit: quia remissio
peccati, non dat licentiam delinquendi, nec quod po-
tuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune
committi.

1. quæst. 7.
Exigunt
cauſæ.

* illum
qui pri-
ma vto
dimilla

1. quæst. 7.
Exigunt
cauſæ.

II.

Cum itaque de omnibus fere, quæ fratris nostri Potentii relatio continebat, plenissime dilectionem vestram per David fratrem & coepiscopum nostrum, qui & sacerdotii merito nobis est probatus & moribus, videatis instruetam; supereft, fratres, ut concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vñanimes, diuinis & apostolicis constitutionibus pareatis: & in nullo patiamini prouidentissima Canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remifimus consideratione causarū, antiquis deinceps custodienda sunt regulis: ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta poſthac vltione plectamus: in eos specialius & propensius commouendi, qui in episcopis ordinandis sanctorum patrum statuta neglexerint, & quos refutare debuerant, consecrarint. Vnde si qui episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem non liceat, etiamſi aliquo modo damnum proprii honoris euaserint, ordinationis tamen ius vltterius non habebunt, nec ei sacramento intererunt, quod neglecto diuino iudicio immerito praefliterunt. Illud sane quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum statuta feruari: vt non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, & vbi ante non fuerunt, episcopi consecrentur: cum vbi minores sunt plebes, minoresque Conuentus, presbyterorum cura sufficiat: episcopalia autem gubernacula non nisi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus oporteat praefidere: ne quod sanctorum patrum diuinitus inspirata Decreta vetuerunt, viculis, & possessionibus, vel obscuris & solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium & honor; cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua dioecesi Restitutus episcopus factum esse causatus est, & rationabiliter postulauit, vt si episcopi eorum locorum, in quibus non debuerant ordinari, humana conditione decesserint, loca ipsa ad ius eius antistitis redigantur, cuius fuerant ante priora. Et inutile est, vt sacerdotalis dignitas inconsiderata ordinantis faciliter superflua multiplicatione * muniatur. De his autem quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ bar-

1. quæft. 7.
Donatum
autem.

1. quæft. 1.
& 25. quæft. 2.
Si qui epi-
scopitalē.

Dicit. 80.
Illud sane
quod ad
Can. 6. Sar-
dicens. Con-
cili.

Sententia-
liter pon-
tur iste Ca-
non, 32. quæ-
ft. Illæ an-
tem famula-
Dei.

* minua-
tur.

Concil. Tom. 7.

B b ij

baricam pertulere violentiam , & integritatem pudoris non animo sed corpore perdiderunt, ea nobis seruanda videtur moderatio , vt neque in viduarum deiiciantur gradum, neque in sacrarum & perseverantium virginum numero censeantur. Quibus, si in omnibus virginalibus observationibus perseverant, & castimoniæ soliditatem mente custodiunt, sacramentorum non est neganda communionio: quia iniustum est, eas in eo vel argui, vel notari, quod non voluntas amisit, sed vis hostilis eripuit. Causam quoque Lupicini episcopi illic iubemus audiri. Cui multum & saepius postulanti, communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum ad nostrum iudicium prouocasset, immerito eum, pendente negotio, a communione videbamus fuisse suspensum. Adiectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in praesenti positus, aut confutatus, aut certe confessus, iusta posset subiacere sententiae: vt vacantem locum, quemadmodum disciplina ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur exciperet.

III.

1. quæst. 7.
Donatum autem.

Donatum autem Salicinensem ex Nouatianis cum sua (vt comperimus) plebe conuersum, ita dominico volumen gregi præsidere, vt libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quo & Nouatiani dogmatis damnationem, & plenissime confiteatur catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico, licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & a spiritu schismaticæ prauitatis alienus, ab episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate: ita vt & ipso libello ad nos edito catholicum se esse manifestet.

IV.

De Aggaro & Tiberiano, quorum a ceteris, qui ex laicis ordinati sunt, in hoc causa diuersa est, quod eorum ordinationi atroces tumultus & saeuæ seditiones memorantur esse famulatae, vestro iudicio cuncta commisimus: vt relata habiti apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit, scire possimus.

V.

32. quæst. 5.
Illæ autem famulæ Dei.

Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiores erunt in

humilitate ac verecundia , si se incontaminatis non audent comparare virginibus. Quamuis enim omne peccatum ex voluntate nascatur , & potuerit corruptione carnis mens inuita non pollui: minus tamen hoc illis obserit, si quod potuerint animo non amittere, doleant se vel corpore perdidisse. Si vero aliae emerserint causae, quae ad statum ecclesiarum & ad concordiam pertineant sacerdotum , illic sub timore Domini volumus ventilentur, & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, vt ea, quae iuxta ecclesiasticum morem iuste & rationabiliter fuerint definita , mea quoque sententia roborentur. Data quarto Idus Augusti.

EPISTOLA LXXXVIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD VNIVERSOS GERMANIÆ ATQUE GALLIÆ
ECCLESiarVM EPISCOPOS.

De priuilegio chorepiscoporum siue presbyterorum.

Leo Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedis episcopus, uniuersis Germaniarum atque Galliarum regionum episcopis salutem.

CVM in Dei nomine in Romana ecclesia Synodum epi- Cap. 13.
scoporum siue ceterorum consacerdotum Christi- Damasi pa-
que fidelium coadunatam habuissimus, & de ordinatio- pœ in epift.
nibus illicitis , super quibus crebrior ad nos illarum partium ad Numidicæ
commeantium sermo peruererat, atque de aliis ne- episcopos.
cessariis ecclesiasticis negotiis tractantes , sacrosque Canones relegentes, solerter egissemus , a multis lacrymabili vultu relatum est nobis, quod quidam Germaniarum ac Galliarum vrbium episcopi frequenter chorepiscopos, qui iuxta Canones Neocæsareenses, siue secundum Cam. 13.
aliorum Decreta patrum iidem sunt qui & presbyteri, vel presbyteros destinarent, qui absente pontifice altaria erigerent, basilicasque consecrarent. Quod quidem non est mirum , id præcepisse viros ecclesiasticae disciplinæ ignaros, quod est canonicae regulæ contrarium , & statim a sacerdiali militia, in sacerdotiale ministerium delegatos, atque promotos. Ergo ne vltra talis a vobis licentia usur-

B b iij

petur, communi sententia statuendum oportuit, scientes, quia sicut chorepiscopo, vel presbytero illicita consecratio est altaris, ita & constitutio. In diuinis enim literis, præcipiente Domino, solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit, qui vtique summus sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo: *Moses & Aaron in sacerdotibus eius.* Ideoque id quod tantum facere principibus sacerdotum iussum est, quorum typum Moses & Aaron tenuerunt, omnino decretum est, vt chorepiscopi vel presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamuis cum episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam nouæ etiam ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint, sicut presbyterorum & diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel vñctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec ecclesias, vel altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuersis, ex haeresi Paracletum Spiritum sanctum tradere, nec chrisma confidere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in Missa quemquam poenitentem reconciliare, nec formatas cui libet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt chorepiscopis, qui ad exemplum & formam septuaginta discipulorum esse noscuntur, vel presbyteris, qui eamdem gestant formam: quoniam quamquam consecrationem habent, pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia solis deberi summis pontificibus auctoritate Canonicum præcipitur, vt per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur. Sed neque coram episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere, aut signare, nec poenitentem sine præceptione episcopi sui reconciliare, nec eo præsente, nisi illo iubente, sacramentum corporis & sanguinis Christi confidere, nec eo coramposito populum docere, vel benedicere, aut salutare, nec plebem vtique exhortari.

Ex fine huius epistolæ argumentum sumitur, quod non sit plena, sed fragmentum dumtaxat.

EPISTOLA LXXXIX.
LEONIS PAPÆ I.

AD EPISCOPOS PROVINCIAE VIENNENSIS.

Aduersus Hilarium episcopum Arelatensem, post eius
ab Vrbe discessum scripta.

- | | |
|-------------------------------------|-------------------------------------|
| I. Chelidonius episcopus, quem Hi- | IV. Hilario metropolitani dignitas, |
| larius damnarat, retractato iu- | & potestas in prouinciam Vien- |
| dicio absolutus. | nensem adempta. |
| II. Proiectus episcopus, cui agro- | V. Quod nulli facile infligenda sit |
| tanti alterum idem Hilarius sub- | excommunicatio. |
| stituerat, in integrum restitutus. | VI. Ut preter Leontii episcopi con- |
| III. Electiones & ordinationes epi- | sensum alterius prouincie Con- |
| scoporum per quos & quomodo | cilium non indicatur. |
| facienda sint. | |

Dilectissimis fratribus vniuersis episcopis per Vienensem
prouinciam constitutis Leo.

DIVINÆ cultum religionis, quem in omnes gentes, ^{Dicit. 19.}
Omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita ^{Ita Domi-}
Dominus noster Iesus Christus humani generis saluator ^{nus.}
instituit, ut veritas, quæ antea legis & prophetarū præco-
nio continebatur, per apostolicam tubam in salutem vni-
uersitatis exiret; sicut scriptum est: *In omnem terram exiuit* ^{Psal. 18.}
sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius mu-
neris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolo-
rum officium pertinere voluit, ut id in beatissimo Petro,
apostolorum omnium summo, principaliter collocaret;
atque ab ipso, quasi quodam capite, dona sua vellet in
corpus omne manare; ut exortem se mysterii intelligeret
esse diuini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.
Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum,
id quod ipse erat voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus,* ^{Matth. 16.}
& super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; ut æterni ædifi-
catio templi, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri solidita-
te consisteret: hac ecclesiam suam firmitate corroborans,
ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec por-
ta contra illam inferi præualerent. Verum hanc petræ
istius sacratissimam firmitatem, Deo, ut diximus, ædifi-
cante constructam, nimis impia vult præsumptione vio-

Iare, quisquis eius potestatem infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id quod accepit a veteribus non sequendo: cum nulli se subditum legi, nullis institutionis dominicæ credit regulis contineri; a vestro nostroque per nouæ usurpationis ambitum more desciscens, præsumendo illicita, & quæ custodire debuit negligendo. Verum hæc nos, (Deo, vt credimus, adspirante) seruata circa vos nostræ caritatis gratia, quam sanctitati vestræ apostolica semper sedes, vt meministis, impendit, nitimur consilio maturiore corrigere, & vestrarum ecclesiarū statum communicato vobiscum labore componere; non noua insti-tuentes, sed vetera renouantes; vt in status consuetudine, quæ nobis a nostris patribus est tradita, perduremus, & Deo nostro per boni operis ministeriū, remotis perturbationum scandalis, placeamus. Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, apostolicam sedem, pro sui reue-rentia, a vestræ etiam prouincia sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & per diuersarū, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarū, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia: adeo vt seruata vnitate Spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde literis, quod sancte agebatur, perpetuæ proficeret caritati. Quam solicitude nostra, non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem diuinitus datam nec ecclesiis, nec ecclesiarum sacerdotibus abrogabat. Sed hunc tra-mitem, semper inter maiores nostros & bene tentum, & salubriter constitutum, Hilarius ecclesiarum statum, & concordiam sacerdotum nouis præsumptionibus turbaturus excessit; ita suæ vos cupiens subdere potestati, vt se beato apostolo Petro non patiatur esse subiectum: ordinationes sibi omnium per Gallias ecclesiarum vindicans, & debitam metropolitanis sacerdotibus in suum ius transferens dignitatem: ipsius quoque beatissimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo; cui cum præ ceteris soluendi & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ouium specialius cura mandata est: cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.

I. Quæ

Marth. 16.

Ioan. 12.

I.

Quæ igitur apud nos in causa Chelidonii episcopi gesta confecta sint, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem, præsente supradicto episcopo, audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat. Vbi postquam Hilarius rationabile, quod in sanctorum Concilio sacerdotum posset respondere, non habuit, ad easē occulta cordis ipsius transmiserunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire. Doluimus fateor, fratres, & hunc eius mentis tumorem medelis patientiæ nostræ curare tentauimus. Nolebamus enim ea illi exacerbare vulnera, quæ suæ animæ insolentibus subinde sermonibus infligebat: & quem suscepseramus ut fratrem delinire magis, quamvis ipse suis responsionibus innodaret, quam contristare nostris interlocutionibus nitebamur. Absolutus est Chelidonus episcopus, quoniam se iniuste sacerdotio fuisse deiecitum, manifesta testium responce, ipso etiam præsente, monstrauerat: ita ut quod Hilarius nobiscum residens posset opponere non haberet. Remotum est ergo iudicium, quod prolatum in hac sententia legebatur, quod tamquam viduæ maritus sacerdotium tenere non posset. Quod nos quidem seruantes legalia constituta solicitius voluimus custodiri, non solum circa sacerdotes, sed circa clericos quoque minoris officii, ne ad sacram militiam hi permittantur accedere, quibus sit tale coniugium, ut contra apostolicam disciplinam non vnius tantum vxoris viri fuisse monstrarentur. Sed sicut eos, quos factum suum non potest excusare, aut non admittendos, aut si admissi fuerint, decernimus remouendos: ita quibus hoc falso obicitur, habita necesse est examinatione purgemos, & suum officium perdere non sinamus. Mansisset namque in illum prolatâ sententia, si obiectorum veritas extitisset. Redditus itaque est ecclesiæ suæ, & huic quam amittere non debuit dignitati, coepiscopus noster Chelidonus, sicut gentium series, & post decursam cognitionem sententia, quæ a nobis est prolatâ, testatur.

II.

Huic negotio sic finito fratribus & coepiscopi nostri Proiecti querela succedit: cuius ad nos literæ lacrymabiles & dolendæ de superordinato sibi episcopo sunt directæ.

Concil. Tom. 7.

Cc

Epistola quoque ingestâ est ciuium, ipsius, & numero-
sa singulorum subscriptione firmata, inuidiosissimis con-
tra Hilarium plena querimoniis, quod Proiecto episco-
po suo ægrotare liberum non fuisset, eiusque sacerdoti-
um in alium præter suam notitiam esse translatum, &
tamquam in vacuam possessionem ab Hilario perusore
heredem viuentis inductum. Quid hic fraternitas vestra
sentiat, cuperemus audire: quamquam de vestris ani-
mis nostra non debeat sententia dubitare, cum fratrem
in leætulo constitutum, non tam infirmitate corporis ag-
grauari, quam alio videatis dolore torqueri. Quæ spes
illi de vita relinquitur, cui de sacerdotio suo desperatio,
dum illi alter substituitur, irrogatur? Apparet quam mi-
tis sit corde Hilarius, qui obesse præsumptioni suæ frater-
næ mortis credidit tarditatem. Quantum enim in re fuit,
is illi subtraxit lucem, abstulit vitam, qui hunc ei dolo-
rem, in locum eius alterum subrogando, ne ad salutem
illi recursus esset, iniecit. Esto ut breuis fratri euenerit
humanæ conditionis consueta migratio: quid sibi Hila-
rius quærerit in aliena prouincia, & id quod nullus decesso-
rum ipsius ante Patroclum habuit, cur usurpat; cum &
ipsum, quod Patroclo a sede apostolica temporaliter vi-
debatur esse concessum, postmodum sit sententia melio-
re sublatum? Expectarentur certe vota ciuium, testimo-
nia populorum; quæreretur honoratorum arbitrium,
electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinatio-
nibus ab his qui norunt patrū regulas custodiri: ut aposto-
licæ auctoritatis norma in omnibus seruaretur, quæ præ-
cipit, ut sacerdos ecclesiæ præfuturus, non solum attesta-
tione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt testimonio
muniatur; neque ullius scandali relinquatur occasio, cum
per pacem, & Deo placitam concordiam consonis om-
nium studiis qui docto pacis futurus est ordinatur. Sed
ille insperatus nescientibus superuenit, & improuisus abs-
cessit, cursu, ut didicimus, celeri itinera multa conficiens,
& per longinquas prouincias tanta immaturitate discur-
rens, ut videatur gloriam de scurrili velocitate potius,
quam de sacerdotali moderatione captasse. Hæc enim di-
rectarum ad nos ciuium verba sunt literarum, Ante abs-
cessit, quam eum venisse nossemus. Non est hoc redire,

Dist. 63.
Vota ciuiū.

sed fugere : nec salubritatem impendere diligentia pasto-
ralis , sed vim inferre latronis & furis, dicente Domino :
Qui non intrat per ianuam in cortem ouium, sed ascendit aliunde, Ioan. 10.
hic fur & latro est. Non ergo Hilarius tam studuit episco-
pum consecrare, quam eum potius qui ægrotabat occide-
re, & ipsum quem superposuit male ordinando decipere.
Nos tamen, quod vobis credimus, Deo iudice, placitu-
rum, in commune cunctis fratribus consulentes, & male
ordinatum submoueri, & episcopum proiectum in suo
sacerdotio permanere debere decreuimus : id statuentes,
vt si quisquam fratrum nostrorum in quacumque prouin-
cia de hac vita decesserit, is sibi ordinationem vindicet
sacerdotis, quem illius prouinciae metropolitanum esse
constiterit. Duæ vt videmus causæ transactæ sunt, in qui-
bus tamen multa sunt quæ præter rationem ecclesiasti-
cam videantur esse commissa, & iusti iudicii debeant ex-
pectare censuram. Sed nos diutius hic non possumus im-
morari, cum ad alia, quæ nobis cum vestra sanctitate so-
licitius conferenda sunt, prouocemur.

III.

Militaris manus , vt didicimus, per prouincias sequi-
tur sacerdotem , & armati præsidii præsumptione sufful-
to , ad inuadendas per tumultum famulatur ecclesias ,
quæ proprios amiserint sacerdotes. Trahuntur ordinan-
di ante hoc officium his , quibus præficiendi sunt , ciui-
tatis ignorati. Vt enim notus qui fuerit & probatus,
per pacem petitur ; ita per vim necesse est , qui ignotus
adducitur , imponatur. Obtestor , obsecro , & sub Dei
vos inuocatione conuenio , prohibete fratres talia , &
omnem dissensionis materiam de vestris prouinciis remo-
uete. Certe nos ante Deum absoluimus , qui vos ne per-
mittatis ultra hæc fieri conuenimus. Per pacem & quie-
tem sacerdotes qui præfuturi sunt postulentur. Tenea-
tur subscriptio clericorum , honoratorum testimonium , Dicit. 63.
Vota ciuiq.
ordinis consensus , & plebis : qui præfuturus est omnibus ,
ab omnibus eligatur. Ordinationem sibi , vt ante iam dixi-
mus , singuli metropolitani suarum prouinciarum , cum
his qui ceteros sacerdotii antiquitate præueniunt , restituto
sibi per nos iure defendant. Alienum ius alter sibi non au-
deat vindicare. Suis limitibus , suis terminis sitvnuſquisque

Concil. Tom. 7.

Cc ij

contentus : & priuilegium sibi debitum in alium transferre se posse nouerit non licere. Quod si quis negligens apostolicas sanctiones , plus gratiæ tribuens personali , sui honoris desertor esse voluerit, priuilegium suum in alium transferre se posse credens ; non is cui cesserit , sed is qui intra prouinciam antiquitate episcopali ceteros præuenit , sacerdotes ordinandi sibi vindicet potestatem. Non paſſim , sed die legitimo ordinatio celebretur : nec sibi constare status sui nouerit firmitatem , qui non die sabbati vespere , quod luceſcit in primam sabbati , vel ipso dominico die fuerit ordinatus. Solum enim maiores nostri resurrectionis dominicæ diem hoc honore dignum iudicarunt, vt sacerdotes qui sumuntur hoc die potissimum tribuantur.

IV.

Suis vnaquæque prouincia sit contenta Conciliis , nec ultra Hilarius audeat conuentus indicere synodales , & sacerdotum Domini iudicia se interferendo turbare : qui non tantum nouerit se ab alieno iure depulsum , sed etiam Viennensis prouinciæ , quam male usurpauerat , potestate priuatum. Dignum est enim , fratres carissimi , antiquitatis statuta reparari , cum is , qui sibi ordinationem prouinciæ indebitæ vindicabat , talis in præsenti etiam probatus fuerit extitisse , vt cum ipse frequentius temerariis & insolentibus verbis sententiam damnationis expeteret , suæ tantum ciuitatis illi sacerdotium , pro sedis apostolicæ pietate , præceptio nostra seruauerit. Non ergo interficit vlli ordinationi , non ordinet , qui merití sui conscius , cum quereretur ad causam , turpi fuga se credidit subtrahendum , exors apostolicæ communionis , cuius participes esse non meruit : Deo , vt credimus , hoc agente , qui illum nec opinantibus nobis , & ad iudicia nostra pertraxit , & inter examinationes habitas , ne communionis nostræ consors fieret , vt abscederet latenter effecit.

V.

Nulli Christianorum facile communio denegetur : nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis , quod in magni reatus vltionem inuitus & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim pro commissis & leuibus verbis quosdam a gratia

communionis exclusos, & animam, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam saeuī supplicii sauciata, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incursionibus, vt facile caperetur, obiecatam. Certe si quando causa talis emerserit, vt pro commissi criminis qualitate aliquem iuste faciat communione priuari, is tantum poenæ subdendus est, quem reatus inuoluit, nec particeps debet esse supplicii, qui consors non docetur fuisse commissi. Sed quid mirum eum in laicos talem existere, qui soleat sacerdotum damnatione gaudere?

VI.

Vnde quia nostra longe alia videtur intentio, (nam omnium ecclesiarum statum, & concordiam custodiri cupimus sacerdotum) ad vnitatem vos vinculo caritatis hortantes, & obtestamur, & affectione congrua commonemus, vt ea quæ a nobis Deo inspirante, & beatissimo Petro apostolo, discussis probatisque nunc omnibus causis, decreta sunt, pro vestra pace & dignitate seruetis; certi non tam nostro quam vestro honori proficere, quod talia statuisse cognoscimur. Non enim nobis ordinaciones vestrarum prouinciarum defendimus, quod potest forsitan ad deprauandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri: sed vobis per nostram sollicitudinem vindicamus, ne quid vterius liceat nouitati, nec præsumptori locus ultra iam pateat priuilegia vestra casandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si & apostolicae sedis diligentia apud vos illibata seruetur, & per sacerdotalis disciplinæ concordiam, honori vestro perire quod suum est improbis usurpationibus non sinamus. Et quoniam honoranda est semper antiquitas, fratrem & coepiscopū nostrum Leontium probabilem sacerdotem hac, si vobis placet, dignitate volimus decorari, vt præter eius consensum alterius prouinciae non indicatur a vestra sanctitate Concilium, & a vobis omnibus, quemadmodum vetustas eius & probitas exigit, honoretur, metropolitanis priuilegii sui dignitate seruata. Æquum est enim, nec vlli de fratribus fieri videatur iniuria, si his, qui sacerdotii vetustate præcedunt, protatris suæ merito in suis prouinciis a sacerdotibus ceteris

Cc iij

deferatur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

NOVELLA
VALENTINIANI III. AVGUSTI
VNA CVM PRÆCEDENTI LEONIS PAPÆ
DECRETALI DE EADEM RE
in Galliam missa.

De episcoporum ordinatione.

*Imperatores Theodosius & Valentinianus Augusti Aetio viro
illustri comiti & magistro utriusque militiae, & patricio.*

CERTVM est, & nobis, & imperio nostro vnicum esse præsidium in supernæ diuinitatis fauore, ad quem promerendum præcipue Christiana fides, & veneranda nobis religio suffragatur. Cum igitur sedis apostolicæ primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalibus coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius illicitum præsumptio attentare nitatur. Tunc enim demum ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rectorem suum agnoscat vniuersitas. Hæc cum haec tenus inuiolabili fuerint custodita, Hilarius Arelatensis, sicut venerabilis viri Leonis Romani papæ fideli relatione comprimus, contumaci ausu illicita quædam præsumenda tentauit, & ideo transalpinas ecclesias abominabilis tumultus inuasit, quod recens maxime testatur exemplum. Hilarius enim, qui episcopus Arelatensis vocatur, ecclesiæ Romanæ vrbis inconsulto pontifice, indebitas sibi ordinationes episcoporum sola temeritate usurpans inuasit. Nam alios incompetenter remouit, indecenter alios inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit. Qui quidem quoniam non facile ab his qui non elegerant recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem, vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, & ad sedem quietis pacem prædicatus per bella ducebat. His talibus & contra imperii maiestatem, & contra reuerentiam apostolicæ sedis admissis, per ordinem religiosi viri vrbis papæ cognitione

discussis, certa in eum ex his quæ male ordinauerat, lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias et iam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti pontificis auctoritati in ecclesiis non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vltius vel Hilario, quem adhuc episcopum nuncupari sola mansueti præfusilis permittit humanitas, nec cuiquam alteri, ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani antistitis liceat obuiare. Ausibus enim talibus fides & reuerentia nostri violatur imperii. Nec hoc solum, quod est maximi criminis, submouemus. Verum ne leuis saltem inter ecclesiasturba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam episcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum, contra consuetudinem veterem licet, sine viri venerabilis papæ vrbis æternæ auctoritate tentare: sed illis omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas. Ita ut quisquis episcoporum ad iudicium Romani antistitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiusdem prouinciae adesse cogatur, per omnia seruatis, quæ diu parentes nostri Romanæ ecclesiæ detulerunt, Aeti P.K.A. Vnde illustris & præclara magnificentia tua, præsentis edictalis legis auctoritate, faciet quæ sunt superius statuta seruari, decem librarum auri mulæta protinus exigenda ab unoquoque iudice, qui passus fuerit præcepta nostra violari. *Et manu divina:* Ditiuitas te seruet per multos annos, parens carissime. Data viii. Idus Iunias Romæ, Valentiniano Augusto vi. consule.

EPISTOLA XC.

LEONIS PAPÆ I.

AD RAVENNIVM EPISCOPVM ARELATENSEM.

Gratulatur ei ad episcopatum assumpto.

Dilectissimo fratri Rauennio Leo.

PROVECTIONEM dilectionis tuæ, quæ summi sacerdotii adepta est dignitatem, ita nobis placere cognoscet, vt non solum tibi de honoris augmento, sed etiam

Arelatenſi ecclesiæ, cui te Dominus præposuit, gaudeamus. Ad omnium enim fidelium decus, atque utilitatem redundant, cum talis habetur antistes, cuius plurimi & adiuvantur præsidio, & incitentur exemplo. Vnde quia non ignoras, quid de sinceritate animi tui secundum præcedentem notitiam senserimus, iustissime nos agnoscis exigere, ut quod præsumimus, hoc probemus, frater carissime. Modestia igitur tuæ non desit auctoritas, constantiam mansuetudo commendet: iustitiam lenitas temperet, patientia contineat libertatem: & declinata superbia, cui proximum est ut decidat, ametur humilitas, cui semper debetur ut crescat. Ecclesiasticarum legum non ignara est dilectio tua, ut intra earum regulas atque mensuras omnia potestatis tuæ iura contineas. Iusto quippe ideo dicitur lex non esse posita, quia normam præceptionis implet iudicio voluntatis: cum verus recti amor in semetipso habeat, & apostolicas auctoritates, & canonicas sanctiones. Quarum deuotus sectator, & diligens executor, in eorum procul dubio consortio gloriaberis, qui de creditorum sibi profectibus talentorum audire meruerunt:

1. Tim. 2.

Math. 25.

Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Ut autem fiduciam dilectionis erga te nostræ habere non dubites, sapientius nos de processu actuum tuorum facias certiores: quoniam iudicii nostri memores cupimus semper de tuis profectibus in Domino gloriari. Deus te in columem custodiat, frater carissime.

EPISTOLA XCI.

LEONIS PAPÆ I.

AD THEODORVM FOROIV IENSEM

EPISCOPVM.

Vt his, qui in exitu sunt, pœnitentia & communio, non negentur.

Leo episcopus Theodoro episcopo Foroiuliensi salutem.

SO LICITUDINIS quidem tuæ is ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo primitus de eo, quod quærendum videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignorabat

bat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent, omnium Domini sacerdotum nihil sine primatibus oportet inquire. Sed ut quoquomodo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu ecclesiastica habeat regula, non tacebo. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vita reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confidentibus actionem pœnitentiæ darent: & eosdem salubri satisfactiōne purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui vtique operi incessabiliter ipse Saluator interuenit, nec vñquam ab his abeſt, quæ ministris suis exequenda commisit, dicens: *Ecce ego vobis* Matth. 18. *sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi:* ut si quid per seruitutem nostram bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctū fuisse donatum. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, a munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit: quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos, eorum qui sic obierint, merita aetiusque discutere: cum Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reseruauerit: ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prospicit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim vtile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. His autem qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant: nec satisfactio interdicenda est, nec

Concil. Tom. 7.

Dd

De pœnitentiæ diff.
1. Multiplex.

De pœnitentiæ diff.
1. Multiplex.

De pœnitentiæ diff.
1. Multiplex. & 26.
q. 6. His qui tempore.

reconciliatio denegāda: quia misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente spiritu Dei per prophetam: *Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Et alibi: *Dictu iniquitates tuas prior, ut iustificeris.* Et iterum: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam * pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut resplicant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.* Vnde oportet vnumquemque Christianum conscientiæ suæ habere iudicium, ne conuerti ad Deum de die in diem differat: nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quem periculose ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarum spatium se reseruet incertū; & cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inueniat spatum, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis. Verum (vt dixi) etiam talium necessitati ita auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam, etiā amissō ab eis vocis officio, per indicū integris sensus quare re comprobētur. Quod si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodeſſe debebunt, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur: seruata tamen regula Canonum paternorū circa eorum personas, qui in Deum, a fide discedendo, peccarunt. Hæc autem, frater, quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideo respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantia excusatione gereretur, in metropolitani tui notitiam facies peruenire: vt si qui forte sunt fratrum, qui de his antea putauerint ambigendum, per ipsum de omnibus quæ ad te scripta sunt instruantur. Data iv. Idus Iunii, Herculano viro clarissimo consule.

Isa. 30. &
43.

Psal. 123.

2. Tim. 2.

De pœni.
tentia diff.
1. Multi-
plex. &c 26.
q. 6. His qui
tempore.

* pœni-
tentiæ af-
ficio-
nem

EPISTOLA XCIL.

LEONIS PAPÆ I.

AD RVSTICVM NARBONENSEM

EPISCOPVM.

Subditis responzionibus ad eiusdem consulta
rescribit.

Leo episcopus Rustico episcopo Narbonensi.

EPISTOLAS fraternitatis tuæ, quas Hermes archidiaconus tuus detulit, libenter accepi, diuersarum quidem causarum connexione multiplices, sed non ita patientiæ legentis onerosas, vt aliquid earum inter concorrentes vndique solicitudines fuerit prætermissum. Vnde totius sermonis tui allegatione comperta, & gestis quæ in episcoporum honoratorumque examine confecta sunt recensitis, Sabiniano & Leoni presbyteris actionis suæ intelleximus fiduciam defuisse: nec eis iustam superesse querimoniam, qui se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint. Circa quos quam formam, quamve mensuram debeas tenere iustitiæ, tuo relinquo modermini: suadens tamen caritatis hortatu, vt sanandis ægris spiritalem studeas adhibere medicinam; & dicente scriptura, *Noli esse nimium iustus*, mitius agas cum eis, qui zelo pudicitiæ videntur modum excessisse vindictæ, ne diabolus, qui decepit adulteros, de adulterii exultet vtoribus. Miror autem dilectionem tuam in tantum scandalorum quacumque occasione nascentium adueritate turbari, vt vacationem ab episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his quæ tibi commissa sunt permanere. Dicente vero Domino, *Beatus qui perseverauerit usque in finem*; vnde erit beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Nam secundum apostolicam prædicationem, *omnes qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur*. Quæ non in eo tantū computada est, quod contra Christianam pietatem, aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis: cum persecutionum sævitiam suppleant & dissimilitudines morū, & contumacia inobedientiū, & malignarū tela linguarum.

*Ecclesiæ. 7.**Matth. 10.**1. Tim. 3.*

Concil. Tom. 7.

D d ij

Quibus conflictationibus cum omnia semper ecclesiæ membra pulsentur, & nulla piorum portio a tentatione sit libera, ita ut periculis nec otia careant, nec labores; quis inter fluctus maris nauem diriget, si gubernator abscedat? quis ab infidiis luporum custodiet oves, si pastoris cura non vigilet? quis denique latronibus obsistet & furibus, si speculatorum in prospektu explorationis locatum ab intentione solicitudinis amor quietis abducatur? Permanendum ergo est in opere credito, & in labore suscepito: constanter tenenda est iustitia, & benigne præstanta clementia. Odio habeantur peccata, non homines: corripientur tumidi, tolerentur infirmi: & quod in peccatis seuerius castigari necesse est, non sequentis plectatur animo, sed medentis. At si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expauescamus, quasi illi aduersitati propriis sit viribus resistendum; cum & consilium nostrum, & fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. Qui confirmans prædicatores euangelii, & sacramentorum ministros, *Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Et iterum:

Matth. 28. *Hæc, inquit, locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis: in hoc autem mundo tribulationem habebitis: sed bono animo estote, quia ego vici mundum. Quæ pollicitationes, quia sine dubitatione manifestæ sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam potentia sunt adiutoria, quam vera promissa. De consultationibus autem dilectionis tuæ, quas separatim conscriptas archidiaconus tuus detulit, quid sentiendum sit inter præsentes opportunius quereretur, si nobis tui conspectus copia proueniret. Nam cum quædam interrogations modum diligentia videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores esse, quam scriptis: quia sicut quædam sunt, quæ nulla possint ratione conuelli: ita multa sunt, quæ aut pro consideratione atatum, aut pro necessitate rerum, oporteat temperari; illa semper conditione seruata, vt in his quæ dubia fuerint vel obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inueniatur diuersum.*

*Dist. 14.
Sicut quæ
dam.*

RESPONSIONES LEONIS PAPÆ
ad inquisitiones Rustici Narbonensis.

INQVISITIO I.

*De presbytero, vel diacono, qui se episcopos esse mentiti sunt:
& de his quos ipsi clericos ordinarunt.*

RESPONSIO.

NVLLA ratio finit, vt inter episcopos habeantur, qui Dist. 61.
Nulla ratio. nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a prouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Vnde cum saepe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi; ita vt in ipsis ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.

INQVISITIO II.

De presbytero, vel diacono, qui si cognito crimine suo pœnitentiam publicam petat, utrum eis manus impositionem danda sit.

RESPONSIO.

Alienum est a consuetudine ecclesiastica, vt qui in presbyterali honore, aut in diaconi gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipient pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro eo?* Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

INQVISITIO III.

De his qui altario ministrant, & coniuges habent, utrum eis licito misceantur.

RESPONSIO.

Lex continentia eadem est ministris altaris, quæ epis- Dist. 31. Lex
copis, atque presbyteris. Qui cum essent laici, siue lecto- continetiz.

D d iii

res, licite & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos peruererunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat spiritale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habent sic habere; quo & salua sit caritas connubiorum, & cessent opera nuptiarum.

INQVISITIO IV.

De presbytero, vel diacono, qui filiam suam virginem illi viro in coniugium dederit, qui iam habebat coniunctionam mulierem, ex qua etiam filios suscepserat.

RESPONSIO.

32. q. 2. Non omnis mulier.

Gen. 21.

27. q. 2. Cū societas.

Non omnis mulier viro iuncta vxor est viri, quia nec omnis filius heres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales; multo prius hoc ipsum Domino constitente, quam initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus, ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abraham: *Eiice ancillam & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi & ecclesiæ sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci clericus si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit; nisi forte illa mulier & ingenua facta, & dotata legitime, & publicis nuptiis honestata videatur.

INQVISITIO V.

De puellis quæ viris concubinas habentibus nupserint.

RESPONSIO.

32. q. 2. Non omnis.

Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres, quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt: quia aliud est nupta, aliud concubina.

INQVISITIO VI.

*De his qui mulieres, ex quibus filios habent, relinquunt,
et uxores accipiunt.*

RESPONSIO.

Ancillam a toro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii, sed profectus est honestatis. 32. q. 3. An-
cillâ a toro.

INQVISITIO VII.

De his qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, et cum reualuerint agere eam nolunt.

RESPONSIO.

Culpanda est sane talium negligentia, sed non penitus deserenda: ut crebris cohortationibus incitati, quod necessarie expetierunt fideliter exequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est: De Pœnit.
diss. 7. Ne-
mo despe-
randus. quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturore perficitur.

INQVISITIO VIII.

*De his qui animo iam deficientes pœnitentiam accipiunt,
et ante communionem moriuntur.*

RESPONSIO.

Horum causa Dei iudicio reseruanda est, in cuius manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus. 24. q. 2. De
communio-
ne.

INQVISITIO IX.

De his qui dolore nimio per urgente rogant dari sibi pœnitentiam, et cum venerit presbyter daturus quod petebant, si dolor parum perquieuerit, excusant, et nolunt accipere quod offertur.

RESPONSIO.

Dissimulatio hæc potest non de contemptu esse remedium, sed de metu grauius delinquendi. Vnde pœnitentia quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur, ut quoquomodo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perueniat. De Pœnit.
Diss. 1. Pœ-
nitentia que.

INQVISITIO X.

De his qui pœnitentiam professi sunt, si in foro litigare cœperint.

RESPONSIO.

De Pœnit.
dist. i. Aliud
quidem, &
ii. q. 1. A-
liud.

i. Cor. 6.

Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet multis etiam licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediant.* Vnde si quis pœnitens habet causam, quam negligere forte non debeat, melius expetit ecclesiasticum quam forense iudicium.

INQVISITIO XI.

De his qui in pœnitentia, vel post pœnitentiam negotiantur.

RESPONSIO.

De Pœnit.
dist. i. Qua-
litas lucri.

Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit; quia est & honestus quæstus, & turpis: verumtamen pœnitenti vtilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi: quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non interuenire peccatum.

INQVISITIO XII.

De his qui post pœnitentiam ad militiam reuertuntur.

RESPONSIO.

De Pœnit.
dist. 5. Cō-
trarium.

2. Tim. 2.

Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo implicit se negotiis sæcularibus.* Vnde non est liber a laqueis diaboli, qui se militia mundana voluerit implicare.

INQVISITIO XIII.

De his qui post pœnitentiam uxores accipiunt, vel concubinas sibi coniungunt.

RESPONSIO.

In adolescentia constitutus, si virgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ iuuenilis, copulam viroris elegit, ne crimen fornicationis incurreret; rem videtur fecisse venialem, si præter coniugem nullam omnino aliam cognoverit. In quo tamen non regulam consti-
tuimus

tuimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit qui pœnitentiam geslit, quam castitas perseuerans & mentis & corporis.

INQVISITIO XIV.

Demonachis, qui aut militare cœperint, aut uxores accipere.

RESPONSIO.

Propositorum monachi proprio arbitrio aut voluntate suscepimus, deseriri non potest absque peccato. Quod enim quis voulit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiaæ satisfactione purgandus est: quia et si innocens sit militia, & honestum potest esse coniugium, electionem tamen meliorum deseruisse transgressio est.

INQVISITIO XV.

De puellis quæ aliquamdiu in habitu religioso fuerunt, non tamen consecratae, si postea nupserint.

RESPONSIO.

Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum suscepérunt, si postea nuptias eligunt, præuaricantur, etiamsi consecratio non accessit: cuius vtique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent. Ambigi vero non potest, crimen magnum admitti, vbi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana pœctia non possunt impune calcari, quideos manebit, qui corruperint foedera diuini sacramenti?

INQVISITIO XVI.

De his qui a parentibus Christianis paruuli derelicti sunt, & utrum baptizati sint non potest inueniri, an debeant baptizari.

RESPONSIO.

Si nulla extant indicia inter propinquos aut familiaries, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus queritur, baptizati fuisse doceantur; agendum est, vt renascantur: ne manifeste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non finit ut videatur iteratum.

INQVISITIO XVII.

De his qui paruuli ab hostibus capti sunt, & non se sapiunt baptizatos, sed sciunt se aliquotiens ad ecclesiam a parentibus duces; utrum possint, vel debeant, cum ad Romanam venerint, baptizari?

RESPONSIO.

De consecr.
dist. 4. Si
nulla.

Qui possunt meminisse quod ad ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed si etiam hoc ab eorum memoria alienum est, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur; quia non temeritas interuenit præsumptionis vbi est diligentia pietatis.

INQVISITIO XVIII.

De his qui ex Africa, vel Mauritania venerunt, & nesciunt in qua secta sint baptizati, quid circa eos debeat obseruari.

RESPONSIO.

De consecr.
dist. 4. Hi de
quibus.

Non se isti baptizatos nesciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauerunt, se nescire profitentur. Vnde quolibet modo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt; sed per manus impositionem, inuocata virtute Spiritus sancti, quam ab haereticis accipere non potuerunt, catholicis copulandis sunt.

INQVISITIO XIX.

De his qui paruuli quidem baptizati a gentilibus capti sunt, & cum illis gentiliter conuixerunt; cum ad Romanam adhuc iuuenes venerint, si communionem petierint, quid erit obseruandum?

RESPONSIO.

Si conuiuio solo gentilium & escis immolatitiis visi sunt, possunt ieuniis & manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adorarent, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per poenitentiam publicam, non oportet admitti.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ Inquisitiones Rustici quæ Leonis responcionibus singulis præmittuntur, nunc primum prodeunt in lucem ex diuērſis manuscri-
ptis, haſtenus non sine incommodo prætermisſæ, cum sine his ple-
rumque intelligi responſiones non poſſint.

² Paterno arbitrio.] In codice Canonum Dionysii exigui inter Leo-
nis Decreta cap. 18. & apud Gratianum 32. qu. 2. Non omnis mulier,
itemque apud Burchardum & Iuonem, membrum hoc incepit cum
superiori capite coniungitur.

³ Culpanda eſt ſane.] Hic rurſum a Dionysio cap. 19. & a Gratiano
ibidem cap. Ancillam a toro, membrum hoc fœdo errore cum præ-
cedenti connectitur, cum, vt ex inquiftione patet, ad res plane di-
uersas pertineant: tanti erat inquiftiones iſtas, vt diximus, non
omitti.

EPISTOLA XCIII.
LEONIS PAPÆ I.
AD TVRIBIVM ASTVRICENSEM
EPISCOPVM.

- I. Contra Priscillianistas, qui ſan-
ctam trinitatem, non personis,
ſed tantum nominibus diſtin-
guunt.
- II. Aduersus id, quod Dei filium
poſteriorē credunt, quam Pa-
trem.
- III. Aduersus id, quod dicunt,
ideo unigenitum dici Christum,
quia ſolus de Virgine natus.
- IV. De natali Domini, quod in eo
Priscillianiſta ieunia celebrent.
- V. Aduersus id, quod aiunt ani-
mam hominis ex diuina eſſe ſub-
ſtantia.
- VI. Contra id, quod aiunt diabo-
lum ex ſe, vel ex chao eſſe,
& propriam habere naturam.
- VII. Contra illud, quod nuptias &
procreations filiorum adſtruant
eſſe peccatum.
- VIII. Contra id, quod corpora hu-
mana diaboli dicunt eſſe figmen-
Concil. Tom. 7.
- ta, & a demonibus in utero for-
mari.
- IX. Contra id, quod filios reprobri-
fionis ex Spiritu sancto dicunt
eſſe conceptos.
- X. Contra id, quod animas in ca-
leſtibus peccare dicunt, & ſecun-
dum qualitatem peccati in hoc
mundo accipere fortem, vel bo-
nam, vel malam.
- XI. Contra id, quod fatalibus ſtel-
lis dicunt animas hominum ob-
ligatas.
- XII. Contra id, quod ſub aliis po-
tentatiibus partes anima, ſub a-
liis corporis membra deſcribunt.
- XIII. & XIV. Contra id, quod
duodecim ſigna, que mathe-
matici obſeruant, per corpus omne
diſtinguunt.
- XV. De apocryphis eorumdem
Priscillianistarum.
- XVI. * De libro Dictionis. * Didimis.
Ec ij

Leo episcopus Turibio episcopo salutem.

V A M laudabiliter pro catholicæ fidei veritate moueaturis , & quam solcite dominico gregi deuotionem officii pastoralis impendas , tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant , quibus notitiæ nostræ insinuare curasti , qualis in regionibus vestris de antiquis pestilentia reliquiis errorum morbus exarserit . Nam & epistolæ sermo , & commonitorii series , & libelli tui textus demonstrant Priscillianistarum foetidissimam apud vos recaluisse sentinam . Nihil est enim soridum in quorumque sensibus impiorum , quod in hoc dogma non confluxerit : quoniam de omnium terrenarum opinionum luto , multiplicem sibi faciem commiscerunt , ut soli totum biberent , quidquid alii ex parte gustassent . Denique si vniuersæ hæreses , quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt , diligentius retractentur , nullus pene inuenietur error , de quo non traxerit impietas ista contagium : quæ non contenta eorum recipere falsitates , qui ab euangelio Christi sub Christi nomine deuiarunt , tenebris se etiam paganitatis immersit , ut per magicarum artium profana secreta , & mathematicorum vana mendacia , religionis fidem morumque rationem in potestate dæmonum , & in effectu siderum collocarent . Quod si & crediliceat & doceri ; nec virtutibus præmium , nec vietiis poena debebitur , omniaque non solum humanarum legum , sed etiam diuinarum constitutionum Decreta soluentur : quia neque de bonis , neque de malis actibus ullum poterit esse iudicium , si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit : & quidquid ab hominibus agitur , non est hominum , sed astrorum . Ad hanc infaniam pertinet prodigiosa illa totius humani corporis per duodecim cæli signa distinctio , ut diuersis partibus diuersæ præsideant potestates : & creatura quam Deus ad imaginem suam fecit , in tanta sit obligatione siderum , in quanta est connexione membrorum . Merito patres nostri , sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit , per totum mundum instanter egere , ut impius furor ab vniuersa ecclesia pelleretur : quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam de-

testati sunt, vt auctorem eius ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulam solui, simulque diuinum ius humanumque subuenti: si huiusmodi hominibus usquam viuere cum tali professione licuisset. Et profuit diu ista districtio ecclesiasticae lenitati, quæ et si sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas prouincias hostilis occupauit irruptio, & executionem legum tempestates interdixere bellorum, ex quo inter sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse Conuentus; inuenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta. Quæ vero illic, aut quanta pars plebi a contagione pestis huius aliena est, ubi (sicut caritas tua indicat) lethali morbo etiam quorundam sacerdotum corda corrupta sunt, & per quos opprimenda falsitas, & defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinæ Priscilliani, euangelium subditur Christi, vt ad profanos sensus pietate sanctorum volumen deprauata, sub nominibus prophetarum & apostolorum non hoc prædicetur quod Spiritus sanctus docuit, sed quod diaboli minister inseruit? Quia ergo dilectio tua fidei, quantum potuit, diligentia damnatas olim opinones decem & septem capitulis comprehendit: nos quoque strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium.

I.

Primo itaque capitulo demonstratur, quam impie sentiant de trinitate diuina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vnam atque eamdem afferunt esse personam, tamquam idem Deus, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec aliis sit qui genuit, aliis qui genitus est, aliis qui de utroque processit: sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non in tribus sit accipiēda personis. Quod blasphemiarum genus de Sabellii opinione suffserunt, cuius discipuli etiam Patropassiani merito nuncu-

pantur: quia si ipse est Filius qui & Pater, crux Filii, Patris est passio: & quidquid in forma serui Filius Patri obediens sustinuit, totum in se Pater ipse suscepit. Quod catholica fidei sine ambiguitate contrarium est, quæ trinitatem unitatis sic homousion confitetur, ut Patrem & Filium & Spiritum sanctum sine confusione indiuisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat & quales: quia unitatem in trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia.

II.

In secundo capitulo ostenditur ineptum vanumque commentum, de processionibus quarumdam virtutum ex Deo, quas habere coepit, & quas essentia sua ipse præcesserit: in quo Arianorum quoque suffragantur errori, dicentium, quod Pater prior Filio sit, quia fuerit aliquando sine Filio, & tunc Pater esse coepit, quando Filium genuerit. Sed sicut illos catholica ecclesia detestatur, ita & istos, qui putant unquam Deo id, quod eiusdem est essentiae, defuisse. Quem sicut mutabilem, ita & proficiendum dicere nefas est. Quam enim mutatur quod minuitur, tam mutatur etiam quod augetur.

III.

Tertii vero capituli sermo designat, quod iidem impii afferant, ideo unigenitum dici Filium Dei, quia solus fit natus ex Virgine. Quod vtique non auderent dicere, nisi Pauli Samosateni & Photini virus hausissent, qui dixerunt Dominum nostrum Iesum Christum, antequam nascetur ex virginе Maria, non fuisse. Si autem isti aliud de suo sensu intelligi volunt, neque principium de matre dant Christo, afferant necesse est non unum esse Filium Dei, sed alios quoque ex summo Patre progenitos, quorum hic unus fit natus ex femina, & ob hoc appelletur Unigenitus, quia hanc nascendi conditionem alias filiorum Dei nemo suscepit. Quaquaversum igitur se contulerint, in magna tendunt impietatis abruptum, si Christum Dominum, vel ex matre volunt habere principium, vel Patrem Dei unigenitum diffitentur: cum & de matre is natus sit, qui erat Deus Verbum, & de Patre nemo fit genitus praeter Verbum.

IV.

Quarto autem capitulo continetur, quod natalem

Christi, quem secundum susceptionem veri hominis catholica ecclesia veneratur, quia *Verbum caro factum est & habitauit in nobis*, non vere isti honorent, sed honorare se simulent, ieunantes eodem die, sicut & die dominico, qui est dies resurrectionis Christi. Quod vtique ideo faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint; sequentes dogma Cerdonis atque Marcionis, & cognatis suis Manichæis per omnia concordantes. Qui sicut in nostro examine detecti atque conuicti sunt, dominicum diem, quem nobis Salvatoris nostri resurrectio consecrauit, exigunt in mœrore ieunii; Solis (vt proditum est) reuerentiæ hanc continentiam deuouentes, vt per omnia sint a nostræ fidei vnitate discordes, & dies qui a nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur. Vnde dignum est, vt inimici crucis Christi & resurrectionis, talem excipiant sententiam, qualem elegerunt doctrinam.

V.

Quinto capitulo refertur, quod animam hominis diuinæ asserant esse substantiæ, nec a natura creatoris sui conditionis nostræ distare naturam. Quam impietatem ex philosophorum quorundam & Manichæorum opinione manantem, catholica fides damnat: sciens nullam tam sublimem, tamque præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit. Quod enim de ipso est, idem est quod ipse. Nec id aliud est, quam Filius, & Spiritus sanctus. Præter hanc autem summæ trinitatis vnam consubstantialem, & sempiternam, atque incommutabilem deitatem, nihil omnium creaturarum est, quod non in exordio sui ex nihilo creatum sit. Non autem, quidquid inter creaturem eminet, Deus est, nec si quid magnum est, atque mirabile, hoc est quod ille *qui facit mirabilia magna solus*. Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est: sed multi participes sunt veritatis & sapientiae atque iustitiae. Solus autem Deus nullius participationis indigus est. De quo quidquid digne vt cumque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit: quia esse illi, quod est sempiternum, semper est proprium. Vnde in se manens innouat

Ioan. 1.
Vide huius
S. Leonis
serm. 2. in
Natali Do-
mini, cap. 5.
& serm. 7.
cap. 3. 4. 5. 6.
Item de E-
piphani ser.
4. in fine
cap. 4.

omnia, & nihil accipit quod ipse non dedit. Nimium igitur superbi, nimiumque sunt cœci, qui cum dicant humanam animam diuinæ esse substantiæ, non intelligunt, nihil se aliud dicere, quam Deum esse mutabilem, & ipsum perpeti quidquid potest naturæ eius inferri.

VI.

Sexta annotatio indicat eos dicere, quod diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura eius opificium Dei sit, sed eum ex chao & tenebris emersisse: quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principium atque substantia: cum fides vera, quæ est catholica, omnium creaturarum, siue spiritualium, siue corporalium, bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam: quia Deus qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellētia male usus est, & in veritate non stetit, non in contrariam transiit substantiam, sed a summo bono, cui debuit adhærere, desciuit: sicut ipsi, qui talia afferunt, a veris in falsa proruunt, & naturam in eo arguunt, in quo sponte delinquunt, ac pro sua voluntaria peruersitate damnantur. Quod vtique in ipsis malum erit, & ipsum malum non erit substantia, sed pœna substantiæ.

VII.

Septimo loco sequitur, quod nuptias damnant, & procreationem nascentium perhorrescant: in quo (sicut penne in omnibus) cum Manichæorum profanitate concordant, ideo (sicut ipsorum mores probant) coniugalē copulam detestantes, quia non est illuc libertas turpitudinis, ubi & pudor matrimonii seruatur, & spes sobolis.

VIII.

Octauum ipsorum est, plasmationem humanorum corporum diaboli dicere esse figmentum, & semina conceptionum opera dæmonum in mulierum vteris figurari: propterea resurrectionem carnis non esse credendam, quia concreatio corporis non sit congruens animæ dignitati. Quæ falsitas sine dubio opus diaboli est, & talia prodigia opinionum figura sunt dæmonum, qui non in feminarum ventribus formant homines, sed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immundissimū virus

virus

virus de Manichæa impietatis specialiter fonte procedēs,
olim fides catholica deprehendit atque damnauit.

IX.

Nona autem annotatio manifestat, quod filios promissionis, ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu sancto dicant esse conceptos, ne illa soboles, quæ de carnis semine nascitur, ad Dei cōditionem pertinere videatur. Quod catholicæ fidei repugnans atque contrarium est, quæ omnem hominem in corporis animæque * substantia a conditore vniuersitatis formari atque animari intra materna viscera confitetur: manente quidem illo peccati mortali tatisque contagio, quod in prolem a primo parente transcurrit, sed regenerationis sacramento subueniente, quo per Spiritum sanctum promissionis filii renascuntur, non in utero carnis, sed in virtute baptismatis. Vnde & Dauid, qui vtique erat promissionis filius, dicit ad Deum: *Ma-* Psal. 118.
Ios. 10.
nus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me. Et ad Ieremiam Dominus ait: *Priusquam te formarem in utero, noui te, &c.* Ier. 1.

X.

Decimo autem capitulo referuntur asserere animas, quæ humanis corporibus inferuntur, fuisse in corpore, & in cælesti habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas, in diuersæ qualitatis principes incidisse, & per aerias ac sidereas potestates, alias duriores, alias mitiores corporibus esse inclusas, sorte diuersa & conditione dissimili, ut quidquid in hac vita varie & inæqualiter prouenit, ex præcedentibus causis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt: sed omnes eos catholica fides a corpore suæ unitatis abscondit constanter prædicans atque veraciter, quod animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est creator & corporum. Et quia per primi hominis præuaricationem tota humani generis propago vitiata sit, neminem posse a conditione veteris hominis liberari, nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla est discretio renatorū, dicente Apolo stolo: *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Galat. 3.
Non est Iudeus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque femina; omnes enim unum estis in Christo Iesu.

Concil. Tom. 7.

Ff

Rom. 8. Quid ergo hic agunt cursus siderum, quid figmenta fatorum? quid mundanarum rerum mobilis status, & inquieta diuersitas? Ecce tot impares gratia Dei facit æquales, qui inter quoslibet vitæ huius labores, si fideles permanent, miseri esse non possunt, apostolicum illud in omni tentatione dicentes: *Quis nos separabit a caritate Christi?* tribulatio? an angustia? an persecutio? an famæ? an nuditas? an periculum? an gladius? *Sicut scriptum est: quia propter morte afficiuntur tota die, æstimatis sumus ut ones occisionis.* Sed in his omnibus superamus in eo, qui nos dilexit. Et ideo ecclesia, quæ corpus est Christi, nihil de mundi inæqualitatibus metuit, quia nihil de bonis corporalibus concupiscit. Nec timet inani strepitu fatorum grauari, quæ patientia tribulatum nouit augeri.

X I.

Vndecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis & animas hominum & corpora opinantur adstringi, per quam amentiam, necesse est, vt homines paganorum erroribus implicati, & fauentia sibi (vt putant) fidera colere, & aduersantia studeant mitigare. Verum ista sectantibus nullus in ecclesia catholica locus est: quoniam qui se talibus persuasionibus dedit, a Christi corpore totus abscessit.

XII.

Duodecimum inter hæc illud est, quod sub aliis potestatibus partes animæ, sub aliis corporis membra describunt, & qualitates interiorum præsumunt in patriarcharum nominibus statuunt, quibus e diuerso signa siderea, quorum virtuti corpora subiificantur, opponunt. Et in his omnibus inextricabilis errore præpediunt, non audientes dicentem Apostolum: *Videte ne quis vos decipiatur per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & est in illo repletus, qui est caput omnis principatus & potestatis.* Et iterum: *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vident ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.* Quid ergo opus est in cor admittere, quod lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod euāgelii veritas non prædicauit,

*Coloff. 1.**Ibidem.*

quod apostolica doctrina non tradidit? Sed hæc operta sunt eorum mentibus, de quibus Apostolus dicit: *Erit 1. Tom. 4.*
enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua de-
sideria coaceruabunt sibi magistros, pruidentes auribus: & a veri-
tate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.
*Nihil itaque * nobiscum commune habeant, qui talia au-*
dent vel docere, vel credere, & quibuslibet modis ni-
tuntur adstruere, quod substantia carnis ab spe resurre-
ctionis aliena sit, atque ita omne sacramentum incarna-
tionis Christi resoluunt: quia indignum fuit integrum ho-
minem suscipi, si indignum erat integrum liberari.

XIII.

Tertiodecimo loco positum est eosdem dicere, quod omne corpus scripturarum canonicarum sub patriarcharum nominibus accipiendum sit, quia illæ duodecim virtutes, quæ reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicentur, sine qua scientia nullam animam posse assequi, vt in eam substantiam, de qua prodidit, reformatum. Sed hanc impiam vanitatem despectui habet Christiana sapientia, quæ nouit veræ deitatis inuiolabilem & inconuertibilem esse naturam: animam autem, siue in corpore viuentem, siue a corpore separatam, multis passionibus subiacere. Quæ vtique, si diuinæ esset essentia, nihil aduersi possit incidere. Et ideo ineffabiliter aliud creator est, aliud creatura. Ille enim semper idem est, & nulla varietate mutatur; hæc autem mutabilis est, etiam non mutata, quia vt non mutetur, datum poterit habere, non proprium.

XIV.

Sub quartodecimo vero capitulo, de statu corporis sentire dicuntur, quod sub potestate siderum atque signorum pro terrena qualitate teneatur, & ideo multa in sanctis libris, quæ ad exteriorem hominem pertineant, reperiiri, vt in ipsis scripturis inter diuinam terrenamque naturam quædam sibi repugnet aduersitas, & aliud sit quod sibi vindicent animæ præfules, aliud quod corporis conditores. Quæ fabulæ ideo differuntur, vt & anima diuinæ affirmetur esse substantia, & caro credatur malæ esse naturæ; quoniam & ipsum mundum cum elementis suis non opus Dei boni, sed conditionem mali profitentur auctoris: atque vt hæc mendaciorum suorum sacrilegia

Concil. Tom. 7.

Ff ij

bonis titulis colorarent, omnia pene diuina eloquia sensuum nefandorum immissione violarunt.

XV.

De qua re quintidecimi capituli sermo conqueritur, & præsumptionem diabolicam merito detestatur, quia & nos istud veracium testium relatione comperimus, & multos corruptissimos eorum codices, qui Canonici titulantur, inuenimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne vsquequaque sentirentur insuauia, quæ essent futura mortifera? Curandum ergo est, & sacerdotali diligentia maxime prouidendum, vt falsati codices, & a sincera veritate discordes, in nullo vsu lectionis habeantur: apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamuis enim sint in illis quædam, quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacuæ sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscumque erroris inuoluant. Vnde si quis episcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub Canonicorum nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se nouerit iudicandum; quoniam qui alium ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.

XVI.

Postremo autem capitulo hoc prodidit iusta querimonia, quod *Diætinii tractatus, quos secundum Priscilliani dogma conscripsit, a multis cum veneratione legerentur; cum si aliquid memoriae Diætinii tribuendum putant, reparationem eius magis debeant amare, quam lapsum. Non ergo Diætinium, sed Priscillianum legunt, & illud probant, quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impune præsumat, nec inter catholicos censeatur, quisquis vtitur scripturis, non ab ecclesia solùmodo catholica, sed etiam a suo auctore damnatis. Non sit peruersis liberum simulare quod fingunt, nec sub vellamine nominis Christiani Decretorū imperialium statuta

*Diætinii

declinent. Ideo enim ad ecclesiam catholicam cum tanta cordis diuersitate conueniunt, vt & quos possunt, suos faciant, & legum seueritatem, dum se nostros mentiuntur, effugiant. Faciunt hoc Priscillianistæ, faciunt hoc Manichæi, quorum cum istis tam foederata sunt corda, vt solis nominibus discreti, sacrilegiis autem suis inueniantur vniuersiti: quia etsi vetus testamentum, quod isti se suscipere simulant, Manichæi refutant, ad vnum tamen finem utrumque tendit intentio, cum quod isti recipiendo corrumptunt, illi abdicando impugnant. In execrabilibus autem mysteriis eorum, quæ quanto immundiora sunt, tanto diligentius occultantur, vnum prorsus nefas est, vna est obscenitas, & similis turpitudo. Quam etsi eloqui erubescimus, solicitissimis tamen inquisitionibus indagatum, & Manichæorum, qui comprehensi sunt, confessionibus detectam, ad publicam fecimus peruenire notitiam; ne vlo modo possit dubium videri, quod in iudicio nostro, cui non solum frequentissima præsentia sacerdotum, sed etiam illustrium virorum dignitas, & pars quædam senatus ac plebis interfuit, ipsorum qui omne facinus perpetrabant, ore reseratum est, sicut ea, quæ ad dilectionem tuam nunc direximus, gesta demonstrant. Quod autem de Manichæorum foedissimo scelere, hoc etiam de Priscillianistarū incestissima consuetudine olim compertum, multumque vulgatum est. Qui enim per omnia sunt impietate sensuum pares, non possunt in sacris suis esse dislimiles. Decurfis itaque omnibus quæ libelli series comprehendit, & a quibus commonitorii forma non discrepat, sufficienter (vt opinor) ostendimus, quid de his, quæ ad nos fraternitas tua retulit, censemus, & quam non sit ferendum, si tam profanis erroribus etiam quorumdam sacerdotum corda consentiunt, vel (vt mitius dixerim) non resistunt. Qua conscientia honorem sibi debitum vindicant, qui pro animabus sibi creditis non laborant? Bestiæ irruunt, & ouium septa non claudunt: fures infidiantur, & excubias non prætendunt: morbi crebrescunt, & remedia nulla prospiciunt. Cum autem etiam illud addunt, vt his, qui solicitus agunt consentire detestent, & impietates olim toto orbe damnatas subscriptionibus suis se anathematizare dissimulent; quid de se

intelligi volunt, nisi quod de numero fratrum non sunt,
sed de parte hostium.

XVII.

In eo vero quod extrema familiaris epistolæ tuæ parte posuisti, miror cuiusquam catholici intelligentiam laborare, tamquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro eius requieuerit in sepulcro : quæ sicut vere & mortua est & sepulta, ita vere est die tertio resuscitata. Hoc enim & ipse Dominus denuntiauerat, dicens ad Iudeos: *Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud.* Vbi euangelista subiungit: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Cuius rei veritatem etiam Dauid propheta prædixerat, loquens sub persona Domini saluatoris, & dicens: *Insuper & caro mea requiescat in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quibus utique verbis manifestum est, quod caro Domini, & vere sepulta requieuit, & corruptionem non subiit: quia celeriter viuificata reditu animæ resurrexit. Quod non credere satis impium est, & ad Manichæi Priscillianique doctrinam pertinere non dubium est, qui sacrilego sensu ita se Christum simulant confiteri, ut incarnationis & mortis & resurrectionis auferant veritatem. Habeatur ergo inter vos episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum provinciarum conueniant sacerdotes, ut secundum ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter episcopos qui huius heresios contagio polluantur, a communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum prauitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum est, ut qui prædicandæ fidei suscepit officium, is contra euangelium Christi, contra apostolicam doctrinam, contra vniuersalis ecclesiæ symbolum audeat disputare. Quales illic erunt discipuli, vbi tales docebunt magistri? Quæ illic religio populi, quæ salus plebis, vbi contra humanam societatem pudoris scissi verecundia tollitur, coniugiorum foedera auferuntur, propagatio generationis inhibetur, carnis natura damnatur, contra verum autem veri Dei cultum trinitas deitatis negatur, personarum proprietas confunditur, anima hominis diuina essentia præ-

Iohann. 2.

Psal. 15.

dicatur, & eadem ad diaboli arbitriū carne concluditur, Dei filius per id, quo ex Virgine ortus, non per id, quo ex Patre natus est, Vnigenitus prædicatur, idemque nec vera Dei proles, nec verus Filius Virginis afferitur, vt per falsam passionem, mortemque non veram mendax etiam resurrectio resumpta de sepulcro carnis habeatur? Frustra autem vtuntur catholico nomine, qui istis impietatis non resistunt. Possunt hæc credere, qui possunt talia patienter audire. Dedimus itaque literas ad fratres & coepiscopos nostros Tarragonenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallacos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinet, vt nostræ ordinationis auctoritas ad prædictarum provinciarum episcopos deferatur. Si autem aliquid (quod absit) obstat, quo minus possit celebrari generale Concilium Gallæciæ, saltem in vnum cōueniant sacerdotes, quibus congregatis fratres nostri Hydaci & Ceponius imminebunt coniuncta cum eis instantia tua, quo cito vel prouinciali Conuentu remedium tantis vulneribus afferatur. Data XII. Kalendas Augusti, Alypio & Ar-dabure viris clarissimis consulibus.

E P I S T O L A X C I V.
L E O N I S P A P Æ I.
AD EPISCOPOS GALLIÆ.

Mittit exemplar sententiæ, quæ in Synodo Calchedonensi a vicariis papæ prolata fuerat contra Dioscorum.

Dilectissimis fratribus Rustico, Rauennio, Venerio, &ceteris episcopis per Gallias constitutis Leo.

IMPL ETIS per misericordiam Dei communibus votis, dignum est fraternitatem vestram sanctorum gaudiorum habere consortium. Nam fratres mei, qui vice mea orientali Synodo præsederunt, quaæ actæ retulerint significo, confirmata catholica fide, & glorificato apostolicæ prædicationis triumpho: quod etiam hi, qui ad deuandum, vel seduicti fuerant, vel impulsi, recepta veritatis luce lassantur. Siquidem omnes Domini sacerdotes in v-

nam sententiam, sancto Spiritu docente, consensere: & de sacramento dominicæ incarnationis, in qua multorum intelligentia caligabat, ita tenebræ erroris ablatae sunt, ut in uno Domino nostro, vero & Dei & hominis Filio, nec de humanitatis ambigatur natura, nec de deitatis essentia. In impios autem nefandi erroris autores, qui indignos se Dei gratia iudicantes, correctionis uti remediis noluerunt, qualis sit lata sententia, exemplaria quæ misimus edocebunt: ut agnoscat vestra dilectio, fratres carissimi, in sancto examine diuinum non defuisse iudicium, quo & vindicta retributa est obduratis, & pax impensa correctis. Dominus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

EXEMPLAR SENTENTIÆ.

Pascasinus episcopus Lilybetanus, Lucensis episcopus Asculanus, & Bonifacius presbyter ecclesiæ maximæ urbis Romæ, vicarii sanctissimi ac beatissimi papæ Leonis apostolicæ sedis antistitis, pronuntiauerunt. Manifesta sunt quæ Dioscorus Alexandrinæ urbis antistes contra Canonum disciplinam, regulasque ecclesiasticas, illicita præsumptione commisit, sicut præterita gestorum, seu præsens declarauit assertio. Is namque, ut plura relinquamus, Eutychem consortem perfidiæ suæ, a proprio episcopo sanctæ recordationis Flauiano iure damnatum, in gratiam communionis, antequam cum his qui congregati fuerant in Ephesina urbe episcopis resideret, suscepisse cognoscitur. Sed illis quidem sedes apostolica veniam tribuit, quia contra votum gesellis quæ patrata sunt approbantur: ita ut nunc usque adhærent & beatissimo papæ, & vniuersali sanctoque Concilio: qua de re sacro-sanctæ communionis consecuti sunt medicinam. Prædictus vero, qui malorum perseverantia ornari se aestimat, cum debeat summissa fronte usque ad terram cum gemitu, ut conuenit, inclinari, quoniam nec beatissimi papæ epistolam legi permisit ad venerandæ memorie Flauianum Christi antistitem scriptam: quippe cum ab his qui detulerant petitus ut legi fineret, sacramenti satisfactione quod promiserat implere contempsit: quatenus proui dogmatis augeretur impietas, & occasio læsionis,

sionis, vel scandali cunctis generaretur ecclesiis. Patratis tamen his, voluimus his sceleribus indulgere, & veniam, quam ceteris episcopis præstimus, dignanter impendere, cum nec similem iudicandi reperiatur habuisse fiduciam, * adiecit etiam accusatorum supplicatio variis referta criminibus, & tertio euocatus per reuerentissimos fratres & coepiscopos nostros admonitione canonica, venire contempsit conscientiæ detentus arcano. Episcopos etiam a prouinciali Synodo, cui subdebantur, iure damnatos iniqua usurpatione suscipiens, ipse contra se damnationis sententiam prouocauit, veterum patrum sæpius statuta conculcans. Vnde sanctus ac beatissimus papa caput vniuersalis ecclesiæ Leo, per nos vicarios suos, sancta Synodo consentiente, Petri apostoli prædictus dignitate, qui ecclesiæ fundamen, & petra fidei, cælestis regni ianitor nuncupatur, episcopali eum dignitate nudauit, & ab omni sacerdotali opere fecit extorrem. Supereft ut congregata venerabilis Synodus canonicam contra prædictum Dioscorum proferat iustitia suadente sententiam.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ Exemplar sententia.] Depromptum est ex codice Corbeiensi, & ex Pithœano, in quibus præcedenti Leonis epistola subiiciebantur. Extat autem, sed aliis verbis, in Actione tertia Concilii Calchedonensis.

EPISTOLA XCIV.
LEONIS PAPÆ I.
AD EPISCOPOS GALLIÆ ET HISPANIÆ.
De solennitate paschali anni CCC LV.

Dilectissimis fratribus vniuersis episcopis catholicis per Gallias
& Hispanias constitutis Leo.

CVM in omnibus diuinorum præceptorum regulis exequendis sacerdotalem obseruantiam oporteat esse concordem, maxime nobis & principaliter prouidendum est, ne in paschalis festi die vel ignorantia, vel præsumptio, peccatum diuersitatis incurrat. Vnde quia tempus sacratissimæ solennitatis ita dispositos habet limites

Concil. Tom. 7.

Gg

suos, vt salutare sacramentum nunc citius, nunc tardius oporteat celebrari; non desinit apostolicæ sedis solicitude prospicere, ne deuotio ecclesiastica aliquo turbetur incerto. Cum autem in quibusdam adscriptionibus patrum, futurum proxime Pascha Domini, ab aliis in diem xv. Kalendas Maias, ab aliis in diem viii. Kalendas easdem inueniretur adscriptum, tantum me diuersitas ista permouit, vt clementissimo principi Marciano curam de hac re animi mei panderem; vt præcipiente ipso, ab his qui habent huius suppurationis peritiam, diligentius illic discussa ratione quereretur, quo die possit veneranda solennitas rectius celebrari. Quo rescribente, viii. Kalendas Maias definitus est dies. Quia ergo studio vnitatis & pacis malui orientalium definitioni acquiescere, quam in tantæ festiuitatis obseruantia diffidere, nouerit fraternitas vestra die viii. Kalendas Maias ab omnibus resurrectionem dominicam celebrandam: & hoc ipsum per vos aliis fratribus esse intimandum, vt diuinæ pacis confortio, sicut vna fide iungimur, ita vna solennitate feriemur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data post consulatum Opilionis v. Kalendas Augustas.

*Pascha Valentiniano III. & Anthemio consulibus
viii. Kalendas Maias.*

EPISTOLA XCVI.

LEONIS PAPÆ I.

AD EPISCOPOS ET PRESBYTEROS INTRA
THRACIAM PROVINCIAM CONSTITUTOS.

Declarat excommunicatos clericos illos, qui prætermisso ecclesiastico iudicio sacerdotalem adierint potestatem.

*Dominis fratribus merito beatissimis, in Christo venerabilibus, * Sarmatiensi, * Charatoni, Desiderio episcopis, & presbyteris omnium ecclesiarum, quæ sunt intra provinciam Thraciam constitutæ, * Leo, * Victorius, * Eustachius episcopi.*

TANTA sacerdotalem ordinem reuerentia præualuere, etiam hi quos sub imperiali nomine terris diuina potentia præesse præcepit, vt ius distinguendorum negotiorum episcopis sanctis iuxta

Obseruat
R. P. Sir-
mondus
hac episto-
lā esse Leo-
nis Bituri-
ensis epi-
scopi, qui
vna cū Vi-
ctorio Ce-
nomanensi
& Eusto-
chio Turo-
nensti epi-
scopis eam
scripsit ad
episc. &
presb. pro-
vincia, non
Thracie, vt
perpetrā le-
gitur, sed
Tertiae
Lugd. quo
nomine
Turonica
provincia
designatur.

* Sarmatiensi,
* Charatoni,
* Victorius,
* Eustachius

diualia constituta permiserint. Quod cum & iuris antiqui formulis & illibatis frequentius sit legibus confirmatum, præsenti tamen tempore a plerisque inuenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali iudicio, paſſim ad examen ſæculare transiere. Quocirca nobis viſum eſt, vt hanc & ſacræ legis, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens vlciferetur plena diſtriсtio, & obſeruandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itaque, vt qui- cumque, prætermisso ſacerdote ecclesiæ ſuæ, ad diſceptationem veneſit ſæculariū, ſacris liminibus expulſus, a cœleſti arceatur altario, neque ullus poſt hanc definitionē, qui communis ſedit arbitrio, quidquam ſibi ultra præſcriptum vindicare nitatur: & ita fiet, vt hi qui ante errauere, congrua emendatione ſe corrigant, & qui ſub obſeruatione clericali cœleſti probatur feruire officio, ex clero abii- ciendum, ſi prætermisſo ſacerdotum iudicio, ſæcularē adierit potestatē. Quod ideo ſingulos vniuersosque volu- mus agnoscere, vt quod pleno iuſtitiae & iuris ordine con- ſtitutum eſt, eſſe & tū totius firmitatis in omnibus clericorum negotiis ſortiatur. Sane ſi clericus laicum pulſet, priu- ſe audiri ab episcopis poſcat: tum ſi petitioni ſuæ laicū vi- derit obuiare, ex permiſſu episcopi ſuī, in ſæculi modera- tores diſceptatione configat. Leo episcopus ſcribit. Vi- ðorius episcopus ſcribit. Eustachius episcopus ſcribit.

EPISTOLA XCVII.

LEONIS PAPÆ I.

AD LEONEM AVGVSTVM.

- I. De blaſphemis Neftorii & Eu-
thyketis, eorumque digno ana-
themate.
II. Quod in una Domini Iefu per-
- sona gemina ſit deitatis & hu-
manitatis afferenda natura.
III. De capitulis fidei ex sancto-
rum patrum libris collectis.

Leo Romæ & vniuersalis catholicæque ecclesiæ episcopus,
Leoni ſemper Auguſto ſalutem.

PROMIſIſSE me memini, venerabilis imperator, in
cauſa fidei, de qua clementiam tuam noui pie eſſe ſo-
licitam, pleniorē humilitatis meæ dirigendum eſſe ſer-
monem: quem nunc (auxiliante Domino) fideli occasio-
ne perſoluо, vt ſancto pietatis tuæ ſtudio utilis (quantum

Concil. Tom. 7.

Gg ij

arbitror) deesse non possit instructio. Quamuis enim sciam clementiam tuam humanis instructionibus non egere , & sincerissimam de abundantia Spiritus sancti hausisse doctrinam ; officii tamen mei est , & patefacere quod intelligis , & prædicare quod credis : vt ignis ille , quem Dominus veniens misit in terram , motu crebræ meditationis agitatus , sic concalescat , vt ferueat ; & sic inflammetur , vt luceat .

LUC. 12.

Ioan. 1.

Luce 1.

I.

Magnas enim caligines Eutychiana hæresis orientis partibus inferre molita est : & ab illa luce , *quæ* (sicut euangelium loquitur) *lucet in tenebris , & tenebræ eam non comprehendunt*, imperitorum oculos tentauit auertere. Cumque ipsa in suam reciderit cæcitatem , nunc in discipulis recrudescit , quod in auctore defecit. Non longo namque temporis interuallo catholica fides , *quæ* est singularis & vera , cuique nihil addi , nihilve minui potest , a duobus est hostibus appetita : quorum prior Nestorius , Eutyches secundus emersit , qui ecclesiæ Dei duas hæreses sibi met contrarias inferre voluerunt , vt vterque a prædicatoribus veritatis merito damnaretur , quia insanum nimis & sacrilegum fuit , quod varia falsitate ambo senserunt. Anathematizetur ergo Nestorius , qui beatam Virginem Mariam non Dei , sed hominis tantummodo creditit genitricem , vt aliam personam carnis , aliam faceret deitatis : nec vnum Christum in verbo Dei & carne sentiret , sed separatim atque seiuicetim alterum Filium Dei , alterum hominis prædicaret : cum manente illa incommutabili Verbi essentia , *quæ* ei cum Patre & Spiritu sancto in temporalis atque coæterna est , ita intra virginea viscera Verbum caro sit factū , vt per id quod ineffabile est sacramentum , vno conceptu , vnoque partu , secundum veritatem vtriusque naturæ , ea virgo & ancilla Domini esset & mater. *Quod etiam Elizabeth* (sicut Lucas euangelista declarat) intellexit , & dixit : *Vnde hoc mihi , ut veniat mater Domini mei ad me?* Eutyches quoque eodem percellatur anathemate , qui per impios veterum hæreticorum voluntatis errores , tertium Apollinaris dogma de legit ; vt negata humanae carnis atque animæ veritate , totum Dominum nostrum Iesum Christum vnius assereret esse naturæ ,

tamquam Verbi deitas ipsa se in carnem animamque conuerterit, & concipi ac nasci, nutriti & crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere, & ascendere in cælum, & in Patris dextera, vnde ad iudicandos viuos & mortuos veniet, considere, diuinæ tantum essentiæ fuerit, quæ nihil horum in se sine carnis recipit veritate, quoniam natura Vnigeniti natura est Patris, natura est & Spiritus sancti: simulque impassibilis, simul est incommutabilis, sempiternæ trinitatis indiuisa unitas, & consubstantialis æquitas. Vnde si ab Apollinaris peruersitate Eutychianus quisque desciscit, ne conuincatur deitatem passibilem sentire atque mortalem, & tamen Verbi incarnati, id est, Verbi & carnis vnam audet pronuntiare naturam, manifeste in Valentini & Manichæi transit insaniam, & mediatorem Dei & hominum hominem Iesum Christum simulatorie credit omnia egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium. Quæ impietatis mendacia quoniam olim fides catholica detestatur, & aliarum assertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum patrum dudum sunt damnata sententiis, non dubium est eam nos fidem prædicare atque defendere, quam sancta Synodus Nicæna confirmauit, dicens: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem: & in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei, natum de Patre vniuersitatem, hoc est, de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, vnius substantiæ cum Patre, (quod Græci dicunt homousion) per quem omnia facta sunt, siue quæ in cælo, siue quæ in terra. Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit de cælis: & incarnatus est, & homo factus, passus est, & surrexit tercia die. Ascendit ad cælos, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. In qua professione hoc euidentissime continetur, quod etiam nos de Domini incarnatione confitemur & credimus, qui ad salutem humani generis reformatam veram carnem nostræ fragilitatis, non de cælo secum detulit, sed in utero Virginis matris assumpfit.

Nicæna
nodi sym-
bolum.

II.

Quicumque ergo sunt ita obcæcati, & a lumine veritatis alieni, vt Verbo Dei a tempore incarnationis humanae carnis denegent veritatem; ostendat in quo sibi Christianum nomen usurpent, & cum euangeliō veritatis quare ratione concordent, si per beatæ Virginis partum, aut caro sine deitate, aut deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest (euangelista dicente) quod *Verbum caro factum est, & habitat in nobis*: ita negari non potest (beato Paulo apostolo prædicante) quod *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*. Quæ autem reconciliatio esse posset, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam mediator Dei hominumque susciperet? Quæ vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma serui particeps esset & nostri: vt mortis vinculum, vnius præuaricatione contratum, vnius morte (qui solus morti nihil debuit) solueretur: effusio enim pro iniustis sanguinis iusti Christi, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad precium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent, quoniam sicut Apostolus ait: *Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia*. Et cum sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quam debitum seruitutis. Quam itaque sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in Salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati. dicant quo sanguine sint redempti. *Quis est* (vt ait Apostolus) *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis?* Aut quod vñquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus & æternus pontifex altari crucis, per immolationem suæ carnis, imposuit? Quamuis enim multorum sanctorum in conspectu Domini preciosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Accepterunt iusti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientia, non dona iustitia. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, cum inter filios hominum vñus solus Dominus noster Iesus Christus, qui ve-

*Iean. 1.**2. Cor. 5.**Rom. 5.**Ephes. 5.**Psal. 115.*

re erat agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Fides etenim vera iustificans impios, & creans iustos, ad humanitatis suæ tracta partem, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit. Licet ergo in uno Domino Iesu Christo, vero Dei atque hominis filio, Verbi & carnis una persona sit, quæ inseparabiliter atque indiuise communes habeat actiones; intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & sincerae fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo diuinitatis. Quid sit *quod caro sine Verbo non agit, & quid sit quod Verbum sine carne non efficit.* Sine Verbi enim potentia nec ciperet Virgo nec pareret, & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine Verbi potentia non adorarent magi puerum, stella indice declaratum: & sine veritate carnis non iuberetur in Ægyptum trâsferri puer, & ab Herodis persecutione subduci. Sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de cælo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite: & sine veritate carnis non protestaretur Ioannes: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum: & sine veritate carnis, nec cibus ieuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo, sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem: & sine veritate carnis non idem diceret Patrem se esse maiorem: cum catholica fides vtrumque suscipiat, vtrumque defendat, quæ secundum confessionem beati apostoli Petri, unum Christum Dei viui filium, & hominem credit, & Verbum. Quamuis itaque ab illo initio, quo in utero Virginis Verbum caro factum est, nihil unquam inter utramque formam divisionis extiterit, & per omnia incrementa corporeavnius personæ fuerint totius temporis actiones, ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla commixtione

*Ioh. 12.**Luc. 1. & 2.**Ibidem.**Matth. 3.**Matth. 14.**Ioan. 1.**Ioan. II.**Ioan. 14.**Matth. 16.*

confundimus, sed quid cuius formæ sit ex operum qualitate sentimus. Nec diuina enim humanis præjudicant, nec humana diuinis: cum ita in idipsum vtraque concurrant, vt in eis nec proprietas absunt, nec persona germinetur. Dicant ergo isti hypocritæ, qui cæcis mentibus

*Iohn. 19.
Ibidem.*

*Matt. 29.
Luc. 24.*

Luc. vii.

Iohn. 20.

Act. 4.

1. Tim. 2.

Philip. 2.

Ibidem.

lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma crucis ligno Dominus maiestatis Christus affixus sit? quid iacuerit in sepulcro? & reuoluto monumenti lapide, quæ tertio die caro resurrexit? & in qua post resurrectionem suam non credentes quosdam discipulos arguebat, & hæsitationem cunctantium confutabat, cum diceret: *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere?* Et apostolo Thomæ: *Infernum tuam in latu meum, & vide manus meas & pedes, & noli esse incredulus, sed fidelis?* Qua utique manifestatione corporis sui iam hæreticorum mendacia destruebat: vt vniuersa ecclesia, Christi imbuenda doctrinis, hoc sibi non dubitaret credendum, quod apostoli suscepserant prædicandum. At si in tanta luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit, ostendant, vnde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, ad quam nisi per mediatorem Dei & hominum hominem Iesum Christum non potest perueniri. Sicut enim ait beatus Petrus apostolus: *Non est aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri;* nec est redemptio captiuitatis humanæ, nisi in sanguine eius, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Et qui (sicut prædicat B. apostolus Paulus) *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, *quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu fleatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Cum ergo unus sit Dominus Iesus Christus, & vera deitatis veræque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit, exaltationem tamen, *qua illum* (sicut Doctor gentium dicit) *exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod super omne nomen excellit,* ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat

tantæ

tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat Filius Patri, & inter Genitorem atque Vnigenitum nulla in essentia erat discretio, nulla in maiestate diuersitas, nec per incarnationis mysterium aliquid deceperat Verbo, quod ei Patris munere redderetur. Forma autem serui, per quam impassibilis deitas sacramentum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas est, quæ in gloriam diuinæ potestatis euecta est in tantā vnitatem, ab ipso conceptu Virginis deitate & humanitate conserta, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus maiestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus: quia inseparabiliter (manente vnitate personæ) vnum atque idem est, & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei Filius propter vnam cum Patre deitatem. *Quidquid enim in tempore accepit Christus secundum hominem accepit, cui, quæ non habuit, conferrentur.* Nam secundum potentiam deitatis indifferenter omnia, quæ habet Pater, etiam Filius habet: & quæ in forma seruia Patre accepit, eadem in forma Dei etiam ipse donauit. Secundum formam enim Dei, *ipse & Pater vnum* *Iohann. 10.* sunt: secundum formam autem serui, *non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius, qui misit eum:* Secundum formam Dei, *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit &* *Iohann. 5.* *Filio vitam habere in semetipso:* secundum formam serui: *Tristis est anima eius usque ad mortem.* Et idem ipse est, sicut ait Apostolus, *& diues, & pauper. Diues, quia euangelista dicens, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* *Iohann. 1.* *& Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Pauper vero, quia propter nos Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* *Ibidem.* *Quæ autem est eius exinanitio, quæve paupertas, nisi forma seruili acceptio? per quam Verbi maiestate velata, dispensatio humanæ redemptionis impleta est.* Nam quia captiuitatis nostræ resoluti originalia vincula non poterat, nisi existeret homo nostri generis nostræq; naturæ, quem peccati præiudicia non tenerent, & qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret, sicut ab initio erat diuinitus præordinatū: ita est in plenitudine præfiniti temporis factum, vt multis modis significata promissio,

Concil. Tom. 7.

Hh

in diu expectatum veniret effectum, nec posset esse ambiguū, quod continua testificationibus semper fuerat nuntiatum. In magno autem sacrilegio se versari, hæreticorum manifestat impietas, cum sub specie deitatis honorandæ, humanæ carnis in Christo denegant veritatem, & religiose existimant credi, si dicatur in Saluatore nostro, verum non esse, quod saluat, cum ita secundum promissionem omnia sacula percurrentem, mundus sit Deo reconciliatus in Christo, ut nisi Verbum dignaretur caro fieri, nulla posset caro saluari. Omne enim sacramentum fidei Christianæ, magno (ut hæretici volunt) decoloratur obscuro, si lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis. Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet Christianus de nostri in Christo corporis veritate: quia omnes apostoli apostolorumque discipuli, & præclarí ecclesiarum quique doctores, qui ad martyrii coronam, vel ad confessionis meruere gloriam peruenire, in huius fidei lumine splenduere, consonis vbiique sententiis intonantes, quod in Domino Iesu Christo deitatis & carnis vna sit confitenda persona. Quia autem rationis similitudine, qua diuinorum voluminum portione, hæretica impietas se existimat adiuuari, quæ veritatem negat corporis Christi: cum hanc non lex testificari, non prophetia præcinere, non euāgelia docere, non ipse destiterit Christus ostēdere? Quærant per omnem seriem scripturarum, quo tenebras suas fugiant, non quo verum lumen obscurent: & per omnia sacula ita veritatem inuenient coruscantem, ut magnum hoc & mirabile sacramentū, ab initio videant creditum, quod est in fine completū. De quo cum sanctarum literarū nulla pars fileat, sufficit quædam consona veritatis signa posuisse, quibus diligentia fidei splendidissima latitudine dirigatur, & sincera intelligentiæ luce perspiciat: quod in Filio Dei, qui se incessabiliter filium hominis & hominem profitetur, non sit Christianis erubescendum, sed constantissime gloriandum. Ut autem pietas tua cum venerabilium patrum prædicacionibus nos concordare cognoscant: aliquantas eorum sententias huic credidi subiiciendas esse sermoni. Quibus si digneris attendere recensitis, non aliud nos prædicare reperies, quam quod sancti patres nostri toto orbe

2. Cor. 5.

docuerunt: nec quemquam ab illis, nisi solos impios hæreticos, discrepare. His igitur, gloriofissime & venerabilis imperator, quanta potui breuitate perstrictis, cum inspirata tibi diuinitus fide etiam nostram prædicationem vnitam esse cognosce, nec in aliquo nos ab euangelica apostolicaque doctrina, vel a catholicæ professionis symbolo discrepare: quoniam sicut docet B. apostolus Paulus, *magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Quid igitur tuæ vtilius saluti, quid tuæ congruentius potestati, quam vt paci ecclesiarum Domini tua constitutione prospicias, & in omnibus tibi subditis Dei dona defendas, neque vlla ratione patiaris per inuidiam diaboli ministros ipsius in cuiusquam sæuire perniciē, vt qui in hoc sæculo temporali emines regno, in æternū merearis regnare cum Christo?

III.

Sancti Hilarii Pictaviensis episcopi & confessoris, in libro secundo inter cetera: Vnum igitur hoc est immobile fundatum, vna hæc felix fidei petra, Petri ore confessa: *Tu es (inquit) Christus filius Dei vivi,* tanta in se argumenta sustinens veritatis, quantæ peruersitatū quæstiones & infidelitatis calumnia mouebuntur. Iam in ceteris dispensatio voluntatis paternæ est. Virgo, partus, & corpus, post quæ crux, mors, inferi, salus nostra est. Humani enim generis causa, Dei filius natus ex Virgine est, & Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, & sua, Deividelicet in umbrante virtute, corporis sibi initia conseuit: & exordia carnis instituit, vt homo factus ex Virgine, naturam in se carnis acciperet, perque huius admixtionis societatem sanctificatum in eo vniuersi generis humani corpus existeret: vt quemadmodum omnes in se, per id, quod corporeum se esse voluit, conderentur, ita rursum in omnes ipse, per id, quod eius est inuisibile, referretur. Dei igitur imago inuisibilis pudorem humani exordii non recusauit, & per conceptionem, partum, vagitum, & cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcurrit. Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a Deo originis unus vngenus Deus, in corpusculi humani formam sanctæ Virginis vtero insertus, accrescit.

Concil. Tom. 7.

Hh ij

1. Tim. 3.

Matth. 16.

Qui omnia continet, & intra quem, & per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur: & ad cuius vocem archangeli atque angeli tremunt, cælum & terra & omnia huius mundi resoluentur elementa, vagitu infantiae auditur. Qui inuisibilis & incomprehensibilis est, non visu, sensu, tactuque moderandus, cunis est obuolutus. Hæc si quis indigna Deo recolit, tanto se maioris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hæc Dei contuenerint maiestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est: sed nos egimus, ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id est, assumptione carnis vnius membra vniuersæ carnis incoleret. Humilitas eius nostra nobilitas est: contumelia eius noster honor est. Quod ille est Deus in carne consistēs, hoc nos vicissim in Deum ex carne renouati. *Item eiusdem in libro nono inter cetera:* Nescit plane, vitam suam nescit qui Christū Iesum ut verū Deum, ita & verū hominem ignorat. Et eiusdem periculi res est, Christum Iesum, vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare. *Omnis ergo, inquit, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor dō ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.* Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo dō ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. Hæc Verbum caro factum loquebatur, & homo Iesus Christus Dominus maiestatis docebat, mediator ipse in se ad salutem ecclesiæ constitutus, & illo inter Deum & homines mediatoris sacramento vtrumque vnum existens, dum ipse ex vnitate in idipsum naturis, naturæ vtriusque res eadem est: ita tamen ut neutrō careret in vtroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursus Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum nescire quod homo sit, neque carnem ignorare quod Verbum sit. *Item eiusdem in eodem libro inter cetera:* Natus igitur Vnigenitus Deus ex Virgine homo, & secundum plenitudinem temporum in semetipso prouecturus in Deum hominem, hunc per omnia euangelici sermonis modum tenuit, ut se Filium Dei credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret, *loquens & gerens homo vniuersa quaæ Dei sunt, loquens deinde & gerens Deus vniuersa quaæ hominis sunt: ita tamen ut in

*Iean. 1.**Matth. 10.*^{*locu-}
tus

ipso illo vtriusque generis sermone , nunquam nisi cum significatione & hominis locutus & Dei sit. *Item alio loco in eodem libro inter cetera* : Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est , vt quæ ab eo secundum hominem dicta sunt , dicta esse secundum naturæ diuinæ infirmitatem mentiantur : & quia vnum atque idem est loquens omnia quæ loquitur , de semetipso omnia eum locutum esse contendant. Nec sane negamus totum illum, qui eius manet, naturæ suæ esse sermonem. Sed si Iesus Christus & homo & Deus est , & neque cum homo , tum primum Deus , neque cum homo , tum non etiam & Deus , neque post hominē in Deo non totus homo , totus Deus , vnum atque idem necesse est dictorum eius sacramentum esse , quod generis. Et cum in eo secundum tempus discernis hominem a Deo , Dei tum atque hominis discerne sermonem. Et cum Deum atque hominem in tempore confiteberis , Dei atque hominis in tempore dicta dijudica. Cum vero ex homine & Deo rursum totius hominis , totius iam Dei tempus intelligis. Si quid aliud ad demonstrationem eius temporis dictum est , tempori coaptato , quæ dicta sunt , vt cum aliud sit ante hominem Deus , aliud sit homo & Deus , aliud sit post hominem & Deum totus homo , & totus Deus ; non confundas temporibus & generibus dispensationis sacramentum , cum pro qualitate generum ac naturarū alium ei in sacramento hominis necesse est sermonem fuisse non nato , alium adhuc morituro , alium iam æterno. Nostri igitur causa hæc omnia Iesus Christus manens , & corporis nostri homo natus , secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est , non tamen omittens naturæ suæ esse , quod Deus est. Nā tametsi in partu & passione & morte naturæ nostræ rem peregerit , res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit : & reliqua. *Item alio loco in eodem libro inter cetera*. Videſne ita Deum & hominem prædicari , vt mors homini , Deo vero carnis excitatio deputetur ? Non tamen vt alius sit , qui mortuus est , & alius sit , per quem mortuus resurgit. Spoliata enim caro , Christus est mortuus , & rursum Christum a mortuis excitans , idem Christus est , carne se expolians. Naturam Dei in virtute resurrectionis intellege , dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum

H h iij

Sint vtraque suis gesta naturis, vnum tamen Christum Iesum eum memento esse, qui vtrumque est. *Item post pauca:* Hæc igitur demonstranda a me paucis fuerunt, vt vtriusque naturæ formam traetari in Domino Iesu Christo minimussemus, quia qui in forma Dei manens, formam serui accepit, ipse diuinitatem nequaquam amisit.

IV.

Sancti Athanasii Alexandrinæ ecclesiæ episcopi & confessoris ad Episcopatum Corinthiorum episcopum: Quomodo autem vel dubitare ausi sunt, qui dicuntur Christiani, si Dominus, qui ex Maria virgine processit, * filius quidem substantia & natura Dei est, id vero, quod est secundum carnem, ex semine David est & carne sanctæ Mariæ?

V.

Sancti Ambrosii episcopi & confessoris Mediolanensis ecclesiæ, quod misit ad imperatorem Gratianum in libro secundo de fide inter cetera: Vnde illud quod lectum est, Dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus: sed quia idem Deus, idem homo, per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, Christus Iesus Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ, id est, humanæ atque diuinæ, in natura hominis subiit passionem, vt indiscrete, & Dominus maiestatis dicatur esse, qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum est: *Qui descendit de cælo.* Item alio loco in eodem libro inter cetera: Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones, quia regnum Dei (sicut scriptum est) non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis. Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis. Vnus in vtroque loquitur Dei Filius, quia in eodem vtraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur quæ sunt diuina, quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in ea substantia loquebatur. *Item eiusdem in libro de incarnatione Domini contra Apollinaristas:* Sed dum hos redarguimus, emergunt alii, qui carnem Domini dicant & diuinitatem vnius naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Iam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, vt maiore contentione afferant Patrem & Fi-

*JOAN. 3.
Ephes. 4.*

lium & Spiritum sanctum vnius non esse substantia, quia isti diuinitatem Domini & carnem substantia vnius dicere tentauerunt. Item *infra*: Et hi mihi frequenter Nicæni Concilii tractatum se tenere commemorant. Sed in illo tractatu patres nostri non carnem, sed Dei Verbum vnius substantia cum Patre esse dixerunt. Et Verbum quidem ex paterna processisse substantia, carnem autem ex Virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Nicæni Concilii nomen obtenditur, & noua inducuntur, quæ nunquam nostri sensere maiores? & reliqua. Item *eiusdem ad Sabinum episcopum inter cetera*. Vnde pulcre Apostolus eiusdem verbi repetitione usus est, dicens de Domino Iesu Christo: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequali Deo, sed semetipsum exinanivit, formam serui accipiens.* Philip. 2. Quid est in forma Dei, nisi in plenitudine deitatis, in illa perfectionis diuinæ expressione? Ergo cum esset in plenitudine diuinitatis, exinanivit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. Vnde & David dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Concluditur Apollinarista, nec quo se vertat habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixit, formam serui accepit, non seruus locutus est. Iterum ergo interrogo: Quid est, in forma Dei? Respondit in natura Dei. *Sunt enim* Galat. 4. *(ait Apostolus) qui non sunt natura dei. Quero quid sit, formam serui accipiens?* Sine dubio perfectionem naturæ, & conditionis, ut dixi, humanæ; ut esset in hominum similitudine. Et pulcre, non carnis, sed hominum dixit similitudinem, quia in carne eadem est. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Vnde & propheta ait: *Et homo est, & quis cognoscit eum?* Homo secundum carnem, sed ultra hominem, diuina operatione. Denique cum leprosum tangere, homo videbatur: sed ultra hominem, cum mundaret. Et cum Lazarum mortuum fleret, mortuum quasi homo flebat, sed supra hominem erat, cum mortuum vincit iuberet pedibus exire. Homo videbatur, cum penderet in cruce; sed supra hominem, cum referatis tumultis mortuos fuscitaret.

VI.

Sancti Augustini episcopi Hippoensis ecclesiae ad Dardanum inter cetera: Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum, vnde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit a mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quam inde ad iudicandos venturus est viuos & mortuos. Et sic venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum est ire visus in cælum, id est, in eadem forma carnis atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. *Item eiusdem in epistola ad Volusianum inter cetera:* Nunc vero ita inter Deum & homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. *Item eiusdem in expositione euangelii secundum Ioannem inter cetera:* Quid igitur, haeretice? Cum Christus Deus sit & homo, loquitur ut homo, & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanaam, tu in illo audes deformare diuinam? *Et iterum infra:* Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet, qua æqualis est Patri, humanam, qua maior est Pater. Vtrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus: ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis & caro, sic unus est Christus Deus & homo: ac per hoc Christus est Deus anima rationalis, & caro: Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma servi. *Item eiusdem cuius supra:* Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulcro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo in his singulis Christus. Verum hæc omnia non duo, vel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo dixit: *Si diligenteris me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Quoniam naturæ humanæ gratulandum est, eo quod sic assumpta est a Verbo Unigenito, ut immortalis constitueretur in cælo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis puluis federet ad dexteram Patris.

Ioan. 14.

VII.

VII.

Sancti Joannis Constantinopolitani episcopi & confessoris in homilia de cruce & latrone: Sed cur cum cruce veniat, videamus. Scilicet ut hi qui eum crucifixerunt suæ sentiant dementiæ cæcitatem: & ideo impudentiæ eorum signum portatur. Ideo propheta ait: *Tunc lamentabuntur omnes* Zach. 12. *tribus terræ, videntes accusatorem, & agnoscentes peccatum.* Et quid mirum est, si crucem portans adueniet, quando & vulnera corporis ipsa demonstrat? *Tunc enim (inquit) videbunt, quem * confixerunt.* Et sicut post resurrectionem, Thomæ voluit diffidentiam confutare, & illi clauorum loca monstrauit, & lateris vulnera declarauit, & dixit: *Mitte manum tuam, & vide quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me vides habere: sic & tunc ostendet vulnera, crucemque demonstrabit, vt ostendat illum se esse qui fuerat crucifixus.* Item eiusdem in homilia de ascensione Domini: Nam sicut duobus iurgio separatis, unus in medio positus altercantum litem discordiamque dissoluit: ita & Christus nobis fecit. Deus nobis iuste irascebatur, & nos contemnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus: & se medium Christus ingressit, & sociauit vtramque naturam, & nobis quod imminebat supplicium ipse sustinuit. Item eiusdem in eadem homilia inter cetera. Christus igitur nostræ naturæ primicias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater, quod & tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam & suis manibus suscepit oblatum, & suæ sedis fecit esse participem, & quod plus est, ad partem suæ dextræ collocauit. Cognoscamus quis est ille, qui audiuit: *Sede ad dexteram meam: quæ natura* Psal. 109. *est cui dixit: Esto meæ particeps sedis. Illa natura est quæ audiuit: Terra es, & in terram ibis.* Item eiusdem in eadem homilia inter cetera: Quo sermone vtar, quo verbo dicam reperire non possum. Natura fragilis, natura contempta, & omnibus monstrata deterior, omnia vicit, omnia superauit, & omnibus hodierna die meruit excelsior reperi. Hodie angeli diu vota desiderata receperunt, hodie archangeli quod multo tempore cupiebant, inspicere valuerunt. Naturam nostram ipsi in sede dominica immortalis fulgentem gloria peruerterunt.

Concil. Tom. 7.

Ii

Luc. 24.
Ioan. 19.
Ioan. 20.

VIII.

Sancti Theophili episcopi Alexandrini de epistola paschali, quam per AEgyptum destinauit: Cuius rei testis est ille qui loquitur: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Et prophetæ Christi auxilium deprecantes: Domine, inclina cœlos tuos, & descend. Non ut mutaret locum, in quo omnia sunt, sed ut propter salutem nostram carnem humanæ fragilitatis assumeret, Paulo apostolo eadem concinente: Cum esset diuines, pro nobis pauper factus est, ut nos illius paupertate ditaremur: venitque in terras, & de virginali vtero, quem sanctificauit, egressus homo, interpretationem nominis sui Emmanuel, id est, nobiscum Deus, dispensatione confirmans, mirum in modum coepit esse quod nos sumus, & non desit esse quod erat: sic assumens naturam nostram, ut quod erat ipse, non perderet. Quamquam enim Ioannes scribat: Verbum caro factum est, id est aliis verbis, Deus homo factus est, Verbum tamen non est versum in carnem, quia nunquam Deus esse cessauit. Ad quem & Spiritus sanctus loquitur: Tu autem idem ipse es. Et Pater de cœlo contestatur, & dicit: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Ut & homo factus, nostra confessione permanere dicatur, quod fuit priusquam homo fieret, Paulo nobiscum eadem prædicante: Iesus Christus heri & hodie, idem ipse & in æternum. In eo enim quod ait ipse, ostendit eum pristinam non mutasse naturam, nec diuinitatis suæ minuisse diuitias, quia propter nos pauper effectus, plenam similitudinem nostræ conditionis assumpserat. Item eiusdem in alia epistola paschali contra Origenem, inter cetera: Vnus Filius Patris, nostrique mediator, nec æqualitatem eius amisit, nec a nostro consortio separatus est. Inuisibilis Deus, & visibilis homo, forma serui absconditus, & Dominus gloriæ confessione credentium comprobatus. Neque enim priuauit eum Pater naturæ suæ nomine, postquam pro nobis homo, & pauper effectus est, nec in Iordane fluvio baptizatum altero appellauit vocabulo, sed Filium vnigenitum: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Nec similitudo nostra in diuinitatis est mutata naturam, nec diuinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem.

*Psal. 13.**Psal. 143.**2. Cor. 8.**Ioan. 1.**Psal. 101.**Matth. 3.**Heb. 13.**Matth. 3.*

IX.

Sancti Gregorii episcopi Nazianzeni in homilia de epiphania inter cetera: Cum ergo processisset ex virginе Deus, in ea quam assumpserat humana natura vnum e duobus sibi in unicem contrariis existens carne & spiritu, aliud in Deum assumitur, aliud deitatis gratia præstat. *Item infra:* Missus est quidem, sed ut homo: duplex enim erat in eo natura. Inde denique & laborauit ex itinere, inde & esuriit, & sitiuit, & contristatus est, & fleuit humani corporis lege.

X.

Sancti Basili episcopi Cappadocis: Cum ergo quædam in Christo ita videmus humana, ut nihil a communi mortali fragilitate distare videantur, quædam ita diuina, quæ nulli alii, nisi illi ineffabili naturæ conueniant deitatis, hæret humani intellectus angustia, & tantæ admirationis stupore perculta, quo declinet, quid teneat, quo se vertat, ignorat. Si hominem putet, deuicto mortis regno cum spoliis redeuntem a mortuis cernit. Propter quod cum omni metu & reuerentia contemplandum est, ut in uno eodemque ita utriusque naturæ veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum & indecens de diuina illa & ineffabili substantia sentiatur, neque rursum quæ humanitus gesta sunt, falsis illusa imaginibus aestimentur.

XI.

Sancti Cyrilli episcopi Alexandrini: Homo nominatus est, cum sit natura Deus, Dei Patris Verbum, quoniam similiter ut nos sanguini communicauit & carni. Sic enim in terris apparuit, non amittens id quod erat, sed assumens humanitatis naturam in sua ratione perfectam. *Item eiusdem in libro, qui dicitur Scholia:* Vnus igitur est, & ante incarnationem Deus verus, & qui in diuinitate mansit, in qua erat, est, & erit. Non discernendum igitur vnum Dominum Iesum Christum in hominem seorsum, & seorsum in Deum, sed vnum eundemque Iesum Christum esse dicimus, non ignorantes differentias naturarum, sed eas inconfusas inter se seruantes. *Item cuius supra:* Dicitur namque tamquam aliud in alio inhabitare, id est, diuinam naturam in humanitate non perpetuam commixtione, ut esset, quod non erat. Quidquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum fit tale quale est id in quo habitat,

Concil. Tom. 7.

I iij

sed aliud in alio magis intelligitur. At vero in Verbi persona & humanitatis, nobis solam differentiam designat diuersitas naturarum. Vnus enim ex vtraque intelligitur Christus. Ergo in confusione (vt ante dixi) seruata inhabitaſſe ait Verbum in nobis. Scit enim vnum esse Filium vnigenitum, carnem factum & hominem. *Item cuius supra ad Nestorium:* Ait igitur sancta & magna Synodus ipsum, qui est ex Deo Patre natus naturaliter, Filium vnigenitum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem, & cum quo omnia fecerit Pater, hunc descendisse, incarnatum esse, & hominem factum, passum esse, surrexisse tertia die, & ascendisse rursus ad cœlos.

Hæc nos sequi verba debemus, his nos conuenit obtemperare dogmatibus, considerantes quid sit incarnatum esse, & hominem factum Dei Verbum. Non enim dicimus, quod Dei natura conuersa vel immutata facta sit caro, nec quod in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit; sed illud magis, quod carnem animatam anima rationali sibi copulauerit Verbum, & substantialiter, ineffabiliter, & irreprehensibili-
ter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola personæ, sed quod diuersæ quidem naturæ in vnum conuenerint, vonus tamen ex ambabus Christus & Filius, non euacuata aut sublata diuersitate naturarum per coniunctionem, sed quia simul nobis effecerunt vnum Dominum, & Christum, & Filium, id est diuinitas & humanitas, per arcanam illam ineffabilemque copulationis adunationem. Itaque is, qui ante sæcula omnia est natus ex Patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus in tempore. Non quia diuina ipsius natura de sacra Virgine sumpſit exordiū, nec quod propter seipſam opus habuit secundo nasci post illam nativitatem, quam habebat ex Patre, (est enim ineptum & stultum hoc dicere, quod is, qui ante omnia sæcula est consempiternus Patri, secundæ generationis eguerit, vt esse inciperet) sed quia propter nos & propter nostram salutem naturam sibi copulauit humanam, & processit ex muliere, idcirco dicitur natus esse carnaliter. Neque enim prius natus est homo communis de sancta Virgine, & tunc

demum habitauit in eo Verbum, sed in ipsa vulua vtero-
que virginali, se cum carne coniunxit, & sustinuit gene-
rationem carnalem, carnis suæ nativitatem suam faciens.
Sic illum dicimus & passum esse & resurrexisse, non quia
Deus Verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clá-
uorum transfixiones, aut alia vulnera suscepérunt, (Deus
namque incorpóralis extra passionem est) sed quia cor-
pus illud, quod ipsius proprium factum est, passum est,
ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim
in eo corpore, quod patiebatur, Deus qui pati non po-
terat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Im-
mortale enim & incorruptibile est naturaliter, & vita, &
viuificans Dei Verbum. Sed quia corpus ipsius proprium,
gratia Dei, iuxta Pauli vocem, pro omnibus mortem gu-
stauit, idcirco ipse dicitur mortem passus esse pro nobis.
Non quod in se mortem esset expertus, quantum ad ip-
sius naturam pertinet, (insania est enim hoc vel sentire
vel dicere) sed quod (ut supra diximus) caro ipsius mor-
tem gustauit. Ita & resurgente carne, ipsius rursus resur-
rectionem dicimus: non quia in corruptionem ceciderit,
(quod absit) sed quia eius surrexit corpus. Ita Christum
vnum & Dominum confitemur, non tamquam homi-
nem cum Verbo coadorantes, ne diuisionis quædam spe-
cies inducatur; sed vnum iam & eundem adorantes, quia
non est alienum a Verbo corpus suum, cum quo ipsi et-
iam assidet Patri. Nec hoc ita dicimus, quasi duobus filiis
assidentibus, sed uno cum carne per unitatem: quia si ta-
lem copulationem factam per substantiam, aut quasi pas-
sibilem, aut quasi parum decoram, voluerimus accipere,
in id incidimus, ut duos filios esse dicamus. Necesse est
enim discernere, & dicere hominem separatim fuisse sola
filii appellatione honoratum, & rursum Verbum, quod
est ex Deo, & nomine & veritate filium Dei: sed discer-
nere in duos filios non debemus vnum Dominum Iesum
Christum. Neque enim id adiuuat rectam fidei rationem,
licet nonnulli, nescio quam perhibeant copulationem
personarum. Non dixit enim scriptura, Verbum Dei per-
sonam hominis sibi assumptissimum, sed carnem factum esse.
Id autem est ostendere Dei Verbum, similiter* ac nos, par-
ticipationem habuisse carnis & sanguinis, & corpus no-

I i iii

strum proprium suum fecisse, & hominem ex muliere processisse, non abiecta nec deposita deitate, aut generatione illa, quam habebat ex Patre, sed manisſe etiam in assumptione carnis Deum, quod erat. Hoc itaque rectæ fidei ratio protestatur: in tali sensu sanctos patres fuisse comperimus. Ideo illi non dubitauerunt sanctam Virginem dicere theotocon, non quod Verbi natura, deitasque in sancta Virgine sumpfit exordium: sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum esse dicitur.

EPISTOLA XCVIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD FAVSTVM PRESBYTERVM.

Monet ut in fide catholica perseueret, & fidei quæstiones ad se mittat.

Dilectissimo Fausto presbytero Leo episcopus salutem.

GRATVM semper est mihi tuam alloqui caritatem. *Vide reliquum in Concilio Calchedonensi, parte prima, epistola decimaquarta.*

EPISTOLA
CERETII, SALONII ET VERANI
EPISCOPORVM AD LEONEM PAPAM.

De Leonis ad Flauianum epistola, quam laudant, eiusque exemplar, quod sibi confecerant, a Leone percurri & emendari rogant.

Domino sancto, beatissimo patri, & apostolica sede dignissimo papæ Leoni, Ceretius, Salonius, & Veranus.

RE CENSITA epistola beatitudinis vestræ, quam de fidei instructione conscriptam ad Constantinopolitanum episcopum destinastis, dignum esse censuimus, vt tantæ doctrinæ libertate ditati, debitas gratias saltem oblatæ literarum officio redderemus. Paternæ siquidem erga nos pietatis vestræ sollicitudinem comprobantes,

anticipationi curationis vestræ hoc nos magis obnoxios confitemur, quod remediorum beneficia ante malorum experimenta cognouimus. Scientes namque pene sera esse remedia, quæ adactis iam vulneribus apponuntur, vt apostolicis illis munitionibus induamur, prouidæ pietatis vocibus præmonetis. Agnoscimus plane, beatissime papa, qua ad nos interiora peccoris vestri peculiari affectione transmisericordia, quorum incolumentati aliorum curatione succurritis: & dum ex aliorum præcordiis infusa antiqui serpentis venena producitis, quasi in quadam caritatis specula constituti, apostolica illa cura ac solicitudine conclamatis, ne inopinantibus improuisus hostis adueniat, ne vulneri locum præbeat incauta securitas, domine sancte, beatissime pater, & apostolica sede dignissime papa. Magna præterea & ineffabili quadam nos peculiares tui gratulatione succrescimus, quod illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnium ecclesiarum conuenticula celebratur, vt vere consona omnium sententia declaretur, merito illic principatum sedis apostolicæ constitutum, vnde adhuc apostolici spiritus oracula referentur. Idcirco, si dignanter admittitis, deprecamur, vt opus, & præsentibus & futuris temporibus profuturum, quod nos asseruandi studio foliis mandare curauimus, sanctitas vestra percurrere, & si quid librarii errore defuerit, emendare dignetur: vel si salutarem lectoris omnibus paginam aliquo studii vestri accumulaftis augmento, id ipsum addilibello huic sollicita pietate iubeatis: vt non solum plures sancti episcopi fratres nostri per Gallias, verum etiam multi ex laicis filii vestri, qui epistolam istam magnopere pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos, & sancta manu vestra emendatam, transcribere, legere, & tenere mereantur. In rem missos, si dignum ducitis, redire mox cupimus. Et quia incolumentas vestra, exultatio & salus nostra est, citius ad nos relatu desiderabili salutis vestræ gaudia recurrent. *Et alia manu.* Memorem coronam vestram humilitatis nostræ Christus Dominus longæua ætate conseruet, domine sancte, beatissime pater, & apostolica sede dignissime papa.

Ceretius suscepitus vester apostolatum vestrum saluto, commendans me orationibus vestris.

Salonius venerator vester apostolatum vestrum in Domino saluto, orationum vestrarum subsidia depositus.

Veranus cultor vestri apostolatus, beatitudinem vestram saluto, & ut pro me oretis peto.

EPISTOLA XCIX.
LEONIS PAPÆ I.
AD LEONEM AVGVSTVM.

Gratias agit quod eius opera Timotheus ab ecclesia Alexandrina fuerit electus, eumque hortatur ut tantæ vrbi parem episcopum eligi curet.

Leo episcopus Leoni Augusto.

Si gloriosum pietatis vestrae in fidei defensione proposatum tanta prosequi laude cupiamus, quanta rerum ipsarum magnitudo depositus, inueniemur impares in actione gratiarum, si nostri tantum oris angustiis universalis ecclesiæ gaudia celebremus. Sed dignius illius remuneratio vestris actibus meritisque seruabitur, in cuius causa & speciali excellitis animo, & optato triumphatis eventu gloriæ. Sciat igitur clementia vestra omnes ecclesiæ Dei cum laude vestra exultare pariter & lætari, quod ab Alexandrinæ ecclesiæ iugo improbus parricida depulsum est, & populus Dei, cui prædo nefarius incubabat, in antiquam fidei libertatem reductus, potest iam in salutis viam fidelium sacerdotum prædicatione reuocari, cum videat omne seminarium venenorū in ipso auctore proiectum. Nunc ergo quia hoc constanti proposito & magna mente peregistis, consummato operi fidei illud adiungite, ut de catholico ciuitatis illius præsule quod Deo placet decernatis, qui nulla damnatae toties impietatis sit infectus aspergine, ne fortasse teatum vulnus sub specie obductæ cicatricis increscat, & plebs Christiana, quæ vobis agentibus aperte ab hereticorum peruersitate liberata est, lethalibus iterum obnoxia sit venenis. Vides autem, venerabilis imperator, & euidenter agnoscis, quod in persona, de cuius abscessione agitur, non sola est fidei integritas intuenda; quæ etiam si ullis correctionibus professionibusque purgari, & in integrum valeret qualibet conditione

Timotheus
Ælurum
dicit.

ditione restitui, nequaquam tamen quæ sceloste cruentæ que commissa sunt, possunt probabilium verborum protestationibus aboleri: quia in pontifice de hoc (maxime tantæ ecclesiæ sacerdote) non sufficit sonus linguae & sermo labiorum: & nihil prodest si Deus voce prædicatur, & mens impietate conuincitur. De talibus enim per Apostolum sanctus Spiritus loquitur: *Habentes speciem pietatis, vir-*
tutem autem eius abnegantes. Et iterum alibi: *Deum profitentur Tit. 1.*
fescire, factis autem negant. Vnde cum in omni ecclesiæ membro, & integræ fidei veritas, & bonorum operum plenitudo quæratur: quanto magis in summo pontifice debent vtraque præcellere, quia alterum sine altero non potest cum Christi corpore compaginari? Nec necesse est nunc omnia, quæ Timotheum execrabilem faciunt, enarrare, cum copiose atque manifeste in totius mundi notitiam, quæ per ipsum ac propter ipsū sunt gesta, processerint: & si quid ab incomposito vulgo contra iustitiam perpetratum est, in huius omnia verticem confluant, cuius desideriis manus furentium seruierunt. Vnde si etiam in professione fidei nihil hic negligat, nihil fallat, apitissimum gloriæ vestræ est ab hoc appetitu illum prorsus excludere: quia in tantæ vrbis antistite vniuersa ecclesiæ membra decet sancta exultatione gaudere, ut vera pax Domini non solum prædicatione fidei, sed etiam morum clarificetur exemplo. Data decimoquinto Kalendarum Iuliarum, Magno & Apollonio consulibus, per Philoxenum agen-
Is est annus
salutis 460.
Pontifica-
tus S. Leo-
nis 21.

EPISTOLA C.

LEONIS PAPÆ I.

AD GENNADIVM EPISCOPVM
CONSTANTINOPOLITANVM.

Monet ut a Timothei, qui ab Alexandrina ecclesia
electus Constantinopolim venerat,
communione abstineat.

Leo episcopus Gennadio episcopo Constantinopolitano.

DILECTIONIS tuæ literis, & fratrum coepisco-
porumque nostrorum Domitiani & Geminiani fer-
Concil. Tom. 7. Kk

mone agnoui Timotheum , postquam ecclesiæ Alexandrinæ ciuitatis expulsus est, Constantinopolim (non nullis hoc fidei aduersariis agentibus) venire permisum: vt , quantum datur intelligi , quia vniuersorum Domini sacerdotum sententiis coarctatus , inuitus saltem ad catholicum se dogma conuertat , vt tamquam propter hanc tantummodo culpm videatur eiectus , haereticæ perueritatis errore damnato , doctrinæ apostolicæ , vt ad Alexandrinam redeat , acquiescat ; cum illi etiam si catholicus probaretur , hoc vehementer obsistat , quod viuente episcopo , tantæ sedis inuasor est , & auctor apparuit inauditæ crudelitatis admisſæ . Et ideo dilectio tua sollicitudine , qua claret , eniti & elaborare debebit , ne cum tam nefario homine sermo aliquis priuatim vel publice misceatur , neve sub specie correctionis eius quorundam Conuentui præbeatur occasio , ne redeundi integrum capiat libertatem , de quo iam edictis suis princeps Christianissimus indicauit . Omni igitur labore & circumspectione peruigili vnitati ecclesiasticæ profuturus enitere , frater carissime , vt spes suffragatoribus ipsis adimatur , & Alexandrinis ex clero suo catholicus episcopus secundum morem veterem per orthodoxos episcopos consecretur : quia parricida ille non alias a suis defensoribus deseritur , nisi Alexandrina ecclesia , quæ patrum honori , & suæ restituenda est libertati , rectorem sanandis omnibus , quæ male gesta sunt , probatissimum fuerit consecuta . Datum quintodecimo Kalendas Iulias , Magno & Apollonio consulibus , per Philoxenum agentem in rebus .

De cæde
Proterii e-
piscopi di-
cit.

EPISTOLA CI.
 L E O N I S P A P A E I.
 AD TIMOTHEVM EPISCOPVM
 ALEXANDRINVM.

Gratulatur ei episcopatus dignitatem rite assecuto, &
 hortatur ut Nestorii atque Eutychetis errores
 exterminari curet.

*Leo episcopus Timotheo episcopo catholico Alexandrinæ
 ecclesiæ.*

EVIDENTER appareat sub apostolicæ splendore senten-
 tiæ, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,
 & diuinæ dispensatione pietatis vbi excipiuntur aduersa,
 ibi donantur & prospera: quod Alexandrinæ ecclesiæ ex-
 perimenta demonstrant, in qua multos sibi patientiæ the-
 sauros humilitas, modestia & tolerantia congregauit:
 quia iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles *Psal. 33.*
spiritu saluabit: glorificata in omnibus incliti principis fi-
 de, per quem *dextera Dominis fecit virtutem, ne in thronum* *Psal. 117.*
 beatorum patrū antichristi diutius federet opprobrium,
 cuius impietas nemini magis quam sibi nocuit: quia etsi
 aliquos ad societatem facinoris impulit, se tantum deni-
 que in expiabiliter cruentauit. Vnde de eo, quod instin-
 ctu fidei in fraternitatem tuam cleri & plebis atque om-
 nium fidelium egit elec̄tio, vniuersam mecum ecclesiam
 Domini gaudere rescribo, vtque hoc benignitas diuinæ
 pietatis multiplicata gratia confirmet exopto: ita ipsi per
 omnia tua deuotione famulante, vt etiam eos, qui verita-
 ti aliquatenus restiterunt, reconciliando Deo per eccle-
 siæ preces instanter acquiras, & sacramenta catholicæ
 fidei, cuius soliditas nullam diuisionem recipit, sollicitus re-
 citor adiungas: illum imitatus verum piumque pastorem,
 qui animam suam posuit pro omnibus suis, & errantem vnam o-
 uem non flagellis coercuit, sed ad ouile proprium suis hu-
 meris reportauit. Agat ergo dilec̄tio tua, frater carissime,
 ne vel Nestoriani dogmatis, vel Eutychiani erroris ullum
 in Dei populo possit vestigium reperiri: quia nemo potest
 fundamentum ponere, præter id quod positum est, qui *1. Cor. 3.*

Is est Timo-
theus Solo-
faciolus,
qui in Ti-
mothei A-
luri locum
subrogatus
est.
Rom. 8.

Concil. Tom. 7.

K k ij

Roms. 5. est Christus Iesus: qui vniuersum mundum non reconciliaret Deo Patri, nisi per fidei regenerationem omnes in nostræ carnis veritate susciperet. Cum ergo scribendi opportunitates, quibus fraternitas tua vtatur, extiterint, sicut necessarie & ex more fecisti, vt per filios nostros Daniëlem presbyterum, & Timotheum diaconum, ordinationis tuæ ad nos scripta dirigeres: ita omni tempore in hoc officio perseuereres, vt de prouectibus pacis sæpe, quantum fieri potest, solicitudini nostræ mittantur indicia, vt per alterna colloquia sentiamus, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Datum x v. Kalendas Septembris, Magno & Apoloniō consulibus.

PISTOLA CII.
LEONIS PAPÆ I.
AD PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIAE
ALEXANDRINÆ.

Commendat eorum mutuam caritatem, & labem
hæreticorum fugiendam monet.

*Leo episcopus presbyteris & diaconibus ecclesiae Alexandrinae,
dilectissimis filiis in Domino salutem.*

Ephes. 4. **G**AUDEO exultanter in Domino de piissimo, quem in-
ter vos habetis, affetu; dum, sicut scripta vestra ma-
nifestant, & pastor gregem, & grex ostenditur amare pa-
storem. *Solliciti ergo in iniucem*, sicut Apostolus ait, *seruare uni-
tatem spiritus in vinculo pacis*, properate * ad fructum veræ
peruenire patientiæ. Quid enim dignius aut velle potestis
aut agere, quam vt auxiliâ Dei gratia, gloriosissimi prin-
cipis fide ad profectum solidissimæ pacis vitaminæ? remota
Psal. 79. procul ea bestia, quæ vineam plantationis dominicæ, sic-
ut psalmus propheticus canit, singulari feritate vastabat.
1. Cor. 10. Quia ergo in ouili dominico nec furum iam insidiæ, nec
latronum timentur incursus, redeat vniuersitas vestra in
concordiam, & magisterio Spiritus sancti illa in omnibus
vunitas expetatur, propter quam dicit Apostolus: *Non que-
rens quod mihi utile est, sed quod multis, ut saluifiant.* Id ipsum
dicant & sentiant omnes: nulla sint sensuum disputatio-

numque certamina. Quod usque ad catholicos praefules in Alexandrina ecclesia discipuli veritatis didicerunt atque docuerunt, eadem a cunctis fidelibus confessione promatur: quia varietatem veritas (quae est simplex atque una) non recipit. Si quos autem cuiuslibet ordinis Christianos impia hereticorum conturbauere mendacia, ad satisfactionis remedia prouocate, & in spiritu mansuetudinis cum benignitate corripite: quia, sicut ait B. apostolus Petrus, *non tardat Dominus promissum, sed patienter agit propter 2. Pet. 3. vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam conuerti.* Agendum ergo est, ne difficultas veniae curationem faciat tardiorum. Data decimoquinto Kalendas Septembbris, Magno & Apollonio consulibus.

EPISTOLA CIII.

LEONIS PAPÆ I.

AD QVOS DAM ÆGYPTI EPISCOPOS.

Ægyptios episcopos laudat, quod nulla seditione, nullo ambitu Alexandrinum elegerint episcopum.

*Leo episcopus Theophilo, Ioanni, Athanasio, Abrahæ, Danieli,
Ioahæ, Paphnutio, Musæo, Panuluio, & Petro
episcopis AEgyptiis.*

LITERIS fraternalitatis vestræ, quas ad me filii nostri Daniel presbyter & Timotheus diaconus detulerint, cognouisse me gaudeo, quod gloriose & venerandi principis fides, propheticis & euangelicis unita doctrinis, ad sanctos & Deo placitos dispositionum suarum deuenit effectus, ut cruentissimo Alexandrinæ ecclesiæ peruersore deiecto, & in longinquiora translato, dignum sua gubernatione rectorem totius ciuitatis mereretur electio: ad cuius vos consecrationem nullus ambitus traheret, nulla sedatio impelleret, nulla iniquitas incitaret: sed in medio constituta meritorum sanctitate, eum cunctis non dubitaret preponere, quem sibi uniuersitas cuperet prefidere. Vnde redditæ populis Christianis Dei pace gaudentes, commendamus vobis inuicem vestri operis dignitatem: ut religiose per omnia ordinatus antistes, fraterno se viuere experiatur assensu, & ad abolenda scandala,

quæ error hæreticus excitauerat , cooperatione vestra gaudeat adiuuari. Excluso enim qui imitator diaboli fuit, & in veritate non stetit, male vtens specie persuasi honoris & nominis, congruit vt Alexandrina ecclesia eum veneretur & diligit, quem & probitate morum, & integritate catholicæ fidei , dignum tanto sacerdotio comprobauit : cui mutuæ caritatis plenum animi nostri præbemus affectum , cohortantes, fratres carissimi, & fiducialiter exigentes, vt in prædicatione verbi , in eruditione præcepti illam formam custodiatis caritatis , sine qua nullæ possunt prodesse virtutes. Quod autem fratri & coepiscopo nostro Timotheo de reuocandis his, qui a veritatis itinere deuiantes, inconsultius se ferociusque gesserunt, scriptum esse cognoscitis, dilectio quoque vestra ad curam suam intelligat pertinere : vt quia late sese pestilens illa ægritudo diffudit, vbique omnibus eadem adhibetur medicina vulneribus, 'vt per diligentiam pastoram in cunctis ecclesiis Domini ouile reparetur, & per solitudinem caritatis atque doctrinæ, omnes Christi oues vnum sentiant habere pastorem. Data xv. Kalendas Septembris, Magno & Apollonio consulibus.

EPISTOLA CIV.

LEONIS PAPÆ I.
AD VNIVERSOS EPISCOPOS PER SICILIAM
CONSTITVTOS.

Vniuersis episcopis per Siciliam constitutis scribit, & constitutione perpetua ab episcoporum usurpatione resecandum decernit, quod in duabus Siciliæ ecclesiis improbe gestum, iniusteque per episcopos ibidem præsumptum est, in ecclesiarum suarum bonis illicite alienandis. Quare & Decretum hic perpetuum interponit, de rebus ecclesiæ non alienandis, poenasque aduersus contrauentores decernit.

Leo papa vniuersis episcopis per Siciliam constitutis in Domino salutem.

OCCASIO * specialium querelarum curam nobis pro-
videntia generalis indicit, vt quod in duabus pro-

ad spiritu alium

uincia^e vestra ecclesiis improbe gestum, iniusteque præsumptum est, id constitutione perpetua ab * omni episcoporum usurpatione resecemus. * Taurominitanis enim clericis, ecclesiæ deplorantibus nuditatem, eo quod omnia eius prædia, vendendo, donando, & diuersis modis alienando, episcopus dissiparet; etiam Panormitani clericci, quibus nuper est ordinatus antistes, similem querimoniarium, in sancta Synodo, cui * praesesse debebamus, de usurpatione prioris episcopi causam detulerunt. Quamuis ergo ordinatum a nobis sit, quemadmodum vtriusque ecclesiæ utilitatibus consulatur; ne tamen hoc pernicisum nequissimæ deprædationis exemplum cuiquam post hac fiat imitabile, hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam: qua, sine exceptione decernimus, vt ne quis episcopus de ecclesiæ suis rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere; nisi forte ita aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & cum totius cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium ecclesiæ profuturum. Nam presbyteri, vel diaconi, aut cuiuscumque ordinis clericci, qui connuentiam in ecclesiæ damna miscuerint, sciant se & ordine & communione priuandos: quia plenū iustitia^e est, fratres carissimi, vt non solum episcopi, sed etiam totius cleri studio, ecclesiasticae utilitatis incrementa seruentur, & eorum munera illibata permaneant, quæ pro animarum suarum salute, fideles de propria substantia ecclesiis contulerunt. Data xi. Kalendas Nouembri,
 * Calypio viro clarissimo consule.

* al. om-
nium
* al. Tau-
rimentia-
nis

* al. cui
præfide-
mus,

* al. Cal-
lepius,
al. Aly-
pio

EPISTOLA CV.

LEONIS PAPÆ I.

AD IVLIANVM COENSEM EPISCOPVM.

Nicæni Concilii auctoritas quanti facienda sit, demonstrat. Julianum Coensem episcopum, cui hic scribit, grauiter prudenterque, quod Anatolii Constantiopolitani episcopi plures ecclesiæ ambitiose affectantis desiderio fauerit, coarguit: amanterque eumdem, ut maior apud ipsum sit vniuersalis ecclesiæ status, quam quod in cuiusquam gratiam ab ipso velit postulare, quæ fine reatu vtriusque ipsorum, nec sibi concedere, nec ei liceat obtainere, admonet.

Leo papa Iuliano Coensi episcopo.

Nicæni Cō-
ciliī aucto-
ritas. DILECTIO tua non ignorat, quam constanti fixoque proposito sanctorum Nicænorum Canonum statuta custodiam, dissolui omnes ecclesiasticas regulas æstimans, si quidquam ex illa sacrosancta patrum constitutione violetur. Quare miror talia te per fratrem & coepiscopum nostrum Lucianum dirigere scripta potuisse, quibus in tantum pro appetitu nouæ literarum * gressionalis interueniens, vt tibi putes aliquid speciale præstandum, si his qui illicite concupiscunt annuero. Quantumlibet autem te affectione complectar, nullo tamen modo poteris obtinere, vt me in excidium ecclesiastici status, vel * suadendo impellas, vel supplicando traducas. Frater enim & coepiscopus noster Anatolius, si diuina beneficia, & mei fauoris assensum sapienter intelligit, satis illi sufficerit, obtinuisse, quod summus antistes de honore episcopatus sui gratias Deo referat, & se ab illicitorum cupiditate contineat; & quicumque illum specialiter diligunt, tali eum debent confirmare consilio: vt impossibilia omnino non quærat; & sibi, talia concupiscendo, non noceat: quia * nullus apud me patrocinii ita poterit adiuuari, vt his al. nullis quæ postulat, calcata patrum constitutione, consentiam. Rescribens itaque ad epistolas tuas, pro ea qua diligo affectione, te moneo; vt maior apud te sit vniuersalis ecclesiæ status, saluberrima olim, & vera ordinatione munitus, al. perad-
dendo quam

quam vt in cuiusquam gratiam a me velis postulare , quæ
sine reatu vtriusque nostrum , nec mihi concedere , nec
tibi liceat obtinere . Data xi. Kalendas Iunias , Herculano
viro clarissimo consule .

EPISTOLA CVI.
LEONIS PAPÆ I.
AD EPISCOPOS PROVINCIAE.

De electione & consecratione Rauennii episcopi
Arelatensis.

*Dilectissimis fratribus Constantino, Audentio, Rustico, Auspicio,
Nicetæ, Nestorio, Floro, Asclepio, Justo, Augustali,
Ynasio, & Chrysaphio, Leo papa.*

IVSTA & rationabilis nobis causa gaudendi est , cum a
sacerdotibus Domini ea gesta cognoscimus , quæ & pa-
ternorum Canonum regulis , & apostolicis congruant in-
stitutis . Necesse est enim , vt omne corpus ecclesiæ salu-
bri crescat augmento , si membra quæ præsunt , & vigore
excellant auctoritatis , & tranquillitate moderaminis .
Quod ergo in Arelatensium ciuitate , defuncto sanctæ me-
moriæ Hilario , virum etiam nobis probatum , fratrem
Rauennium , secundum desideria cleri , honoratorum , &
plebis , vnanimiter consecrastis , bonum fraternitatis ve-
stræ opus nostro iudicio roboramus . Quia electionem pa-
cificam atque concordem , cui nec merita morum , nec
studia ciuium defuerunt , postulationis quidem humanæ ,
sed inspirationis credimus fuisse diuinæ . Utatur itaque ,
fratres carissimi , Dei munere memoratus antistes , & se-
cundum consonantia omnium ordinum vota , quid ex
ipso deuotionis expectetur intelligat : vt dispensationis si-
bi creditæ diligens ac temperans executor , vestro testi-
monio non inferior , & nostro fauore per omnia fit di-
gnior . Deus vos incolumes custodiat , fratres carissimi .
Data vii. Kalendas Septembbris , Asterio & Protogene
viris clarissimis consulibus .

EPISTOLA CVII.

LEONIS PAPÆ I.

AD RAVENNIVM ARELATENSEM.

Vt Petronianum vagum, qui se Leonis diaconum iactabat, excommunicet.

Dilectissimo fratri Rauennio Leo.

CIRCVMSPCTVM te volumus esse, atque solicitum, ne quid sibi plectenda possit vindicare præsumptio: quæ cum aditum falsa subreptione repererit, ad maiorem se temeritatem nomine usurpatæ dignitatis extendit. Petronianum quemdam vagum, & semper erronem, certas nos clericorum tuorum suggestione didicimus, per Gallias se nostrum esse diaconum iactitasse, & sub huius honoris obtentu diuersas eius prouinciæ ecclesias circuire. Cuius audacia tam nefandæ dilectionem tuam, frater carissime, ita volumus obuiare, vt eum, admonitis etiam totius prouinciæ episcopis, in sua falsitate detectum, ab omnium ecclesiarum communione, ne vterius hoc usurpet, expellas. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data sub die septimo Kalendas Septembris, Afterio & Protogene viris clarissimis consulibus.

L I B E L L V S
EPISCOPORVM PROVINCIÆ
LEONI PAPÆ OBLATV S.

De renouando ecclesiæ Arelatensis priuilegio.

*Preces missæ ab uniuersis episcopis metropolis Arelatensis
ad Leonem papam.*

MEMORES quantum honoris & reuerentiæ beatissimæ sedi apostolicæ, cui vos Dominus noster Iesu Christus pro meritis sanctitatis voluit præsidere, semper debitum fuerit, semperque debeatur, ordinationem,

qua sanctus frater & coepiscopus noster Rauennius in ciuitate Arelate, post transitum beatæ recordationis Hilarii episcopi, concordatibus omnium votis ad summum pontificium Domino fauente prouectus est, missis continuo literis apostolatui vestro indicare curauimus. Quibus a beatitudine vestra tanta dignatione & caritate fuisse responsum, immensas gratias agimus, et si tantas, quantas debemus, referre non possumus. Notum licet nobis ante iam fuerit, prædictum sanctum fratrem & coepiscopum nostrum maxime corona vestra gratiam morum suorum mansuetudine & sanctitate meruisse: perceptis nunc tamen beatitudinis vestrae literis, quanta eum caritate complectamini, euidenter agnouimus. Vnde præmissis officiis, quæ apostolatui vestro iure debentur, suggestionem nostram, quæ iustitiae partibus fungitur, audiendam a corona vestra minime dubitamus. Quippe cum non aliqua noua institui, sed prisca per vos optamus & antiqua reparari. Nec enim iustum est, ut honorem eius, quem ut probauimus impense diligitis, illa res minuat, quæ pietatem vestram alte offendit. Et sane manifestum est ecclesiæ Arelatensi diuinæ gratiæ fauorem adesse, cui talem habere contigit sacerdotem, per quem priuilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat sibi pro tempore diminuta, gaudent in perpetuum recentioribus apostolicæ sedis auctoritatibus reformatæ. Omnibus etenim Gallicanis regionibus notum est, sed nec sacrosanctæ ecclesiæ Romanae habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis ciuitas missum a beatissimo Petro apostolo sanctum Trophimum habere meruit sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei & religionis infusum, priusque alia loca ab hoc riuo fidei, quem ad nos apostolicæ institutionis fluenta miserunt, meruisse manifestum est sacerdotes, quam Viennensem ciuitatem, quæ sibi nunc impudenter ac notabiliter primatus exposcit indebitos. Iure enim ac merito ea vrbs semper apicem sanctæ dignitatis obtinuit, quæ in sancto Trophimo prioritias nostræ religionis prima suscepit, ac postea intra Gallias hoc, quod diuino munere fuerat consecuta, studio doctrinæ salutaris effudit. Cuius honoris obtentu, ecclesiam Arelatensem omnes deceffores, prædecefforesque.

Concil. Tom. 7.

L 1 ij

nostri, velut matrem debito semper honore coluerunt, tenentesque traditionem totam, ab hac sibi ciuitatis nostræ sede episcopos postularunt. Ab huius ecclesiæ sacerdote tam decessores nostros, quam nosipso, constat in summum sacerdotium donante Domino consecratos. Quam quidem antiquitatem sequentes prædecessores beatitudinis vestræ, hoc quod erga priuilegia Arelatensis ecclesiæ institutio vestra tradiderat, promulgatis, sicut & scrinia apostolicæ sedis procul dubio continent, auctoritatibus confirmarunt: credentes plenum esse rationis atque iustitiæ, vt sicut per beatissimum Petrum apostolorum principem sacrofæcta ecclesia Romana teneret supra omnes totius mundi ecclesias principatum, ita etiam intra Gallias Arelatensis ecclesia, quæ sanctum Trophimum ab apostolis missum sacerdotem habere meruisset, ordinandi pontificium vindicaret. His secundum religionem vtitur priuilegiis ecclesia memorata. Ceterum multa sunt, quibus secundum instituta principum cunctis intrare regiones nostras ciuitatibus præferatur. Hæc in tantum a glorioſiſſimæ memoriæ Constantino peculiariter honorata est, vt ab eius vocabulo præter proprium nomen, quo Arelas vocatur, Constantina nomen accepit. Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fidelissimi principes specialibus priuilegiis, & vt verbo ipsorum vtamur, matrem omnium Galliarum appellando decorarunt. In hac vrbe, quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum ostentare voluit insignia dignitatis, consulatum suscepit & dedit. Hanc sublimiſſima præfectura, hanc reliquæ potestates, velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant. Ad hanc ex omnibus ciuitatibus multarum vtilitatum cauſa concurritur. Et plane ita sibi erga priuilegia memorata, vel ecclesiæ, vel ciuitatis diuina, vt credimus, dispensatione omnia confenserunt, vt ſemper ſicut ecclesia Arelatensis intra Gallias primatum in sacerdotio antiquitatis merito, ita etiam ciuitas ipfa principatum in ſeculo opportunityatis gratia posſederit. Vnde factum est, vt non ſolum prouinciæ Viennensis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum, contemplatione sancti Trophimi, ſicut & sanctorum prædeceſſorum vestrorum patefa-

Etum sibi testatur auctoritas, Arelatenis ecclesiæ sacerdos ad sollicitudinem semper suam curamque reuocarit. Cui id etiam honoris dignitatisque collatum est, ut non tantum has prouincias potestate propria gubernaret, verum etiam omnes Gallias, sibi apostolicæ sedis vice mandata, sub omni ecclesiastica regula contineret. His itaque omnibus intimatis, & in notitiam beatitudinis vestræ fideli assertione perlatis, quæsumus & obsecramus coronam sanctimoniarum vestrum per nomen Domini nostri Iesu Christi, qui in vobis iustitiam, patientiam, tranquillitatem, & bona totius sanctitatis ac perfectionis elegit, & per beatissimum apostolum Petrum, quem vita & conuersatione vestra nobis diuino munere redditum credimus, ut quidquid Arelatenis ecclesia (sicut superiori indicauimus) vel ab antiquitate suscepit, vel postea auctoritate sedis apostolicæ vindicavit, id omne ad suum pontificium reuocare eiusdem ecclesiæ sacerdotem beatitudinis vestræ auctoritas in perpetuum mansura praecipiat. Ipsi autem, vel officiorum causa, vel huius legationis obtentu, sanctimoniarum vestrum nos praesentassemus asperibus, nisi alios infirmitas, alios anni praesentis penuria ab hac votorum nostrorum cupiditate reuocasset. Sed confidimus in Domino Iesu Christo, qui precibus & desideriis nostris effectum promptissimæ pietatis vestrum præsttit, quod qui nunc legationis officio fraudamur, gratiarum postea referendarum per nosmetipſos actione fungemur.

EPISTOLA CIX.
LEONIS PAPÆ I.
AD EPISCOPOS PROVINCIAE.

Controuersia inter Viennensis & Arelatensis ecclesiæ
antistites prouinciæ diuisione composita.

*Dilectissimis fratribus Constantino, Armentario, Audentio, Se-
ueriano, Valeriano, Urso, Stephano, Nestario, Constantio,
Maximo, Aslepio, Theodoro, Iusto, Ingenuo, Augustali,
Superuentori, Ynasio, Fonteo, Palladio, Leo.*

LECTIS dilectionis vestrae literis, quas ad nos filii nostri Petronius presbyter & regulus diaconus detulerunt, quam beneuolum fratri & coepiscopo nostro Ra- uennio impendatis affectum, euidenter agnouimus. Si quidem postulatis, vt ei quod decessor ipsius mierito nimiæ præsumptionis amiserat reformatur. Sed petitionem fraternitatis vestrae Viennensis episcopus, missis literis & legatis, sua suggestione præuenerat; conquerens Arelatensem episcopum ordinatiōnem sibi Vasensis antistitis usurpasse. Cum itaque nobis ita & paternarum reuerentia sanctionum, & omnium vestrū seruanda sit gratia, vt in ecclesiarum priuilegiis nihil conuelli, nihil patiamur excidi; consequens fuit, vt ad conseruandam intra Vienensem & Arelatensem prouincias pacem adhiberetur iustitiae moderatio, quæ nec antiquitatis vsum, nec desideria vestra negliceret.

Consideratis enim allegationibus vtriusque partis præsentium clericorum, ita semper intra prouinciam vestram, & Viennensem & Arelatensem ciuitates claras fuisse reperimus, vt quarumdam causarum alterna ratione, nunc illa in ecclesiasticis priuilegiis, nunc ista præceleret; cum tamen eisdem commune ius quondam fuisse a gentibus proderetur. Vnde Viennensem ciuitatem, quantum ad ecclesiasticam iustitiam pertinet, inhonoratam penitus esse non patimur; præsertim cum de receptione priuilegii auctoritate iam nostræ dispositionis vtatur. Quam potestatem Hilario episcopo ablatam, Viennensi episcopo credidimus deputandam. Qui ne repente se-

Sententia
Leonis su-
per antiqua
controuer-
sia iurisdi-
ctionis in-
ter Arelate-
sem & Vien-
nensem ec-
clesias.

metipso factus videatur inferior, vicinis sibi quatuor opidis præsidebit, id est Valentia, & Tarantasia, & Genua, & Gratianopoli, vt cum his ipsa Vienna sit quinta, ad cuius episcopum omnium prædictarum ecclesiarum solicitude pertineat: reliquæ vero ciuitates eiusdem provinciæ sub Arelatis antistitis auctoritate & ordinatione consistant: quem pro modestia sua temperantia, ita futurum credimus studiosum caritatis & pacis, vt nequam sibi credat ablatum, quod fratri videat esse concessum. Data IIII. Nonas Maii, Valentiniano Augusto VII. & Auenio viris clarissimis consulibus.

Hoc præceptum domini Leonis confirmatum est a sede apostolica, præidente Symmacho papa, Probo viro clarissimo consule.

EPISTOLA CX.
LEONIS PAPÆ I.
AD RAVENNIVM ARELATENSEM,

Missa cum exemplo celeberrimæ Leonis epistolæ ad Flavianum Constantinopolitanum, quam a Rauennio cum episcopis omnibus communicari iubet.

Dilectissimo fratri Rauennio Leo.

DIIV filios nostros, Petronium presbyterum, & Regulum diaconum, in Vrbe tenuimus, quoniam & de nostra hoc gratia merebantur, & fidei, quæ nunc quorundam errore incessit, ratio postulabat. Voluimus enim eos nostro interesse tractatui, & vniuersa cognoscere, quæ per te cupimus ad omnium fratrum & consacerdotum nostrorum notitiam peruenire: carissimæ hoc dilectioni tuæ specialiter delegantes, vt sollicitudine vigilantiæ tuæ epistola nostra, quam ad orientem pro fidei defensione direximus, vel sanctæ memorie Cyrilli, quæ nostris sensibus tota concordat, vniuersis fratribus innotescat: vt certiores effecti, contra eos qui incarnationem Domini prauis persuasionibus æstimatorum temerandam, spirituali se virtute præmunitant. Habet probabilem facultatem, qua cunctis ecclesiis, & Deo nostro episcopatus tui possis commendare primordia, si hæc ita, vt credimus atque mandamus, impleueris, frater carissime. Quæ au-

Quatuor
opida Vië-
nensi epi-
scopo sub-
iecta.

272 LEONIS PAPÆ I. EPISTOLÆ.

tem committenda literis non fuerunt, cum prædictorum filiorum nostrorum insinuatione didiceris, Domini freatus auxilio efficaciter, ut diximus, ac laudabiliter exequaris. Deus te in columem custodiat, frater carissime. Data III. Nonas Maii, gloriosissimo Valentiniano Augusto VII. & Auieno viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA CXI.
LEONIS PAPÆ I.
AD RAVENNIVM ARELATENSEM.

De solennitate paschali anni CCCCLII.

Dilectissimo fratri Rauennio episcopo Leo episcopus.

Ad præcipuum religionis nostræ pertinet sacramentum, ut in festiuitate paschali nulla sit toto orbe diuersitas. Et quia hoc diuina institutio, & paterna traditio ad nostram solitudinem voluit pertinere, fraternitatem tuam solenniter admonemus, ut Pascha Domini celebrandum nobis die X. Kalendarum Aprilium recognoscas; quod manifesta ratio patefecit sacræ obseruantiae hunc diem esse legitimum. Cuius notitiam per dilectionem quoque tuam, frater carissime, omnibus voluimus declarari, ut quorum in fide est vna confessio, sit etiam in hac festiuitate vna deuotio.

^aCONCILIVM ^bARAVSICANVM I.

ANNO
CHRISTI
441.

CONSTITUTIONES SANCTÆ SYNODI
habitæ in territorio Arausico, in ecclesia Iustinianensi,
sub die VI. Idus Nouembri Cyro consule, anno Christi
CCCCXL. Valentiniani III. Augusti decimo septimo,
Leonis I. papæ secundo.

TITVL CANONVM.

- | | |
|---|---|
| I. <i>De hereticis, si in mortis dif-</i> | III. <i>De pœnitentibus qui de corpo-</i> |
| <i>crimine conuertantur.</i> | <i>re recedunt.</i> |
| II. <i>De non iteranda chrismati be-</i> | IV. <i>Pœnitentiam clericis non ne-</i> |
| <i>neditio.</i> | <i>gandam.</i> |

v. *Qui*

LEO C. ARAVSICANVM I. THEODOSIVS³ VALENTINIANVS³ IMP. 273

- v. Qui ad ecclesiam confugiunt tradi non debent.
- vi. De iis qui ecclesia mancipia occupant pro suis.
- vii. De manumissis in ecclesia, velecclesia per testamentum commendatis.
- viii. Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putarit.
- ix. De iis qui alienos ciues ordinant.
- x. Si quis ecclesiam in aliena ciuitatis territorio edificet.
- xi. Quod episcopus ei, qui ab alio excommunicatus est, communicare non debeat.
- xii. Subito obmutesceni danda est paenitentia, si petat.
- xiii. Amentibus que pietatis sunt conferenda.
- xiv. Energumenis baptizatis, si monitis obtemperant, danda communio.
- xv. Energumenis catechumenis de baptismate consulendum.
- xvi. Arreptiti clerici ne fiant, & qui ordinati sunt, ab officio repellantur.
- xvii. Ut in unum propositio sacramenti consecretur.
- xviii. Ut catechumeni lectionem euangelii audiant.
- xix. Ut catechumeni ad baptisteria non accedant.
- xx. Ut catechumeni benedictionem cum fidelibus non accipiant.
- xxi. Si duo episcopum ordinare presumperint, gradum amittat.
- xxii. Ut clerci coniugati, nisi castitatem profesi fuerint, diaconi non fiant.
- xxiii. Ut diaconus qui ab uxore sua non abstinet, ab officio abiciatur.
- xxiv. Qui prius ordinati incontinentes fuerunt, ulterius non promoueantur.
- xxv. De viris probatis, si qui e bigamis clerci fiant, ne ultra subdiaconatum prouehantur.
- xxvi. De diaconiis non ordinandis, & iis que iam sunt revocandis.
- xxvii. De viduis professis, si nupserint, aut raptæ fuerint.
- xxviii. Professa castitatis pruaricatoribus paenitentia consulendum.
- xxix. Ut nullus Conuentus sine alterius Conuentus denuntiatione soluat.
- xxx. Ut episcopus infirmus non per presbyteros, sed per alium episcopum agenda curet que propria sunt episcopi.

C A N O N E S.

I.

HÆRETICOS in mortis discriminé positos, si catholici esse desiderant, si desit episcopus, a presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placuit.

II.

Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit De consec.
dict. 4. Null.
Concil. Tom. 7. Mm

lus mini-
strorum.

officium , sine chrismate usquam debere progredi,
 quia inter nos placuit semel chrismari. De eo au-
 tem, qui in baptismate quacumque necessitate fa-
 ciente non chrismatus fuerit, in confirmatione sa-
 cerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chri-
 smatis ipsius non nisi una benedictio est: non ut præ-
 iudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur
 repetita chrismatio.

III.

26. quæst. 6.
Qui rece-
dunt de.

Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta ,
 placuit sine reconciliatoria manus impositione eis
 communicari. quod morientis sufficit consolatio-
 ni, secundum definitiones patrum, qui huiusmodi
 communionem congruenter viaticum nomena-
 runt. **Quod** si superuixerint, stent in ordine pœni-
 tentum , & ostensis necessariis pœnitentiæ fructi-
 bus, legitimam communionem cum reconciliato-
 ria manus impositione percipient.

IV.

Ibidem.

Pœnitentiam desiderantibus clericis non negan-
 dam.

V.

Diff. 87.
Eos qui ad
ecclesiam.

Eos qui ad ecclesiam confugerint tradi non o-
 portere, sed loci reuerentia & intercessione de-
 fendi.

VI.

Ibidem.

Si quis autem mancipia clericorum pro suis
 mancipiis ad ecclesiam confugientibus crediderit
 occupanda, per omnes ecclesias districtissima dam-
 natione feriatur.

VII.

Ibidem.

In ecclesia manumissos, vel per testamentum ec-

LEO AR AVSICANVM I. THEODOSIVS } VALENTINIANVS } IMP. 275

ANNO CHRISTI 441. clesiae commendatos , si quis in seruitutem vel obsequium , vel ad colonariam conditionem imprimere tentauerit , animaduersione ecclesiastica coeretur.

VIII.

Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putauerit , prius definiat , ut cum ipso habitet . Sic quoque non sine consultatione eius episcopi , cum quo ante habitauit , eum , qui fortasse non sine causa diu ab alio ordinatus non est , ordinare præsumat.

IX.

Si qui autem alienos ciues , aut alibi consistentes ordinauerint , nec ordinati in vlo accusantur , aut ad se eos reuocent , aut gratiam ipsis eorum imprecent , cum quibus habitant.

X.

Si quis episcoporum in alienæ ciuitatis territorio ecclesiam ædificare disponit ,⁴ vel pro fundi sui negotio , aut ecclesiastica vtilitate , vel pro quacumque sua opportunitate , permissa licentia ædificandi , quia prohibere hoc votum nefas est , non præsumat dedicationem , quæ illi omnimodis reseruatur , in cuius territorio ecclesia assurgit : reseruata ædificatori episcopo hac gratia , ut quos desiderat clericos in re sua videre , ipsos ordinet is cuius territorium est ; vel si ordinati iam sunt , ipsos habere acquiescat . Et omnis ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum , in cuius ciuitatis territorio ecclesia surrexerit , pertinebit . Quod si etiam sœcularium quicumque ecclesiam ædificauerit , & alium magis , quam eum in

cuius territorio ædificat , inuitandum putauerit : tam ipse , cui contra constitutionem ac disciplinam gratificari vult , quam omnes episcopi , qui ad huiusmodi dedicationem inuitantur , a Conuentu abstinebunt. Si quis excesserit , in reatum deocabitur : si quis excesserit , ordinem recognoscatur.

X I.

Placuit in reatum venire episcopum , qui admonitus de excommunicatione cuiuscumque , sine reconciliatione eius qui excommunicauit , ei communicare præsumperit , vt integra omnia , si reconciliatio intercesserit , de iustitia vel de iniuste excommunicationis , proximæ Synodo referuentur.

X II.

26. q. 6. Qui recedunt. Subito obmutescens , prout status est , baptizari aut pœnitentiam accipere potest , si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet , aut præsentis in suo nutu.

X III.

Ibidem. Amentibus quæcumque pietatis sunt conferenda.

X IV.

Iuo part. 1.
cap. 247. Energumeni baptizati , si de purgatione sua currant , & se solicitudini clericorum tradunt , monitisque obtemperant , omnimodis communicent , sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu dæmonii , quo infestantur ; vel purgandi , quorum iam ostenditur vita purgatior.

X V.

Iuo ibidem,
cap. 248. Energumenis catechumenis , quantum vel necessitas exegerit , vel opportunitas permiserit , de baptismate consulendum.

ANNO
CHRISTI
441.

LEO
P.I. AR AVSICANVM I. THEODOSIVS &
VALENTINIANVS IMP. 277

X VI.

Qui palam aliquando arrepti sunt, non solum
non assumendi ad ullum ordinem clericatus, sed
etsi iam aliqui ordinati sunt, ab imposito officio re-
pellendi.

X VII.

Cum capsā & calix offerendus est, & admixtio-
ne eucharistiæ consecrandus.

X VIII.

Euangelia deinceps placuit catechumenis legi
apud omnes prouinciarum nostrarum ecclesias.

X IX.

Ad baptisterium catechumeni nunquam ad- Iuo parr. 1.
cap. 213.
mittendi.

XX.

A fidelium benedictione, etiam inter dome- Iuo ibid.
cap. 214.
sticas orationes, in quantum caueri potest, segre-
gandi informandique sunt, vt se reuocent, & si-
gnandos vel benedicendos semotim offerant.

XXI.

In nostris prouinciis placuit de præsumptori- Diss. 64. De
abiectione.
bus, vt sicubi contigerit duos episcopos episco-
pum inuitū facere, auctoribus damnatis, vnius
eorum ecclesiæ ipse qui vim passus est substitua-
tur, si tamen vita respondet; & alter in alterius
deiecti loco nihilo minus ordinetur. Si volunt-
arium duo fecerint, & ipse damnabitur, quo cau-
tius ea quæ sunt antiquitus statuta seruentur.

XXII.

Sedit præterea, vt deinceps non ordinen-
tur diacones coniugati, nisi qui prius conuer-

Mm iij

278 LEO P.I. CONCILIVM THEODOSIVS² VALENTINIANVS³ IMPP.

sionis proposito professi fuerint castitatem.

XXIII.

Si quis autem post acceptam benedictionem
Leuiticam cum vxore sua incontinens inuenitur,
ab officio abiiciatur.

XXIV.

Concilio
Taurin.
Can. 8.

De his autem qui prius ordinati hoc ipsum
inciderunt, Taurinatis Synodi sequendam esse
sententiam, qua iubentur non vterius promoueri.

XXV.

De idoneis autem, & probatoribus viris, quos
clericatui alligari ipsa vita gratia suggerit, si forte
inciderunt duplicata matrimonia, non ultra sub-
diaconatum ecclesiasticas capiant dignitates.

XXVI.

Diaconæ omnimodis non ordinandæ: si quæ
iam sunt, benedictioni quæ populo impenditur
capita submittant.

XXVII.

27. q. 1. Vi-
duitatis fer-
uande. Viduitatis seruandæ professionem, coram epi-
scopo in secretario habitam, imposta ab episcopo
veste viduali indicandam. Raptorem vero talium,
vel ipsam talis professionis desertricem, merito es-
se damnandam.

XXVIII.

In vtroque sexu desertores professæ castitatis
præuaricatores habendi, & his omnibus per pœ-
nitentiam legitimam consulendum.

XXIX.

Hæc quæ subscriptissimus, cum eorum quoque

ANNO CHRISTI 441. concordia, qui consensus dederunt, rata deinceps inter nos ac nostros haberi volumus, & habenda sancimus: non ita prætereuntes eos, qui Synodo aut per se, aut per consensus suos, vel ad vicem sui per legatos destinados aesse detrectant, vt sibi supra nos illi placeant, qui patrum statuta despiciunt, quibus bis in anno, quod nobis pro temporum qualitate difficile est, sanctum est conueniri. Adiuentes, quod si similibus deinceps paginis pro salubritate ac remediis ecclesiasticis congregare Conuentus voluerimus, constituamus, vt nullus Conuentus sine alterius Conuentus denuntiatione soluatur. Itaque sequenti anno, si Domino ac Deo nostro Iesu Christo permittente conceditur, die decimoquinto Kalendas Nouembres Luciano in Arausico territorio Conuentum habebimus. Qui ideo tanto prius per Conuentum ipsum denuntiatur, vt tam excusationis libertas, quam in uitationis necessitas non sit. De die enim ac loco per nos ipsos commonebimus, singuli nobiscum in exemplaribus ea quæ per nos sunt constituta referentes: reliquos qui defuerunt, beatissimi fratris nostri Hilarii soliditudini relinquimus, datis ad ipsos horum exemplaribus commonendos.

XXX.

Post omnia occurrit de imbecillitatibus fragilitatis humanæ, vt si quis episcopus per infirmitatem debilitatemve aliquam, aut hebetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit, ea quæ non nisi per episcopos geruntur, non sub præsentia sua presbyteros agere permittat, sed epi-

Iuo part. 5.
cap. 306.

280 L^{eo}
P.I. CONCILIVM THEODOSIVS } IMP.
 VALENTINIANVS }

scopum euocet , cui quod in ecclesia agendum
fuerit imponat.

ANNO
CHRISTI
441.

S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Hilarius episcopus subscripsi.
Ego Claudius episcopus subscripsi.
Ego Constantinus episcopus subscripsi.
Ego Audentius episcopus subscripsi.
Ego Agrestius episcopus subscripsi.
Ego Iulius episcopus subscripsi.
Ego Auspicius episcopus subscripsi.
Ego Theodorus episcopus subscripsi.
Ego Maximus episcopus subscripsi.
Ego Eucherius episcopus subscripsi , sanctorum sacerdotum com-
prouincialium meorum super his expectaturus assensum.
Nectarius episcopus subscripsi.
Ingenuus episcopus subscripsi.
Ceretius episcopus subscripsi.
Iustus episcopus subscripsi.
Augustalis episcopus subscripsi.
Salonius episcopus subscripsi.
Superuentor pro patre & episcopo meo Claudio subscripsi & recon-
gnoui.

DECRETA ALIQUA HVIC CONCILIO

Gratiani & aliorum decretis adscripta, quæ non haben-
tur in superioribus. Primo ex Decreto Gratiani.

Modus & forma excommunicationis.

11. q. 11. Ca-
nonica in-
stituta.

Canonica instituta & sanctorum patrum exempla se-
quentes , ecclesiarum Dei violatores , auctoritate Dei &
iudicio sancti Spiritus , a gremio sanctæ matris ecclesiæ & a
consortio totius Christianitatis eliminamus , quoque
resipiscant , & ecclesiæ Dei satisfaciant.

Ex eodem partim , & partim ex alio codice Decreto-
rum librorum 16. cap. 7. lib. II.

Reconciliatio excommunicati.

11. q. 11. Cū
aliquis ex-
comunica-
tus.

Cum aliquis excommunicatus , vel anathematizatus ,
penitentia ductus , veniam postulat , & emendationem
promittit , episcopus qui eum excommunicauit , ante ia-
nuas ecclesiæ venire debet , & duodecimpresbyteri cum
eo ,

ANNO CHRISTI 441 eo, qui eum hinc & inde circumstare debent. Vbi etiam esse debent illi, quibus iniuria vel damnum commissum debet emendari: aut si iam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget episcopus, si poenitentiam, iuxta quod Canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille, terræ prostratus, veniam postulat, culpam confitetur, poenitentiam implorat, & de futuris cautelam spondet, tunc episcopus apprehensa manu eius dextra, in ecclesiam illum introducat, & * ei communionem & societatem Christianam reddat, & septem psalmos poenitentiales decantet cum istis precibus, Kyrie eleison, Pater noster, Et ne nos: Saluum fac seruum tuum, Deus meus, sperantem in te: Mitte ei Domine auxilium de sancto, Et de Sion tuere eum: Nil proficiat inimicus in eo, Et filius iniquitatis non apponat nocere ei: Esto ei Domine turris fortitudinis, A facie inimici: Domine exaudi orationem meam, &c. Dominus vobiscum, &c.

ORATIO.

PRÆSTA quæsumus Domine huic famulo tuo dignum poenitentiæ fructum, ut ecclesiæ tuæ sanctæ, a cuius integritate deuiauerat peccando, admissorum veniam consequendo, reddatur innoxius: per Christum Dominum nostrum. Amen.

ALIA ORATIO.

MAIESTATEM tuam quæsumus, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris, respice flentem famulum tuum, attende prostratum, eius planctum in gaudium tuæ miserationis conuerte, scinde delictorum sacram, & indu eum lætitia salutari, ut post longam peregrinationis famem, de sanctis altaribus satietur, ingressusque cubiculum regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriae tuæ semper. Amen.

ALIA ORATIO.

DEVS misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium
Concil. Tom. 7. Nn

deles, & præteriorum criminum culpas venia remif-
sionis euacuas; respice super hunc famulum tuum N. &
remissionem omnium peccatorum suorum sibi tota cor-
dis confessione poscentem, deprecatus exaudi: innoua in
eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corru-
ptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est: & vni-
tati corporis ecclesiæ membrum redemptionis annece. Miserere Domine gemituum, miserere lacrymarum e-
ius, & non habentem fiduciam, nisi in tua magna misericordia, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte: per Christum Dominum nostrum. Amen.

Post hæc, secundum modum culpæ, pœnitentiam ei iniungat, & literas per parochiam suam dirigat, vt omnes nouerint eum in societate Christiana receptum. Aliis etiam episcopis hoc notum faciat. Nullus autem episcopus alterius parochianum excommunicare vel reconciliare præsumat, sine consensu vel conscientia proprii episcopi.

Ex eodem, libro 14. capite 6.

Vt in sabbato sancto ieiunia non soluantur.

Vt in sabbato sancto, hoc est, in vigilia Paschæ, ieiunium ante noctis initium, nisi a paruulis & infirmis, non soluatur, nec in ipsa parasceue: quia cœna Domini, & parasceue, & sabbatum, ad illos quadraginta dies respiciunt: * vel diuina mysteria his duobus diebus celebrantur, ^{* for. nec} Canonibus quippe iubentibus, in biduo isto, id est, parasceue & sabbato, sacramenta penitus non celebrari.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI SOCIETATIS IESV:

¹ *Constitutiones.]* De titulo consentiunt vetera exemplaria: *Constitutiones sancte Synodi habite in territorio Arausisco, sub die VI. Idus Nouembres, Cyro consule, in ecclesia Iustinianensi:* nisi quod in paucis legitur *Iustinianensi:* vnde & infra in causa Contumeliosi episcopi Syndodus Iustinianensis appellatur.

² *Hæreticos in mortis.]* Hic etiam libri omnes consentiunt, primo loco statuentes Canonem qui secundus erat in vulgatis, & contra primum secundo.

³ *Semel chrismari.]* Vulgati codices, & Gratianus, aliquique collectores, semel in baptimate chrismari. Et vero certum est de baptismate agi. Sed cum hæc verba in antiquis exemplaribus non sint, &

ANNO CHRISTI glossema sapient, religio fuit ea retinere.

^{441.} ^a *Vel profundi sui negotio.*] Breuius in codice Lugdunensi, Fossatensi, Rhemensi, & aliis: *vel pro fundi sui, aut ecclesiastici, vel pro quacumque suorum opportunitate.*

^b *Imposita ab episcopo.*] Ita vetustissimi & optimi quique codices, Lugdunensis, Rhemensis, Fossatensis, Tilianus, & alii. Pauci recentiores, *a presbytero:* quod inde ortum videtur, quia viduas velare postea licuit etiam presbyteris. Gratianus & alii collectores legunt *ab episcopo.*

^c *Nouembris Luciano.*] Variant hic etiam manuscripti. Nam Fossatensis, Tilianus, & alii quidam habent *Decembbris Luciano:* Lugdunensis & Rhemensis cum reliquis habent *Nouembris*, sed pro *Luciano* hic *Iustiniano* legit, ille *Iustiano*, ut statui certi nihil possit.

^d *Ego Constantinus.*] Lugdunensis, ut in Concilio Regensi, *Constantianus*, quomodo & alii nonnulli.

^e *Ceretius.*] Ita diserte Virdunensis, sicut supra in epistola ad Leonem pag. 254. Fossatensis & Tilianus, *Caretius.* Lugdunensis *Ceresius.* Pithœanus *Ceterius.* Rhemensis vero, ut olim vulgati, *Cæsius.*

NOTÆ SEVERINI BINII.

^a *Concilium.*] Hoc Concilio actum est de disciplina ecclesiastica, & de recipiendis variorum generum penitentibus; ac demum ut nullus Conuentus sine alterius futuri Conuentus denuntiatione solvatur. Appendix superaddita præscriptam formam excommunicandi & reconciliandi excommunicatum continet. Hæc Synodus, clarissimorum antistitum corona illustrata, nobilissima est. In ea quindicim episcopi Narbonensis & Lugdunensis prouincie suo more convenientes, vigintinouem Canones, ad iura & disciplinam ecclesiæ spectantes, sanxerunt. Baronius anno 441. num. 3. & 17.

^b *Arausicanum.*] Arausica est ciuitas in Gallia Narbonensi, non procul Auenione, estque nobilissimo principatu insignis, alias nominatur Arausia, vulgo dicitur *Orange.* Meminit illius Plinius lib. 3. cap. 4. Ptolemæus lib. 2. cap. 10. Strabo lib. 4.

^c *Cyro consule.*] Recte id in Nicoloniana editione emendatum fuit. Le^tatio m^{er}itoria. Le^tatio enim hæc, *Tempore Theodosii iunioris, & Cyri consulū,* quam aliquot anteriores editiones habent, plane mendosa est. Nam fasti omnes & vetera monumenta, non nisi unicum hoc anno consulem referunt.

^d *Leonis I. pape 2.*] Anno pontificatus illius secundo, qui est Christi nati quadragesimus quadragesimus primus: Theodosii imperatoris trigesimus quartus, & Valentiniani, decimusseptimus. Prædicta enim tempora cum consulatu Cyri coincidunt, ut ex fastis emendationibus constat.

^e *Hilarius.*] Inter eos qui Synodo subscriperunt, celebriores sunt, Hilarius, Eucherius, Salonius, Maximus, Constantinus & Augustalis. Quorum omnium sacra & solennis memoria annueraria in ecclesia colitur. Hilarius est ille celebris Arelatensis episcopus, ^{Hilarius A-} ^{relatensis} Concil. Tom. 7.

scriptorum
S. Augustini defensor.
Eucherius Lugdunensis auctor homiliarum, quae haec
nus sub nomine Eusebii Emis-
sori editae fuerunt.
Duo Euche-
rii.
Duo Cæsa-
rii.

qui antehac presbyter, vna cum sancto Prospero Aquitano episcopo insectatus est Pelagianos; & aduersus Massilienses presbyteros, aliosque S. Augustini scripta impugnantes, strenue infurrexit. Eucherius Lugdunensis episcopus senior fuit: auctor quarundam homiliarum Latinarum, quae falso titulo Eusebii Emiseni Græci & Ariani scriptoris, haec tenus editæ fuerunt. Huius honorifice meminit Claudio libro 2. de statu animæ. Alterius cuiusdam Eucherii Lugdunensis ecclesiæ episcopi memoria reperitur apud Cyprianum in vita Cæsarii apud Surium, qui cum eodem Cæsario Arauficano Concilio secundo anno Domini 524. celebrato interfuit & subscriptis. Cæsarium hic ultimo loco subscriptū, omnino alium esse oportet ab illo magni nominis Arelatensi episcopo, qui cum Eucherio iuniore Arauficane secundæ aliisve quibusdam Synodis interfuit, nominisque sui subscriptione approbavit. Nam tempore huius Concilii Arelatensis episcopus erat Hilarius, de quo supra. Defuncto Hilario non Cæsarius, sed post Rauennium Eonius: atque demum post Leonitum, Eonio cvidam Cæsarius successit. Is ergo Cæsarius, qui huic primæ Arauficane Synodo subscriptis, non tantum alius est & diuersus episcopus ab eo Cæsario, qui Arauficano secundo aliisve pluribus Conciliis interfuit & subscriptis, verum etiam alterius, quam Arelatensis ecclesiæ antistes extitit. Hæc ex Baronio anno 441. numero 3. & seqq. Item ex eiusdem appendice, quæ extat in fine tomī decimi, ad annum Christi 529. Plura hac de re dicemus infra in notis Concilii Carpentoractensis, Vasensis, Arelatensis, &c. hinc causam reddentes, cur prædicta Concilia, haec tenus sub Leone colloca- ta, ad tempora Felicis papæ IV. retulerimus.

CONCILIVM VASENSE II.

CONSTITUTIONES SANCTÆ SYNODI

habitæ in ciuitate Vasensi apud Auspicium episcopum ecclesiæ catholicæ, sub die Iduum Nouembrium, Di- scoro viro clarissimo consule, anno Christi CCCXLII. Valentiniani III. Augusti decimooctauo, Leonis I. papæ tertio.

TITVL CI CANONVM.

- I. *Vt Gallicani episcopi superuenientes in Gallia non discutiantur.*
- II. *De paenitentibus subito mortuis, ut eorum oblationes recipiantur.*
- III. *Vt ab alieno episcopo chrisma nullus petat, sed tantum a proprio.*
- IV. *Vt qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.*
- V. *Vt qui sententia episcopi sui non acquieuerit, recurrat ad Synodum.*

- ANNO VI. De epistola S. Clementis, quod ab iis auerti debeat qui subfunt,
CHRISTI 442. a quibus qui preest auersus est. VIII. De correptione in criminibus occultis.
- VII. Accusandi licentia etiam in episcopis reprimenda. IX. De expositis collectis quid sit obseruandum.
- X. De iis qui expositos per calumniam repetunt.

C A N O N E S.

I.

PLACVIT ergo tractatu habito, episcopos de Gallicanis prouinciis venientes inter Gallias non discutiendos : sed solum sufficere , si nullus communionem alicuius interdixerit. quia inter circumhabitantes , ac sibi pene inuicem notos , non tam testimonio indigent probi , quam denotatione ac denuntiationibus deprauati.

II.

Pro his qui pœnitentia accepta, in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viuentes, sine communione inopinato nonnunquam transitu, in agris aut in itineribus præueniuntur , oblationem recipiendam , & eorum funera , ac deinceps memoriam ecclesiastico affectu prosequendam : quia nefas est eorum commemorationes excludi a salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt , indignos salutiferis mysteriis iudicant , ac dum purgatores restitui desiderant , absque sacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset.

III.

Per singula territoria presbyteri, vel ministri, ab episcopis, non prout libitum fuerit, a viciniori-

Nn iij

Iuo pag. 1.
cap. 272.

bus, sed a suis propriis, per annos singulos chrisma petant, appropinquante solennitate paschali: nec per quemcumque ecclesiasticum, sed si qua necessitas aut ministrorum occupatio est, per subdiacōnem: quia in honorū est inferioribus summa committi. Optimum autem est, vt ipse suscipiat, qui in tradendo usurpus est. Si quid obstat, saltem is, cuius officii est sacrarium disponere, & sacramenta suscipere.

IV.

13. q. 2. Qui oblationes. ^f Qui oblationes defunctorum fidelium detinent, & ecclesie tradere demorantur, vt infideles sunt ab ecclesia abiiciendi: quia usque ad exinanitionem fidei peruenire certum est hanc diuinæ pietatis exacerbationem: qua & fideles de corpore recedentes votorum suorum plenitudine, & paupe- res collatu almoniæ & necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales, quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei habendi sunt. Vnde & quidam patrum hoc scriptis suis inseruit congruente sententia, qua ait: *Amico quipiam rapere, furtum est: ecclesiam fraudare, sacrilegium.*

V.

Si quis episcopi sui sententiæ non acquiescit, recurrat ad Synodum.

VI.

Hier. epist. 2. ad Ne-
potianum. Ex epistola S. Clementis utilia quæque, præsenti tempore ecclesiis necessaria, sunt honorifice proferenda, & cum reuerentia ab omnibus fidelibus, ac præcipue clericis, percipienda. Ex quibus quod specialiter placuit, propter venerandam an-

^{ANNO CHRISTI} tiquitatem statutis præsentibus roboramus, quod
⁴⁴² suprascriptus beatus martyr de beatissimi apostoli
Petri institutione commemorat, dicens: *Quædam* S. Clemens epist. 1.
Iuo part. 14. cap. 22.
autem etiam ex vobisipsis intelligere debetis, si quas sint,
quæ ipse propter infidias hominum malorum non potest
evidenter & manifestius proloqui. Verbi gratia: *Si im-* Dif. 93. Si
inimicus.
nicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare ut
ipse vobis dicat. Cum illo nolite amici esse: sed prudenter
obseruare debetis, & voluntati eius, videlicet qui eccl-
siae curam gerit, absque commonitione obsecundare, &
anerti ab eo, cui ipsum sentitis aduersum: sed nec loqui
bis quibus ipse non loquitur; ut unusquisque qui in cul-
pa est, dum cupid omnium vestrum sibi gratiam repara-
re, festinet citius reconciliari ei qui omnibus præest, ut
per hoc redeat ad salutem, cum obedire cæperit monitis
præsidentis, &c. quæ in consequentibus denotant
amicos eorum qui veritatis inimici sunt. Sciat ita-
que deinceps clerus ad reatum, sed & populus fi-
delium ad culpam sibi adscribendum, si quis hoc
in vitio malorum confortator, & disciplinæ subuer-
for agnoscatur.

VII.

Placuit præterea accusandi licentiam etiam in
nostris ordinis, si qua existit, leuitate comprimere.
Ut se episcopus, si quem iudicat abstinendum, &
pro humiliatione & correctione fratris assurgit, ex-
orari a ceteris acquiescat, fratri, de quo agitur, cor-
reptione & comminatione adhibita. Sin autem de
crimine aliquem putet esse damnandum, accusato-
ris vice discutiendum sciat. Fas est enim, ut quæ vni
probantur, probentur omnibus.

Quod si se tantum episcopus alieni sceleris conscientium nouit, quamdiu potest nihil proferat; sed cum ipso ad compunctionem eius secretis corruptionibus elaboret. Qui si correptus pertinacior fuerit, & se communioni publicæ ingesserit; etiam si episcopus in redarguendo illo, quem reum iudicat, probationibus deficiat, indemnatus licet, ab his qui nihil sciunt secedere ad tempus pro persona maioris auctoritatis iubeatur, illo quamdiu probari nihil potest, in communione omnium, præterquam eius qui eum reum iudicat, permanente.

IX.

Ius part. 3.
cap. 254.

De expositis, quia conclamata ab omnibus querela processit, eos non misericordiæ iam, sed canibus exponi; quos colligere calumniarum metu, quamuis inflexa præceptis misericordiæ mens humana detrectet; id seruandum visum est, ut secundum statuta fidelissimorum, piissimorum, augustissimorum principum, quisquis expositum colligit, ecclesiam contestetur, contestationem colligat: nihilo minus de altario dominico die minister annuntiet, ut sciat ecclesia expositum esse collectum, ut infra dies decem ab expositionis die expositum recipiat, si quis se comprobauerit agnouisse: collectori pro ipsorum decem dierum misericordia, prout maluerit, aut ad præsens ab homine, aut in perpetuum cum Deo gratia persoluenda.

X.

* Sane si quis post hanc diligentissimam sanctiōnem expositorum hoc ordine collectorum repetitor

ANNO
CHRISTI
442.

ANNO CHRISTI 442.
tor, vel calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica districione feriatur.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Concilium Vasense.*] Qui pro duobus Conciliis Vasensisbus tria fuisse contendunt, frustra se torquent, & nodum, quod aiunt, in sūpo querunt. Duo quippe, nec plura, in omnibus antiquis exemplaribus leguntur, suis apte distincta Canonibus. hoc primum sub Leone papa, & alterum post annos fere 90. sub Felice IV. Neque in his vīla, quod putant, est confusio. Sed vt tertium his antiquius Vasense Concilium fingerent, impulit falsa opinio, qua sibi Concilium Arelatense II. in quo Synodi Vasensis mentionem fieri videbant, multo ante hæc tempora celebratum persuaserant, cum ex Vasensis contra Synodi mentione posteriore illa fuisse Arelatensem conciū debuerit.

² *Apud Auspicium episcopum.*] Editiones vulgatae, apud Vrbicum episcopum. Sed Auspicium habent omnes manuscripti, eum videlicet qui proxime Concilio Regensi & Arausiano cum ceteris subscripsit: ex hoc vero loco Valionensem episcopum fuisse intelligimus. Quamquam autem subscriptiones hic nullæ sunt, quæ aliorum episcoporum nomina indicent, sunt tamen qui episcopos ad hanc Synodus conuenisse tradant numero X V. alii duodeuiginti.

³ *Quidam patrum.*] S. Hieronymus in epistola 2. ad Nepotianum. Iugulat ergo hic locus errorem illorum qui Concilium Vasense, in quo editus est hic Canon, & Arelatense II. a quo laudatur, ad Iulii papæ tempora referri posse augurati sunt.

⁴ *Sane si quis.*] Rectius opinor codex Lugdunensis, item & Fofatensis, nouum hic Canonem non statuunt, sed hoc membrum cum superiore velut eius partem coniungunt.

NOTÆ SEVERINI BINII.

^a *Concilium.*] Sicut acta & Decreta huius Concilii propter miram Canonum confusionem incerta sunt, ita quam ob causam celebratum sit certo affirmari nequit. Si communem sententiam sectantes decem capitula, haec tenus edita sub nomine Vasensis illius quod tempore Leonis celebratum est, eidem adscribamus, quid in hoc Concilio actum sit, ex titulis eorumdem capitulorum cognosci potest. Et quamquam manifestum sit ex iis quæ supra dixi in notis Concilii Vasensis I. sub Iulio capitulum quartum non in hoc, sed potius illo priore constitutum esse, ad euitandam tamen maiorem lectoris confusionem, omnia capitula haec tenus sub nomine huius Vasensis edita, huic loco relinquere volui.

Qua de causa celebratum sit, incertum est.

Canones Vasenses confusi.

^b *Vasense.*] Sic dictum a Vasione, quæ est ciuitas in Gallia Narbonensi. Vnde rectissime & conuenientissime alio nomine Vasionense Concilium appellatur. Quod supra in notis Vasensis primi dictum

Concil. Tom. 7.

Oo

Superius
dicta conti-
guntur.

est, hanc Synodum rectius Vafatensem nominari, perspectis iis quæ Baronius in appendice tomī decimi correxit & emendauit circa annum Domini 442. erroneum & emendandum esse cognoui.

ANNO
CHRISTI
442.

Vafates enim sunt populi prope Burdigalam, ut ex allegata ibidem auctoritate Sidonii constat. Episcopi autem qui huic Synodo interfuerunt, Arelatensis prouincia fuisse certum est. Vnde procul abhorret, ut ipsi Vafatis conuenisse dicantur.

Quotum
Valense.

^c Secundum.] Quod ut verum esse cognoscas, vide quæ notaui supra in Concilio Valensi sub Iulio, verbo *Concilium*.

^d Constitutiones sanctæ.] Præter ea quæ hic de nota consulari asseruntur, nihil est quod ad Synodum Vafensem secundam pertinere certo constet.

Tempus
habiti Con-
cili Vafen-
sis.

^e Leonis pape I. tertio.] Anno pontificatus illius tertio, qui est Christi nati quadringentesimus quadragesimus secundus, Theodosii trigesimus quintus & Valentini decimus octauus. Nam principio actorum hanc Synodum celebratam fuisse scribitur sub Dioscori consulatu, qui cum predictis Christi, pontificum & imperatorum chronologis coincidit, ut ex emendationibus fastis constat.

^f Qui oblationes defunctorum.] Vide quæ diximus supra in notis Concilii Vafensis primi sub Iulio.

*CONCILIVM ROMANVM I.
IN CAVSA MANICHÆORVM.

NOTA.

Causa &
tempus Cō-
cili.

¹ Concilium.] Postquam S. Leo Manichæos Romæ occulte latantes comperisset, iisque publicam quamdam notam infamiae, qua a catholicis discernerentur, inussisset, tandem (ut constat ex eius epist.

ANNO
CHRISTI
444.

2. hoc anno, mense Ianuario ad episcopos Italiam scripta) anno pontificatus sui quinto, qui est Christi 444. & Theodosii imperatoris 37. aduersus eosdem Romæ Concilium indixit. Cui, ut Manichæorum scelerata notiora redderentur, non tantum episcopos & presbyteros, sed & senatores complures, illustresque viros, imo & plebis partem præsentem esse voluit. Quid in hoc Concilio actum fuerit, S. Leo serm. 5. de ieunio decimi mensis describit his verbis: Residentibus itaque mecum episcopis ac presbyteris, ac in eumdem confessum Christianis viris ac nobilibus congregatis, electos & electas eorum iussimus presentari. Qui cum de perueritate dogmatis sui, & de festiuitatum suarum consuetudine multa referarent, illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt. Quod tanta diligentia inuestigatum est, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus maneret ambiguum. Aderant enim omnes personæ, per quas nefandum facinus fuerat perpetratum: puella scilicet, ut multum decennis, & duas mulieres, quæ ipsam nutrieran, & huic sceleri prepararan. Praesto erat etiam adolescentulus vitiator puelle,

ANNO CHRISTI 444. & episcopus ipsorum detectandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum & una confessio, & patefactum est execratum, quod aures nostrae vix ferre potuerunt. De quo ne apertius loquentes castos offendamus auditus, gestorum documenta sufficient, quibus plenissime docetur, nullam in hac seita pudicitiam, nullam honestatem, nullam penitus reperiri castitatem; in qua lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo. Hos ideo homines, dilectissimi, per omnia execrabilis atque pestiferos, quos aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia nostra penitus abdicant, vosque præcipue mulieres a talium notitia & colloquio abstinetis; ne dum fabulosis narrationibus incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis.

Eadem prolixius commemorantur in epistola secunda Leonis, quam instar aliarum ad alios scriptarum dederat ad episcopos Italiæ, ut de rebus in hac Synodo Romæ aduersus Manichæos gestis, certiores fierent, omnesque pestilentissimam luem præcognitam, præcauere & longius propulsare disserent. Hæc ex Leonis sermonibus & epistolis Baron. anno 444. num. 1. 2. & seqq.

CONCILIVM INCERTI LOCI,

IN QVO CHELIDONIVS EPISCOPVS

Vesontionensis, tamquam viduæ maritus, & qui capitalibus aliquando iudiciis præfuiisset, episcopatu deieatus est.

HVIC Concilio præfuit Hilarius Arelatenensis. interfuisse autem cum aliis & Germanum episcopum Autiiodorensem, innuit Honoratus Massiliensis, seu quis alius vitæ Hilarii eiusdem est auctor. Ceterum Chelidonius in hac Synodo damnatus Romanum ad Leonem papam contendit. nec multo post secutus est Hilarius: sed suggestione Leonii oblata, moræ impatiens exitum iudicii non expectauit. Ex quo nata est illa Leonis in Hilarium indignatio, quam eius ad episcopos prouinciae Viennensis epistola declarat. Chelidonium porro absoluit Leo, non quod instam exauictationis causam non duceret illam que obtendebatur, sed quod falso ei obiecta, nec satis probata videretur. Auctor vitæ Hilarii, quamquam Synodi iudicium sic exponit, quasi legitimæ testium probationi nihil defuisse; Hilario tamen fraudi fuisse non disimulat, quod conscientia fretus nimia erga Leonem libertate usus esset. Scribit ergo in hunc modum: In excursibus autem quis ut dignum est explicabit, quantum eius præsentia profectum contulerit ciuitatibus Gallicanis, sanctum

Concil. Tom. 7.

Oo ij

Germanum s̄epius expetendo , cum quo sacerdotum ministrorumque vitam , nec non profectus excessusque tractabat ? Vbi eius aduentus innotuit , flammata ad virtumque nobilium & mediocrium studia conuolarunt , adstruentes Chelidonium internuptam suo adhibuisse consortio , quod apostolicæ sedis auctoritas , & Canonum prohibent statuta : simul ingerentes , s̄eculi administratione perfunctum capitali aliquos condemnasse sententia. Tantæ rei nouitate permoti testes imperant præparari. Conueniunt ex aliis locis probatissimi sacerdotes : res omni ratione prudentiaque discutitur , accusatio testimoniis confirmatur. Adhibetur vera simplexque definitio , vt quem scripturarum regulæ remouebant , voluntate propria se remouere deberet. Ille Vrbem credidit expetendam , ibique se iniusto rigore adstruit condemnatum. Quod vbi comperit vir beatus , pedibus iter aggrediens , Romam sine equo , sine sagmario festinus intravit. Apostolorum , martyrumque occursu peracto , beato Leoni papæ illico se præsentat , cum reuerentia impendens obsequium , & cum humilitate deponens , vt ecclesiarum statum more solito ordinaret : adstruens aliquos apud Gallias publicam merito excepisse sententiam , & in Vrbe sacris altaribus interesse. Rogat atque constringit , vt si suggestionem suam libenter exceptit , secreto iubeat emendari. se ad officia non ad causam venisse ; protestandi ordine , non accusandi , quæ sunt acta suggerere : porro autem si aliud velit , non futurum esse molestum. Et quia tantorum virorum , præsertim iam ad supernam gratiam vocatorum , nec in narratione audeo iudicia ventilare , hoc breuiter tetigisse sufficiat , quod solus tantos sustinuit , quod nequaquam minantes expauit , quod inquirentes edocuit , quod altercantes vicit , quod potentibus non cessit , quod in discrimine vitæ positus communioni eius , quem cum tantis viris damnauerat , coniungi nullatenus acquieuit. In ciuitatis recessu totum se ad placandum animum sancti Leonis inclinata humilitate conuertit , misso primitus S. Rauennio , tunc presbytero , postmodum proprio successore : deinde sancto Nectario , sanctoque Constantio præcipuis sacerdotibus. Et quia quantum in hac causa dictauerit , huic operi nul-

**ANNO
CHRISTI
444.** la possum ratione coniectere , auxiliaris tunc præfecti quæ fuerit sententia credidi inferendum , cuius hæc verba sunt.

Sanctos Nectarium & Constantium sacerdotes ex beatitudinis tuæ parte venientes digna admiratione suscepi. Cum his sæpius sum locutus de virtute animi atque constantia , contemptuque rerum humanarum , quo inter fragilitates nostras semper beatus es. Nam quid potest in hac corpore a vita esse iucundum , quæ cum sit misera, tamen non potest esse perpetua? Locutus sum etiam cum sancto papa Leone. Hoc loco , credo , aliquantum animo perhorrescis. Sed cum propositi tui tenax sis, & semper æqualis, nulloque commotionis felle rapiaris , sicut nullis extolleris illecebris gaudiorum , ego nec minimum quidem factum beatitudinis tuæ arrogantiæ memini contagione fuscari. Sed impatienter ferunt homines , si sic loquamur , quomodo nobis consciis sumus. Aures præterea Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur : in quam si se sanctitas tua subinde demittat , plurimum nihil perditurus acquiris. Da mihi hoc , & exiguae nubes paruæ mutationis serenitate compesce.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

* *In quo Chelidonius episcopus.] Vesontionis episcopum fuisse docet in codice Iurense monasterii vetus auctor vita sancti Romani abbatis , quem ab Hilario Arelatensi presbyterum per id tempus factum narrat haud procul ab urbe Vesontionensi : unde & Concilium hoc nonnulli Vesontione habitum tradunt . Damnatus in hac Synodo Chelidonius Romam, ut est in vita sancti Hilarii, ad Leonem papam se contulit , eodemque mox Hilarius aspera hieme profectus est , ut de Chelidonii causa responderet. Post cuius ab Urbe discessum missa est in Galliam sequens epistola Leonis ad episcopos provinciae Vienensis, & cum epistola Valentiniani nouella ad Aetium. Quam cum Iunio mense datam liqueat anno CCCCXLV. reliquum est, ut Chelidonii damnatio in præcedentem annum coniicienda sit.*

ANNO
CHRISTI
445.

CONCILIVM ROMANVM II.
S V B L E O N E I.

In causa Hilarii Arelatensis episcopi anno Domini
ccccxlv. celebratum.

NOTE A.

Cur Hilarius apud fedem apostolicam denuntiatus fuerit.

* *Concilium Romanum.*] Cum Hilarius Arelatenfis episcopus, Patrocli aliorumque antecessorum suorum vestigiis insistens, contra Taurinensis Concilii definitionem, Bonifacii & Cælestini pontificum constitutionem, in Viennensi & Narbonensi prouincia, episcopos deponere, aliosque in locum adhuc viuentium substituere præsumpsisset, apud sedem apostolicam iure meritoque hanc ob rem denuntiatus, ad sui defensionem sponte se Romam contulit. Hac Synodo Romæ anno Domini 445. celebrata conuictus, nulla licentia expectata, nullaque abeundi licentia impetrata, Arelaten rediit. Quæ post abitum illius in Concilio acta fuerint, sanctus Leo in epiftola 89. ad Viennenses scripta prolixè recenset. Sententiam in eum pronuntiatam, Leonis pontificis rogatu, Valentinianus imperator dato rescripto ad Aetium magistrum militæ in Gallia executus fuit. Extat rescriptum Valentiniani inter nouellas Theodosii Cod. Theod. tit. 24. de episcopis ordinandis: quod inter cetera præclara de auctoritate Romani pontificis hæc habet: *Et erat ipsa quidem sententia (Romani pontificis) per Gallias etiam sine imperiali sanctione validura. Quid enim tanti pontificis auctoritate in ecclesiis non liceret? sed nostram quoque preceptionem hæc ratio prouocauit, ne vltorius vel Hilario, quem adhuc episcopum nuncupari sola mansueti presulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani pontificis liceat obuiare: ausibus enim talibus fides & reverentia nostri violatur imperii.* Et paulo post: *Hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam episcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum contra veterem consuetudinem liceat sine viri venerabilis papa Vrbis aeterna auctoritate tentare. Sed illis omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit apostolica sedis auctoritas, &c.* Integrum edictum recenset Baronius anno 445. num. 9. & 10.

LEO
P.I. SYNODVS VEROLAMII. THEODOSIVS & VALENTINIANVS IMP. 295

ANNO
CHRISTI
446.

SYNODVS MAGNA VEROLAMII
ADVERSVS PELAGIANAM HÆRESIM
ab Agricola in Britannia suscitatam celebrata,

*Cui e Galliis aderant Germanus Altissiodorensis, & Lpus
Tricassiniæ ecclesiæ episcopi, a Synodo etiam in hac
causa illic habita delegati.*

ANNO gratiæ 446. hæresis Pelagiana per Agricolam Pelagii discipulum allata, fidem Britonum fœda peste maculauit. Verum Britanni , cum neque suscipere dogma peruersum, gratiam Christi blasphemando , vllatenus vellent, neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent , inuenerunt salubre consilium , vt a Gallicanis episcopis auxilium belli spiritualis inquirant. Quamobrem collecta ibidem magna Synodo, quærebatur in commune qui illuc in succursum fidei mitterentur. Tandem omnium iudicio, eligebantur apostoli sacerdotes, Germanus Altissiodorensis , & Lpus Tricassiniæ ciuitatis episcopi, qui ad confirmandum fidem in Britanniam pergere maturarent. Qui cum prompta deuotione preces & præcepta sanctæ ecclesiæ suscepissent , intrauerunt Oceanum , & licet cum labore & periculo , decursis in breui pelagi spatiis, optato litore quiete potiuntur. Collecta itaque apud Verolamium Synodo , immensa multitudo virorum etiam cum coniugibus & liberis illuc excitata conuenerat. Aderat populus, expectabatur futurus iudex , astabant partes dispari conditione consimiles, inde diuina fides , hinc humana præsumptio , inde Christus , hinc Pelagius auctor peruersæ prauitatis. Primo in loco , beatissimi sacerdotes copiam disputandi proponendique aduersariis præbuerunt , loquacitatisque garritum euomere permiserunt , qui sola nuditate verborum , diu & inaniter , audientium aures cum temporibus occuparunt: deinde antistites venerandi torrentes eloquii, cum apostolis & euangelicis imbris , perfuderunt. Miscebatur sermo proprius cum diuino , & assertiones modestissimas lectionum testimonia se-

quebantur. Conuincitur vanitas, perfidia confusa refutatur, ita ut ad singulas verborum obiectiones errasse se, dum nequeant respondere, confitentur. Populus arbiter vix manus continet, iudicium cum clamore contestando. *Hoc tenus Beda.*

Antistes vero omnibus ad votum feliciter consummati, & quæ prius dissipata fuerant rite ordinatis, ad proprium cum gaudio remeauit, Dei & beati Anglorum protomartyris Albani, cui victoriam adscriptis gratus acceptor beneficii, magnalia prædicando. Et his ita gestis, innumera utriusque sexus multitudo ad Dominum est conuersa. *Hæc Matthæus VVestmonasteriensis ex Constantino presbytero.*

CONCILIVM
HISPA NICVM GENERALE,
SVASV LEONIS PONTIFICIS,

ANNO
CHRISTI
447.

*In causa Priscillianistarum indictum, anno Domini 447.
Præter regulam fidei, quæ supra in fine Concilii Toletani primi excusa est, nihil extat. Incipit prædicta regula fidei sic:*

CREDIMVS in vnum Deum Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum sanctum, visibilium & invisibilium factorem, &c. *Vide supra loco allegato.*

N O T A.

Hispaniam
a barbaris
deuastatam
heretici in-
uaserunt, &
hunc Con-
cilium cele-
brando
causam de-
derunt.

S. Leonis
hortatu
Concilium
in Hispania
celebratū.

Concilium Hispanicum.] Cum ingruentibus barbaris, Vandaliis primum, Gothis atque Suevis, florentissima illa Hispaniarum ecclesia, sanctissimorum antistitum solita cultura careret, pulchra immutata facie, redditæ est velut ager incultus, vepribus vnde pletus ac spinis, in quibus feræ sua latibula quærebant. Accidit, quod dum S. Turibius Asturicensis episcopus, vehementi catholicæ veritatis ardore succensus, hac de causa Hispaniæ ecclesiæ lustraret, eiusdem bestiarum lustra inueniens, ad eas pellendas, earumque latibras destruendas, apostolicæ sedis, a qua Hispaniæ sincerum euangelium acceperant, subsidium implorauerit, atque per diaconum suum, Romam ad hoc opus alegatum, Leonem pontificem de his omnibus certiorem reddiderit. Quæ dum S. Leo exacte examinasset, redditis literis post alia eum admononuit, ut in Hispania generale Concilium celebraretur. *Habeatur ergo, inquit epistola 93. ad Turibium, intervos episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus*

ANNO
CHRISTI
446.
bus opportunus sit, vicinarum prouinciarum conueniant sacerdotes, ut se-
cundum ea que ad tria consulta respondimus, plenissimo disquiratur exa-
mine, an sint aliqui inter episcopos qui huius heresos (Priscillianistarum
scilicet) contagio polluantur, a communione sine dubio separandi, si ne-
fandissimam sectam per omnium sensuum prauitates damnare noluerint.
Et post nonnulla: Dedimus itaque literas ad fratres & coepiscopos no-
stros Tarragonenses, Carthaginenses, Lusitanos atque Galacos, eis
que Synodi generalis Concilium indiximus, &c.

His literis in Hispaniam perlatis, ad celebrandum generale Con-
cilium, episcopi diuersarum prouinciarum conuenerunt, Priscillia-
nam hæresim condemnarunt, atque contra eam regulam quamdam
fidei, de qua supra in principio diximus, cum aliquot capitulis edi-
derunt. Hæc summatim in actis Concilii Bracarense I. in p̄fatio-
ne, Lucretius est prælocutus, his verbis: *Credo autem vestre beatitu-
dinis fraternitatem nosse, quia eo tempore quo in his regionibus nefan-
dissime Priscilliana secta venena serpebant, beatissimus papa urbis Romæ
Leo, qui quadragesimus septimus fere apostoli Petri successor extitit, per
Turibium notarium sedis sua ad Synodum Gallicæ contra impiam
Priscilliana heresos sectam scripta sua direxit: cuius etiam precepto
Tarragonenses & Carthaginenses episcopi, Lusitani quoque & Bæti-
ci, factò inter se Concilio, regulam fidei contra Priscillianam hæresim
cum aliquibus capitulis describentes, ad Balconium tunc huius Braca-
rensis ecclesia præsulem direxerunt. Hæc de rebus in Synodo gestis.
Sed cum hæc ad Balconium Tarragonensem episcopum, totius Gal-
licæ primatæ & metropolitanum, scripta fuisse dicat Lucretius;
præterea etiam Galliciæ hoc tempore sub Rechilla Sueorum rege
fuerint, reliquæ autem Hispaniarum prouinciæ Theodorico, eius-
que filio Torismundo, & Gothorum regibus paruerint, probabile
admodum esse appareat, quod supra in notis Concilii Toletani I.
verbo *Regule* diximus, duo habita fuisse Concilia, quæ postea cum
Toletano primo coniuncta fuerunt. Vnum Toleti, cui Tarragonen-
ses, Carthaginenses, Lusitani & Bætici episcopi interfuerunt, & de
rebus in Synodo gestis ad Balconium Gallicæ primatæ literas de-
derunt. Alterum collectum est in Galicia sub Balconio in munici-
pio Celenensi apud Lucensem urbem. Quarum cum vna conue-
niendi causa & auctoritas fuerit, inque vnam & eamdem sententiam
conuenerint, in vnum conflata, & Toletano primo, collectoris
errore, coniuncta fuerunt. Vide quæ diximus in notis Concilii To-
letani I. verbo *Regule fidei*, & in notis Concilii Constant. I. verbo
Symbolum, & quæ infra dicemus in notis Concilii Bracarense I. ver-
bo *Turibium*.*

Duo hac de
re Concilia
in Hispania
celebrata
fuerunt,
vnum To-
leti, alte-
rum in Gal-
licia.

CONCILIVM
CONSTANTINOPOLITANVM I.
ZENONE ET POSTVMIANO CONSVLIBVS
CELEBRATVM,

Quo sub præsidio Flauiani Eutyches archimandrita con-
demnatus est, sub pontificatu Leonis anno
Domini CCCCXLVIII.

*Acta huius Concilii extant apud Concilium Calchedonense,
actione 1. Incipiunt sic :*

CONSVLIBVS Flauio Zenone & Postumiano viris cla-
rissimis, sub die sexto Idus Nouembris, &c.

N O T A.

Quare Eu-
tyches ac-
cufatus.

Eutychiana
heresis
qua?

Secunda
actione
Concilii
Eusebius
fidem or-
thodoxam
proficitur
& confir-
mat.

Tertia a-
ctione 1.
citatio cū
responso
Eutychetis
reproduci-
tur.

Concilium.] Cum in causa Florentii Sardiorum metropolitani aduersus episcopos sub eo constitutos Ioannem & Cossinium, Flauio Zenone & Postumiano consulibus, anno nimirum Domini 448. Concilium haberetur Constantinopoli, Eusebius Dorylaei episcopus, cum vulgatam incerto auctore nouam heresim, qua docebatur in Christo Domino ante incarnationem duas, post incarnationem vero non duas, sed unam dumtaxat fuisse naturam, ab Eutyches archimandrita praedicari ac doceri præsens audiuerisset, nihilque piis admonitionibus apud eum profecisset, scriptum aduersus eum querelarum libellum huic Synodo legendum obtulit, petens, dum letus esset, eiusdem copiam Eutycheti communicari, & ad sui defensionem citari. Cum citatio prima auctoritate Concilii decreta & nondum executa fuisse, secunda actione pridie Idus Nouembris Synodo presto fuit Eusebius, eamque, quam semper coluit, fidem reatam, palam ex scriptis Cyrilli exponit, eademque se sapuisse ac etiamnum sapere profitetur: ostendit etiam sanctos & orthodoxos patres semper in Christo duas naturas in una eademque persona coniunctas agnouisse. Quæ quidem, ut sancte pieque dicta, ab omnibus qui præsentes erant patribus, singulis candidum calculum porrigitibus, recepta atque probata fuerunt.

Inchoata rursum actione tertia, decimoquinto Nouembris, feria 2. ad instantiam Eusebii contra Eutychetem querelam suam prosequentis, Decreto Synodi prima citatio per Ioannem & Andreā executata, in iudicio reproducta fuit. Postquam autem vterque retulisset, Eutychetem respondisse, se monasterio suo non egressurū, dixisse etiam se paratum esse expositioni sanctorum patrum, qui in Nicæa, & in Epheso congregati sunt, consentire, eorumque interpretationibus, quatenus scripturæ conformes essent, & non aliter (quod

ANNO CHRISTI 448. hæreticorum est) subscribere, ad instantiam Eusebii per Mamantem & Theophilum presbyteros Eutyches secundo citari iussus est. Quibus abeuntibus, & scriptam citationem exequentibus, Eusebius ad suæ querelæ & accusationis probationem addidit, Eutychetē de sua hærefi libros scripsisse, eosque ad diuersa monasteria misisse, eo fine, ut subscriptione abbatum & monachorum aliorum approbarentur. Quod cum Flauianus testimonio Abrahamii presbyteri verum esse cognouisset, ablegauit ex Synodo diuersos ad diuersa monasteria, qui missum ab Eutychete fidei tomum inquirerent, & ad Synodum referrent. Cum post hæc responsum simile priori retulissent illi qui secundam citationem executi fuerant, instituit tertio Eusebius accusator, vt vel inuitus Eutyches ad Synodum trahatur. Tum vero secundum iudicij formam a sancta Synodo decretum est, vt per Memnonem sacrorum vasorum custodem, Epiphanium presbyterum, & Germanum diaconum tertio citaret. Traditus est illis libellus citationis scriptus, quo significabatur, ut post diem sequentem, feria quarta, ad decimam septimam mensis Nouembbris Eutyches iudicio pœsto esset.

Interea actione quarta, sequenti die, qui erat 16. Nouembbris, ad Synodum venit Abrahamius archimandrita, allegans Eutychetem ob ingrauescentem morbum venire non posse. Quam excusationem licet cum Flauiano reliqui patres acceptarent, per eumdem tamen Abrahamium Eutychetem moneri voluerunt, ut qui ad accusandum Nestorium monasterio egressus fuisset ad Concilium Ephesinum, idem ad sui defensionem egredi, & ad Concilium venire non recuset: maxime ideo quod plures verbo & opere scandalizasset: nihil peti aliud quam vt veniat, errorem suum aut defendat, aut deprecetur, & reuocet.

Actione quinta, quæ decimaseptima mensis Nouembbris habita fuit, ii qui ad tertiam citationem Eutycheti insinuandam missi erant, retulerunt se mandatum citationis fideliter executos fuisse: Eutychetem respondisse, quod Abrahamium archimandritam ad Synodum destinari, qui suo nomine diceret, se sanctorum patrum dictis & Nicæna Synodo acquiescere: quibus si sancta Synodus contenta non esset, vnius septimanæ inducias & dilationes peteret. Auditii sunt etiam illi qui a sancta Synodo missi fuerant ad monasteria, inquisituri de voluminibus ab Eutychete ad ea missis, retuleruntque archimandritas volumen fidei ab Eutychete missum accepisse; sed subscribere noluisse. Cum itaque Eusebius post causæ suæ defensionem instaret Eutychetem ex scriptis suis damnandum esse, ne tam præcox videretur esse iudicium, petitam septem dierum dilationem patres Concilii ei concesserunt.

Post tertiam citationem executam, inueteratus dierum malorum hypocrita, qui saepe contestatus fuerat, se e monasterio nequaquam egredi posse, licet totius Synodi iussu vrgeretur; dum hæc agerentur, ait Liberatus capite 11. refugiens Eutyches ad Theodosium imperatorem (more hæreticorum) impetravit ab eo per Chrysaphium

Concil. Tom. 7.

Pp ij

Decernitur
secunda ci-
tatio.

Post repro-
ductam fe-
cundam ci-
tationem
ad instantiā
Eusebii cō-
tra Euty-
chetē tertia
citatio de-
cernitur.

Actione 4.
Eutyches
per procu-
ratores
quemdam,
ob morbū
se venire
non posse
allegat.

Eutyches
dilationem
vnius septi-
manæ obti-
nuit.

300 LEO C. CONSTANTINOP. I. THEODOSIVS & VALENTINIANVS IMP. P.

eunuchum, quem ipse Eutyches susceperebat in sacro baptisme, ut cum Florentio patricio & magno consiliario Concilium ingredere-
tur: dicebat enim se Flauiani calumnias timere.

ANNO
CHRISTI
448.

6. actione
tertia cita-
tio repro-
ducitur.

7. actione
Eutyches
apparitura
militum sti-
patus com-
paruit, &
de hæresi
condemna-
tus fuit.

Epistola sy-
nodica ad
Leonem.

Eutyches
quid post
condemna-
tionem.

Sexta actione ad instantiam Eusebii, vigesima secunda Nouembris, audita est relatio eorum qui ad tertiam citationem peragendam deputati fuerat. Qui dum habitam cum ipso de fide disputatiunculam, eiusque responsum hoc, quod nulla poena depositionis a sententia deterri possit, exposuerunt, adueniente praescripto septem die-
rum termino, qui vigesimasecunda Nouembris expirauerat, septi-
ma actione magna militum apparitura stipatus adfuit, cum licentia & consensu patrum vna cum Florentio patricio in Synodus intro-
missus fuit. Cum in praesentia Florentii de hæresi conuictus ad pal-
nidiam induci non potuisset, iudicio omnium patrum haec senten-
tia in eum prolatam fuit: *Lacrymant & lugentes perfectam eius perdi-
tionem, decreuimus per Dominum nostrum Iesum Christum ab eo bla-
phematum, extraneum cum esse ab omni officio sacerdotali, & a nostra
communione, & primatu monasterii. Scientibus hoc omnibus qui postea
colloquentur ei, & ad eum conuenerint, quoniam rei erunt & ipsi pœna
excommunicationis, sicut non recedentes ab eius collocutione.* Huius sen-
tentia subscriberunt episcopi triginta duo, & archimandritæ qui
aderant vigintitres. De rebus in Synodo gestis Flauianus Leonem
pontificem certiore reddidit per epistolam, quæ extat post epist. 8.
Leonis, estque talis initii: *Nulla res diaboli venena compescit, &c.* Vnde Eutyches quoque subdolas & mendaciorum plenas scribit li-
teras ad sanctum Leonem papam, quas per regios ministros, Flauiani
literis malitiose detentis, citius Romam deferri obtinet. Ad pontifi-
cem quidem appellauit, eique blandis verbis correctionem pollici-
tus est; sed appellationi non est delatum. Mendacem quoque libel-
lum & fraudulentum Theodosio imperatori offert, quo se vim pas-
sum esse prædicat. Ut celebriores episcopos Italiae in suam senten-
tiam pertraheret, literas ad eosdem scripsit. Haec ex actis Concilii
recitatis in prima actione Concilii Calchedonensis, item ex epistola
Leonis duodecima ad Flauianum, ex Liberato diacono cap. 11. Ba-
ron. ann. 448. num. 19. & sequentibus usque ad 55.

C O N C I L I V M
V E L P O T I V S

IUDICIVM ECCLESIASTICVM TYRI,
in causa Ibæ episcopi Edessæ in Syria, ^bFlauio Ze-
none & Postumiano consulibus, celebratum.

*Acta huius Concilii extant in Concilio Calchedonensi, actione 9.
& 10. Incipiunt sic:*

Post consulatum Flauii Zenonis & Postumiani ve-
nerandorum virorum consulum, sub die quinto Ka-
lendarum Martiarum, &c.

N O T A E.

^a Concilium.] Ibæ Edessæ in Syria episcopus, a quatuor presby-
teris Edessenæ ecclesiæ, quos sua sententia excommunicauerat, prin-
cipio apud Domnum Antiochenum de hæresi Nestoriana accusatus
fuit, quasi post initam inter Cyrillum Alexandrinum & Ioannem
Antiochenum concordiam in antiqua sententia pro Nestorio con-
tra Cyrillum perstaret. Cum mandato Domni Antiocheni Ibæ ex-
communicatos absoluere, seque post festum Paschæ synodali iudi-
cio præsentem sistere iussus fuisset, quatuor vero presbyteri accusa-
tores, iuramento præstito promisissent, se non ante finem Synodi
Antiochia discessuros, accidit quod duo ex illis, Samuel & Cyrus
nominati, præstiti iuramenti parum memores, isthinc discesserint, &
imperatori supplicarint, petentes, ut quia Dominus Ibæ plus nimio
faueret, aliis iudicibus non partialibus causæ inquisitio committe-
re. Interea Dominus Antiochiæ Synodus celebrauit, duobus
tantum accusatoribus præsentibus, in qua post causam Ibæ inno-
center accusati præcognitam, duo accusatores absentes velut peri-
tri & calumniatores condemnati fuerunt. De rebus gestis Dominus
ad Flauianum Constantinopolitanum perscripsit. Cumque suppli-
cantibus periuris presbyteris imperator detulisset iudicium Ibæ tri-
bus aliis episcopis, Photio nimirum Tyri, Eustathio Beryti, & V-
ranio Himeriæ commisit, Damascium tribunum & notarium iudi-
cem cognitorem misit, mandans ei, ut iudicio præsens affligeret,
quæque dele&ti a se in ea causa iudices definirent executioni manda-
ret. Missus est etiam a Flauiano Constantinopolitano episcopo Eu-
logius diaconus. His omnibus Tyri præsentibus, vigesima quinta
Februarii inductionis primæ, ad dissidia tollenda tres episcopi pacis
sequestres agere cœperunt, idque conuenientissime statuerunt, vbi
Ibas Nestorii hæresim, ob quam potissimum accusatus fuerat, om-

Ibas a qui-
bus quave-
bus de causa ac-
cufatus.

Dominus
Antioche-
nus Conci-
lium indi-
xit.

Ibas abfol-
uitur An-
tiochiaz.

Acta huius
Synodi.

Ibas secundo
absolutur.
nesque alias ad eum spectantes execraretur: deinde fidem catholi-
campure, sincere & integre profiteretur. Quod cum ille præstisset,
cum a suspicione hæreseos absoluerunt: clericos etiam accusatores
cum suo episcopo reconciliarunt. Hæc breuiter ex actis huius Con-
uentus prædicto loco extantibus Baron. anno 448. numero 59.

Quo tem-
pore habi-
tum fuerit.
Ibas tertio
in iudicium
vocatus a
diuersis ac-
cusatori-
bus.
Actorum
lectio men-
dosa corri-
gitur.
b Flauio Zenone & Postumiano consulibus.] Hoc manifeste colli-
gitur ex altero Ibæ iudicio ecclesiastico, quod habitum est mense
Septembri, sub assignatis consulibus, postquam Tyrium iudicium
iam absolutum fuit. Nam illius acta exordiuntur: *Sub consulatu Fla-
uii Zenonis & Postumiani, &c.* Accedit quod sequens iudicium
Berytense dicatur ibidem habitum fuisse Theodosio imperatore
& Flauiano episcopo Constantinopolitano iubentibus: plane itaque
liquet id hoc anno contigisse, non autem sequente, quo tempore
iam Anatolius in locum Flauiani in pseudosynodo Ephesina subro-
gatus erat: nam dicitur in actis eiusdem Conciliabuli, quod mense
Augusto Flauianus e gradu suo depositus fuerit. Vnde patet, quod
in exordium actorum, quæ habentur in hoc Concilio Calchedo-
nensi loco prædicto, mendum irrepserit, & pro eo quod legitur
ibidem: *Post consulatum Zenonis, &c. legendum esse: Sub consulatu
Zenonis & Postumiani.* Baron. anno 448. num. 57.

CONCILIVM SE V P O T I V S

IVDICIVM ECCLESIASTICVM BERYTI,
in causa Ibæ, Flauio Zenone & Postumiano consulibus
celebratum, mense Septembri, anno CCCC XLVIII.

*Acta Synodi Beryensis extant act. 10. Concilii Calchedonensis,
Incipiunt sic:*

SVB consulatu Flauii Zenonis & Postumiani virorum
clarissimorum sub die Kalendarum Septembris, indi-
ctione secunda, (*verius prima*) &c.

N O T A.

Ibas tertio
in iudicium
vocatus a
diuersis ac-
cusatori-
bus.
Prima ca-
lumnia Ibæ
obiecta, &
refutata.
* *Concilium.*] Ibas cum duobus aliis episcopis de nouo a tribus
diuersis Edessenæ ecclesiæ presbyteris in iudicium vocatus, apud
Flauianum Constantinopolitanum episcopum accusatus fuit: ve-
rum is cognitionem causæ tribus iisdem iudicibus episcopis Bery-
ti, Tyri & Himeræ, qui præcedenti iudicio interfuerant, com-
misit. Primo obiectum est, quod blasphemiam horrendam dixisset
hanc: *Non inuideo Christo factò Deo: in quantum factus est, & ipse
factus sum. Vel, Si voluero, & ipse ut ille fieri possum. Quam Ibæ testi-*

ANNO CHRISTI 448. ficatione totius cleri Edesseni ad episcopos iudices transmissa, omnino diluit. Secundam calumniam hanc adduxerunt, quod sanctum Cyrilum hæreticum appellasset, ideoque non temere Nestorianus esse videretur. Respondit Ibas, id quidem ante initam cum Ioanne Antiocheno concordiam a se factum esse; ab eo autem tempore, quo opera & studio Pauli Emeseni inter utrumque pax composita fuit, nunquam accidisse. Cum illi contra uersisset, post factam ueriusque reconciliationem Cyrilum ab Iba hæreticum esse nominatum, idque ex eius epistola ad Marim Persam scripta probari posse asseruerunt, illius epistolæ fragmentum, quod actis Calchedonensis Concilii actione decima intextum habetur, editum fuit. Hanc epistolam suam esse agnouit Ibas, sed cum in ea nihil eorum quae ob*Ibas absolu*
uiciebantur probari posset, episcoporum iudicio absolutus fuit. Pa
tres Calchedonensis Concilii eamdem sententiam confirmarunt.
Sed cum hac occasione Nestoriani spargerent epistolam Ibæ, qua laudes Theodori Mopsuesteni, & vituperia Cyrilli Alexandrini continentur, a patribus Calchedonensis Concilii approbatam & receptam fuisse, quinta Synodus oecumenica collatione octaua eam merito condemnauit, quippe quæ in orthodoxum scriptorem, grauius quam oportebat, inuochatur, & Theodorum Mopsuestenum hæreticum nimium laudet. Quod vero non epistolam, sed auctorem epistolæ tantum patres Calchedonensis Concilii horum iudicium sententiam imitata calumnia aduersariorum absoluerint, iudicauerintque eum fautorem Nestorianæ hæreseos esse desuisse, post initam Cyrillicum Ioanne Antiocheno concordiam, catholicum & orthodoxum esse infra dicemus in notis Concilii Calchedonensis, verbo *approbatum*. Vide Baronium anno 435. numero 11. & 12. & anno 448. numero 61. & sequentibus, usque ad 77. & quæ infra notabimus in Concilio quinto, collatione octaua.

ANNO CHRISTI 449.

CONCILIVM
CONSTANTINOPOLITANVM II.
IN CAVSA EVTYCHETIS.

Acta huius Concilii extant in Concilio Calchedonensi, actione prima. Incipiunt autem sic:

FLAVIO Protogene viro clarissimo, & qui fuerit nuntiatus, consulibus, sub die quinto Iduum Aprilium, &c.

NOTA.

* *Concilium.] Damnato Eutychete (vt vidimus supra Concilio Chrysaphio eu-*
nuchio I.) Chrysaphius eunuchus imperatorii cubiculi nuchus

Concilium
imperavit.

præfectus nullum non mouit lapidem , vt acta synodalia a Flauiano legitime confecta plane irrita reddat , & in ipsum Flauianum damnationis pœnam conuertat. Permouit itaque imperatorem , vt pro Eutychete ad Leonem pontificem scribat : & vt iudicium atque examen Eutychetis prius eludatur , persuadet imperatori , vt confessim Constantinopolim triginta episcopos conuocet , qui sub præficio Theodosii Cæsarea Cappadocia episcopi , Eutychetis causâ potissime cognoscant. Mira celeritate res confecta est. Quinto Idus Aprilis anno Christi 449. qui est 10. Leonis , Synodus inchoata est. Interfuerunt triginta episcopi , quorum nomina in actis Concilii Calchedonensis prædicto loco recensentur. Inter eos Florentius patriarchus ab imperatore missus est , vt interesset. Theodosius Cæsarea Cappadocia episcopus Synodo præsidere iussus fuit. Interea ante omnia , contra ius & æquitatem omnem , ab imperatore concessum est Eutycheti per procuratorem causam suam in Synodo agere , accusatorinequaquam. De ordine iudicii non obseruato , de querelis Eusebii episcopi Dorylai non auditis exceptum est , sed nihil imputatum. Pro Eutychete causam acturi cum libello eiusdem Eutychetis intromissi sunt in Synodum Constantinus , Eleusius & Constantius monachi. Quibus intromissis Macedonius tribunus & notarius nomine imperatorum ab omnibus episcopis iuramentum assertorium exegit , sed intercessione Basilii obtentum est , ne episcopi iurare cogerentur. Post hæc ordine rerum oblatus est ad legendum libellus Eutychetis , quem iam ante damnatus imperatoribus obtulerat. Recitato libello , acta Constantinopolitani Concilii vera & originalia a notariis eiusdem Concilii exacta & lecta fuerunt. Ea quæ produxerunt Eutychetis procuratores , originalia quidem , sed aliunde mendose descripta esse cognitum fuit. Cum allegassent procuratores Eutychetis appellationem apud episcopos prioris Constantinopolitani Concilii interpositam , ex actis omniumque episcoporum præsentia ostensum est , id nequaquam contigisse. Hæc cum prima sessione habita fuissent , contigit ut vigesima septima eiusdem mensis Aprilis iidem triginta episcopi conuenissent . Vbi oblatus Eutychetis libellus legi iussus est , Silentarius testatus est , se a Flauiano accepisse , quod Eutychetem ipse , concepta in scriptis sententia , condemnasset , antequam Synodi actio cogeretur. Asterii cuiusdam testificatione dictum & in acta relatum est , ipsa prioris Synodi acta a notariis immutata fuisse. His cauillis legitimæ damnationi Eutychetis , a priore Synodo factæ , illusum fuit. Flauianus deinde fidei confessionem edere iussus , paruit , eamque , quæ extat initio præambularium in Concilio Calchedonensi , epistolam , fidei dogmata continetem , scripsit , & ad imperatorem transmisit. Postquam ergo nihil probatum est notariis , (inquit Liberatus diaconus cap. 12.) de falsitate gestorum , ad instantiam Eutychetis Dioscorus Alexandrinus aliam vniuersalem Synodum Ephesi celebrandam ab imperatore impetravit. Vide Baron. anno 449. num. 11. & sequentibus.

Tempus
Concilii.Numerus
episcopo-
rum.Quid actū
in Conci-
lio sessione
I.Sessionis se-
cundæ acta
quæ.Acta syno-
dalia a no-
tariis cor-
rupta.

LEO C. EPHESINVM II. THEODOSIVS² VALENTINIANVS³ IMPP. 305

ANNO
CHRISTI
449.

* CONCILIABVLVM
EPHESINVM SECUNDVM,
VNIVERSALE REPROBATVM,

Quo^d centum & viginti octo episcopi, anno Domini
CCCCXLIX.^f Eutychetem absoluerunt, hæresim eius-
dem confirmarunt, & Flauianum cum quibusdam aliis
episcopis condemnarunt.

g Acta Conciliabuli a notariis Dioscori confecta extant in Concilio
Calchedonensi, actione prima. Incipiunt mendose sic:

h TEMPORE Zenonis & Postumiani venerabilium
consulum, sub quarta Idus Augusti, indictione ter-
tia, &c.

N O T A E.

* Conciliabulum.] Theodosius imperator, Chrysaphii eunuchi
fraude & dolo inductus, usurpata sibi pontificia auctoritate, Syno-
dum oecumenicam contra ius & consuetudinem ecclesiae indixit, Ho^e Con-
ciliabulum ab impera-
tor^tore indi-
ctum.
datoque ad Dioscorum Alexandrinum rescripto, eum Synodi præ-
sidem constituit, concessa eidem facultate adducendi quos vellet
episcopos, quiue Eutychetis cause contra Flauianum fauerent.
Hæc Liberatus diaconus in breuiario cap. 12. Nicephorus libro 14.
capite 47. Qua occasione accidit, quod illi qui constantissime ad-
uersus Eutychetem fidem catholicam de duabus naturis in Christo
propugnaturi erant, tamquam Nestoriana hæreseos fautores, Ibas
nimirum & Theodoretus, ab aditu Concilii prohiberentur, con-
tra vero illi qui Eutychetis studiosissimi erant, tamquam acerrimi
Nestorianæ perfidiæ impugnatores, Synodo interesse & præesse iu- Episcopi
quales con-
uocati.

Quoniam vero imperator non ignorabat Cœciliū oecumenicum
nullum fore, quod absque Romani pontificis auctoritate indictum
esset, illud iniit consilium, ut eum quidem vocaret, sed tamen ne vel
per se, vel etiam per legatos adesset, caute admodum præcaueret. Et
quomodo id factum? Primū angustissimo termino tempus clausit, vt Pontifex
non nisi magno incommodo adesse posset. Et quia præter antecesso-
rum consuetudinem atque exemplum esse sciebat, vt ipse pontifex vocatus ad
in persona propria Concilio vniuersali interesset, scribens ad Leonem
pontificem, eius personam huic Synodo præsentem esse petiuit. Pontifex
restituit im-
peratoria
Principia.
Hæc ex epist. Leonis 13. Cum pontifex literas Theodosii accepisset, mala, qua^e ecclesiæ suæ imminere præfigiebat, anteuertere conatus, persuasit imperatori, ut si in Italia Conuentus episcoporum ha-
beri non posset, plane omitteretur, eo quod in re adeo perspicua tan-

Concil. Tom. 7.

Qq

ta consultatio non esset adhibenda. Sed cum hac in re frustra labo-
rasset, ne per absentiam Romani pontificis causa fidei aliquod dis-
pendium pateretur, tres legatos a latere misit, Julianum Puteola-
num episcopum, Renatum presbyterum cardinalem tituli sancti
Clementis, atque Hilarum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem
diaconum. His illam encyclicam epistolam ad Flauianum inscri-
ptam, quæ supra inter Leonis extat decima, dedit, eo consilio, vt in
Conuentu episcoporum legeretur, & quid de Verbi incarnatione
sentiendum sit, vniuersa Synodus intelligeret. Appropinquante
iam die cogendæ Synodo præstituta, imperator magistratu suo,
quem interesse iusserat, scripto diligenter curare mandauit, vt epi-
scopi qui in Synodo Constantinopolitana causam Eutychetis iu-
dicassent, nihil interloquantur. Vnde non immerito Synodus præ-
datoria seu latrocinium Ephesinum est nominatum hoc Concilium,
a quo veritatis defensores alii profugantur, alii in exilium deportati
miserrime tandem occiduntur. Hæc ex actis Conciliabuli, Liberati
diaconi breuiario cap. 12. Nicephor. lib. 4. cap. 47. ex Leonis episto-
la, Euagrio lib. 1. cap. 9. & 10. Baronius anno 449. num. 21. & se-
quentibus. Conciliabulum appello hunc malignantium episcopo-
rum Conuentum, quod teste Liberato cap. 13. synodali iudicio defi-
nitum, atque lege imperatoria sancitum fuerit, ne synagoga diabo-
li nomen Concilii obtineret.

Encyclicam
epistolam
ad Flauia-
num misit.

Synodus
prædatoria
seu Ephesi-
num latro-
cinium.

Vniuersale
Concilia-
bulum.

Redargui-
tur Caluin-
mendaciū.

Reprobatur

^b *Vniuersale.*] Quod hæc pseudosynodus Ephesina œcumonica
habita sit, aperte testatur sanctus Gregorius magnus lib. 6. epist. 31.
Iud. 15. Ad Flauiani Concilium improbandum, Eutycheten inter-
cessore Dioscoro vniuersale Concilium expetiuisse, nutuque imper-
atoris impetrasse, testatur Liberatus diaconus in breuiario cap.
12. his verbis: *Vrgebat apud principem vniuersale fieri Concilium, ut
improbaretur Concilium Flauiani. Scriptit ergo Dioscorus Theodosio im-
peratori, quia aliam fieri Synodum oportet, & quæ ut fieret persuasit Eu-
tyches: annuit imperator.* Initio Concilii Calchedonensis Dioscorus
in iudicium vocatur, *quod Synodum ausus est facere sine auctoritate se-
dis apostolice, utique œcumenicam & vniuersalem, qualem ab alio
quam Romano pontifice indici, nunquam licuit, nunquam factum est.*
(provincialium Synodorum, quas metropolitani indixerunt & con-
uocarunt, plurimæ sunt) Hanc igitur Synodum, quam factio Dio-
scori Theodosius imperator indixit, cui Dioscorus auctoritate impe-
riali præsedidit, ad quam Leo pontifex non semel inuitatus legatos a la-
tere ablegauit, vniuersalem fuisse, dubium esse nequit. Mentitur
Caluinus, quod legati sessionem primam, sibi nomine pontificis iure
debitam, concedi non postularint. Scribit enim Liberatus in bre-
uiario cap. 12. legatos Romani pontificis, cum Dioscorum præside-
re vidissent, noluisse in Concilio sedere, nisi præsidentiam, quam
contra æquitatem ab imperatore extorserat Dioscorus, pontifici ce-
deret. Vide Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 6. & 19. Posseuinum in ap-
paratu sacro verbo *Ephesina secunda Synodus.*

^c *Reprobatum.*] Cum hæc Synodus neque legitima auctoritate

ANNO CHRISTI 449. indicata sit, eidemque alias quam pontifex Romanus per se aut suos est Conciliū.
legatos præsederit, denique in eadem nil nisi per vim & metum ten-
tatum, atque loco sacrorum librorum gladii & fustes adhibiti fue-
rint, non immerito a Leone pontifice est improbata, vt ex epistola
eiudem Leonis 22. ad clerum & populum Constantinopolitanum,
24. ad Theodosium, item ex epistola 25. ad Pulcheriam cognoscere
licet. Maiores nostri prædatoriam Synodus iustissime appellarunt, Cur præ-
datoria Sy-
nodus no-
minata fue-
rit.
quod in ea apostolie sedis legatis repugnantibus Eutyches absolu-
tus, Flauianus aliqui catholici condemnati, & ad subscriendum
iniquæ sententia plerique episcopi per minas & vim, intentatis exi-
liis, catenis, fustibus & gladiis adacti fuerint.

^d *Centum & vigintiocto episcopi.*] Quorum omnium nomina re- Numerus
censentur in actis huius Conciliabuli, extantibus infra actione episcopo-
prima Concilii Calchedonensis. Nonnulli tamen eorum per suos vi- rum.
carios ad hoc missos interfuerunt. Præsto etiam fuerunt apostolicæ
sedis legati supra nominati. Dioscorus Alexandrinus non tantum
præfuit, sed etiam locum primum sibi indebitum auctoritate impe-
ratoris occupauit.

^e *Anno Domini 449.*] Qui est decimus Leonis, & 42. Theodosii Tépus ha-
imperatoris. Id ex actis vtriusque Constantinopolitani Concilii eu-
denter apparet. Mense Nouembri anni 448. sub consulatu Zenonis
& Postumiani Constantinopolitanam primam contra Eutychetem
habitam esse, restatur initium eiusdem Concilii. Sub consularu Pro-
togenis consignata habentur acta secundæ Synodi Constantinopo-
litanae in causa eiusdem Eutychetis, anno 449. celebratæ: post quam
eodem anno mense Augusto habitam esse liquet hanc pseudosyno-
dum Ephesinam. Hæc igitur verba quæ habentur principio acto-
rum huius Concilii: *Tempore Zenonis & Postumiani venerabilium Acta Con-*
consulum indictione tertia, mendosa sunt & surreptitia. Emendari & cilii emen-
dantur.
restitui possunt hoc modo: Sub consularu Zenonis & Postumiani, &c.
indictione secunda. Primus hæc obseruauit accuratissimus annalium
scriptor Baron. anno 448. num. 58.

^f *Eutychetem absoluerunt.*] Cum omnes simul in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ confedissent, Dioscorus literas imperatoris sibi datas legi mandauit. Legati sedis apostolicæ postquam de sua commissione & legatione Synodum informassent, & Leonem papam quod in persona propria non comparuisset excusassent, ex eo quod Romani pontifices non nisi per legatos extra urbem Synodis interesse consueuissent, encyclicam illam epistolam Leonis de Verbi incarnatione ad Synodum & ad Flauianū transmissam legendam obtulerunt. Dioscorus vbi eam accepisset, iuramento quidem promisit fore vt legeretur, sed parum præstigi iuramenti memor ex composito varias imperatoris epistolas legi ac recitari præcepit, vt a legenda Romani pontificis epistola præsente auocarentur: quamobrem non iniuste act. 3. Concilii Calchedonensis Dioscorus per iurii est accusatus. Absoluta recitatione literarum imperatoris, facta est suggestio de fide agendum esse: contra Dioscorus ex decreto impe-

Concil. Tom. 7.

Qq ij

ratoris de controvrsiis inter Flauianum & Eutychetem Constanti-
nopolis oboris tractandum esse respondit. Hoc idem placuisse epi-
scopis omnibus notarii Dioscori falso excepereunt, prout acta Con-
ciliis Calchedonensis actione prima aperite demonstrant. Ingressus
in concessum episcoporum Eutyches, libellum fidei obtulit. Quo
recitato, Flauianus Eusebium Dorylai episcopum accusatorem au-
diri petiuit: sed frustra, quasi non fuerit Flauiani aliquid in hac Sy-
nodo petere, cum olim Eutychetis iudex, hic vero cum Eusebio
reus dumtaxat assisteret iudicandus: ita facti turpitudinem in Con-
cilio Calchedonensi comes Elpidius excusauit. Deinde acta Con-
stantinopolitani Concilii publice legi voluit Dioscorus. Legati au-
tem non ante illud admittendum esse dixerunt quam epistola ency-
clica pontificis lecta foret. Cum Eutyches oppositam legatorum
contradicitionem suspectam allegasset, eo suspicionis argumeto, quod
apud S. Flauianum mansissent, & cum eo pransi fuissent, Dioscorus
incompetenti exceptione attenta, legatorum petitionem repulit,
ipsisque inuitis acta Constantinopolitana legi permisit. Quae dum
legerentur, illi qui Dioscoro abblaniebantur, bis tvere Eutychia-
nam hæresim clamoribus suis interpositis confirmarunt. Lectione
actorum absoluta, a Dioscoro eiusque sectatoribus, reclamante Fla-
uiano, Eutyches est absolutus: dolendum est Domnum Antioche-
num, Iuuenalem Hierosolymitanum, Stephanum Ephesinum, alios
que insignes episcopos, minis exilii & depositionis in eam ruinam
principites inductos esse, quod impii hæresiarchæ absolutionem sub-
scribendo ratam habuerint. Post haec iussu Dioscori acta prioris Sy-
nodi Ephesinae, quæque ibi de fide statuta fuerint, lecta fuerunt, inflig-
ta excommunicationis poena illi qui aliter sentiret. Probatis omnibus
quæ in sacro sancta Synodo Ephesina statuta erant, Flauianus Con-
stantinopolitanus, Eusebius Dorylai, Ibas Edessenus, Theodoretus
Cyri episcopi condemnati, sedeq[ue] episcopali, surrogatis aliis, amo-
ti fuerunt. In locum Flauiani Anatolius, & pro Iba Nomius suffici-
fuerunt. A Flauiano & Theodoreto ad sedem apostolicam appella-
tum esse, ex actis Concilii Calchedonensis, epistolis Theodoreti II.
&c. aliisque scriptoribus liquidissime constat. Sententiam in Flaui-
anum & Eusebium pronuntiatam, præter legatos pontificios, sub-
scriptione sua omnes fere episcopi approbarunt. Quod qua ratione
acciderit, in Synodo Calchedonensi, Dioscoro praesente, testatus
est Acacius episcopus his verbis: *Pure chartæ subscriptissimus compulsi*
& violenter, & multa mala perpeſi, noientes, sed & per potentiam op-
preſi ſubnotauimus. Vſque enim ad vſperam tenuerunt nos recludentes
in ecclesia, & agrotantes nos neque quiescere permiferunt, neque concedere
ut aliquantulum refocillaremur, ſed milites nobis cum fūſtibus & gladiis
impoſuerunt, & ſic nos fecerunt ſubnotare.

Flauianus
cum filiis
quibusdam
orthodoxis
condemna-
tur & de-
ponitur.

Præter le-
gatos apo-
stolicæ fe-
dis, omnes
fere episco-

In hoc tam horrendo episcoporum suffragio sola nauicula Petri
incolumis emergens saluatur. Legati enim apostolicæ sedis Dio-
scoro audacissime in faciem restiterunt, constantes nullius roboris
esse, quæ per vim & metum extorquerentur. Quæ contestatio

ANNO CHRISTI 449. et si in actis quæ Dioscorus , ut diximus supra , per suos notarios ad libitum confici voluit , desideretur ; est tamen de his expressa mentio in pluribus literis Leonis Romani pontificis ad Theodosium & Pulcheriam datis . Hilarum Dioscorus , (ne quæ tyrannice gesta erant Romano pontifici nuntiarentur) vi adhibita retinere tentauit ; sed ipse ocius fuga elapsus , per inuia loca , perque multa pericula , ope diuina potius quam humana liberatus , Romam peruenit , atque pontifici singula , prout gesta fuerant , enarrauit . Ex literis Pulcheriæ Augustæ ad Leonem Romanum pontificem , quæ extant inter præambulares Concilii Calchedonensis , constat episcopos qui subscribere recusarunt , a Dioscoro per milites in exilium deportari iusfos esse . Cum Flauianus post interpositam viua voce appellationem , animo prosequendæ eiusdem appellationis , scriptum libellum appellatorum legatis obtulisset , *Cœsus est* , inquit Liberatus diaconus in breuiar . cap . 12 . & multis iniuriis affectus , dolore plagarum migravit ad Dominum . Hunc tandem finem consecuta est Synodus œcumene-
nica , quam a S. Leone improbatam , maiores nostri iure præda-
toriam appellarunt : in qua omnia per vim & metum extorta : in qua loco sacerorum librorum gladii atque fustes : in qua suffragiorum libertas fuit vinclata catenis : in qua pro Dei laudibus auditæ sunt militum minæ : in qua perfidus hæresiarcha præses & patronus : in qua hæresis est stabilita : in qua nullus iudicii sacri ordo seruatus , nulla viguit censura Canonum & Decretorum : in qua siluerunt episcopi , clamauerunt hæretici : in qua de oppressa fide catholica impietas triumphauit , & de manubiis lapsorum episcoporum diabolus trophae erexit , atque tandem de cæde martyris superbis tyrannus Dioscorus triumphauit : de qua in vniuersa ecclesia catholica audi-
ti sunt vindique gemitus , luctus & clamor : de qua iidem ipsi qui subscripterant orientales ecclesiæ præsides repleti sunt yndique lacrymis , semetiplos erubescentes , suorumque aspectum vitantes , quod tam ignauiter fidem catholicam perdidissent , infamem hæresiarcham restituissent , & innocentissimum Flauianum vna cum aliis sanctis episcopis condemnassent . Baron . an . 449 . n . 77 . & sequentib .

^a *Acta Conciliabuli .*] Hæc acta a notariis Dioscori confecta , de falsitate non semel a patribus Calchedonensis Concilii conuicta fuerunt . Habebant enim , quod cum dixerat Dioscorus non de fide , sed de controuersia Eutychetis & Flauiani agendum esse , id omnes episcopi suo calculo confirmassent : contra quod in Conc . Calchedon . act . 1 . demonstratum fuit , nihil huiusmodi ab episcopis dictum esse . Patet factum est etiam quod iidem notarii in notarios Stephani Ephesi-
ni episcopi impetum fecerint , quodque hi recens scripsierant , illi deleuerint , tanta vi adhibita , vt eorum thecas diripuerint , digitosque resistentium pene confregerint . Baron . ann . 449 . nu . 79 .

^b *Tempore Zenonis & Postumiani .*] Hæc verba mendosa esse , atque Nota con-
sic emendanda : Post consulatum Zenonis & Postumiani inductione se-
cunda , &c . dixi & probavi suprà verbo , Anno Domini 449 . in fine .
fularis in
actis appo-
rata , et mā-
dofa .

CONCILIVM BRITANNICVM,

A S. GERMANO ALTISSIODORENSI EPISCOPO

magnaque clericorum & laicorum numero contra renascentia
(ut videtur) Pelagianæ hæresis virgulta, & contra ince-
stuosas regis Vortigerni cum filia sua nuptias celebratum.

Bed.lib. 1.c.
21. & Mat.
VVest.in an-
no 449.

EODEM anno (videlicet 449.) nuntiatum est in Britan-
nia Pelagianam peruersitatem iterato paucis aucto-
ribus de nouo pullulasse, rursusque ad beatissimum vi-
rum Germanum preces sacerdotum omnium deferun-
tur, vt causam Dei, quam prius obtainuerat, tueretur.
Quorum petitioni festinus obtemperat. Nam adiuncto
sibi Seuero totius sanctitatis viro (qui erat discipulus bea-
tissimi patris Lupi Tricassinorum episcopi, & tunc Tre-
ueris ordinatus episcopus gentibus primæ Germaniæ
verbum Dei prædicabat) mare concendit, & conser-
tentibus elementis tranquillo nauigo Britannias petiit.

Mat.VVest. Prædicationis igitur antidoto vulnera sanat incredulita-
tis, & apostema blasphemiarum doctrinæ curat medicina,
omniumque sententia, prauitatum peruersitas cum suis
auctoribus condemnatur. Factumque est vt in illis locis
multo ex eo tempore fides intemerata perduraret. Ita
compositis omnibus, beati sacerdotes ea qua venerant
prosperitate redierunt. *Hæc de Pelagianis virgultis Beda &*
Matthæus VVestmonasteriensis.

De incestuosis Vortigerni cum filia nuptiis sic (inter
alios) in codice MS. Nennius, cap. 37.

Et super hæc omnia mala adiiciens Guorthigirnus, ac-
cepit filiam suam proximam in vxorem sibi, quæ peperit
ei filium: hoc autem cum compertum est a sancto Ger-
mano, venit coriperé regem cum omni clero Britonum,
& dum conuenta esset magna Synodus clericorum &
laicorum in uno Concilio, ipse rex præmonuit filiam
suam, vt exiret ad Conuentum, & vt daret filium suum in
sinum Germani, diceretque quod ipse erat pater eius. Et
ipsa fecit sicut edoc̄ta erat. Sanctus Germanus eum beni-
gne accepit, & dicere cœpit, tibi pater ero, nec te per-

ANNO CHRISTI 449. mittam nisi mihi nouacula cum forcipe pectineque & ad patrem tuum carnalem tibi dare liceat. Mox ut audiuit puer, obediuit verbo senioris sancti, & ad auum suum carnalem, patremque carnalem Guorthigirnum perrexit, & dixit illi: Pater meus, tu caput meum tonde, & comam capitis mei pece. Ille autem siluit, & puero respondere noltuit; sed surrexit, iratusque est vehementer, & ut a facie sancti Germani fugeret, quarebat; & maledictus est, & damnatur a beato Germano & omni Concilio Britonum.

CONCILIVM ROMANVM III.

QVO LEO PONTIFEX ACTA

Ephesini Conciliabuli reprobauit.

N O T A.

* *Concilium.*] Cum moris esset ut ad tertium Kalendas Octobris Causa & singulis annis plurimarum prouinciarum episcopi ad Synodum ce-
lebrandam Romam conuenire solerent, opportune accidit, ut abs-
que alia episcoporum vocatione, post Hilari diaconi redditum, Ro-
mæ ex pristino visu sancta Synodus cogeretur; in qua cuncta, quæ
more prædonum Ephesi ab Eutychianis hereticis gesta erant, peni-
tus condemnata fuerunt. Ultra 15. Octobris anno 449. initium huius
Synodi dilatum non esse, epistolæ Leonis, quas post hanc Synodum
celebratam ad clerum Constantinopolitanum, Theodosium impe-
ratorem & Pulcheriam scripsit, manifeste satis ostendunt. De re-
bus in Synodo gestis Hilarus diaconus in fine epistolæ ad Pulcheriā
Augustam, quæ extat inter præambulares Concilii Calchedonen-
sis, hæc summatim perscripsit. *Vestra itaque veneranda clementia cog-
noscat a prefato papa cum omni occidentali Concilio reprobari omnia
quæ in Epheso contra Canones per tumultus & secularia odia a Diocoro
episcopo gesta sunt, & nulla ratione hac in his partibus suscipi posse, quæ
per potentiam predicti non sine lesione fidei, & prejudicio sanctissimi viri
innocuique commissa sunt.* Vide epistolas Leonis 22. ad clerum Con-
stant. 24. ad Pulcheriam 27. ad Flavianum 28. ad archimandritas.
Hæc cum Diocoro innotuissent, vix Alexandriam reuersus, habi-
to episcoporum Conuentu, in S. Leonem Romanum pontificem ex-
communicationis sententiā protulit, idque scelus perpetrauit, quod
nullus perditorum hominum cogitasset. Mirum est dictu, quod
cum Eutychianam fidem præcedente Conciliabulo confirmasset,
Diocorus episcopos plus minus nonaginta inuenerit, qui latam a se

Diocorus
Leonom
pontificem
excommu-
nicauit.

fententiam subscribendo confirmarint, & non potuerit nisi decem dumtaxat eosque lacrymantes & inuitos inducere, vt latam a se in Rom. pontificem excommunicationis sententiam chirographo suo approbarent. Adeo enim omnes inauditum haec tenus exhorruere facinus, portentumque insolitum execrati sunt, vt licet heretici facti essent, & catholicæ fidei aduersarii; sublimitatem tamen & maiestatem throni apostolici veriti & reueriti fuerunt. Vide Liberatum diaconum in breuiario c. 12. libellum Theodori diaconi extantem apud acta Concilii Calchedon. act. 3. Baron. ann. 449. n. 145. & seqq.

CONCILIVM
CONSTANTINOPOLITANVM

ANNO
CHRISTI
450.

ANNO DOMINI CCCCL. CELEBRATVM,

In quo Anatolius aliique episcopi confessionem ediderunt.

Fragmentum actorum huius Synodi ex rebus gestis sancti Abundii Comensis episcopi, qui fuit unus e quatuor legatis a S. Leone missis, sic se habet:

Episcopi
subscribunt
catholicæ
fidei.

ANATOLIVS episcopus Constantinopolitanus nouæ Romæ accepta epistola S. Leonis papæ de confirmatione catholicæ fidei contra vesaniam hereticorum, congregauit Concilium omnium episcoporum, archimanditarum, presbyterorum, & diaconorum: & ante conspectum omnium recitata est epistola S. Leonis papæ, quam beatus Abundius coram omnibus presentauit. Concordantibus testimonii Romanorum patrum ac Græcorum, Anatolius episcopus Constantinopolitanus huic epistolæ S. Leonis papæ continentι catholicæ fidei veritatem, concordantibus etiam testimonii patrum ab eadem apostolica sede decretorum, plena deuotione consensit & subscripsit, anathema dicens Eutycheti & Nestorio, & ipsorum dogmati cum sectatoribus eorum. Id ipsum fecere omnes qui aderant episcopi, presbyteri, archimandritæ, atque diaconi.

Mox sanctus Abundius, Asterius episcopus, Basilius & Senator presbyteri dixerunt: Omnipotenti Deo gratias: quoniam reuerendorum episcoporum, presbyterorum, archimanditarum, diaconorum, ac totius cleri

pro-

LEO CONSTANTINOPOL. P. I. VALENTINIANVS MARCIANVS IMP. 313

ANNO CHRISTI 450. professiones cognouimus, fidem rectam & a patribus traditam profiteri, sicut eorumdem subscriptio gestis presentibus inserta declarat. Ideo nos quoque, quia omnes hoc exigere & expectare comperimus, secundum ^{*accusa-}tionem ^{445.} ^{450.} venerabilis viri Eusebii episcopi Dorylai, & sententiam sanctae memorie Flauiani episcopi, vel assensum papae Leonis, qui ad insinuandam cunctis fidem catholicam nos Roma misit anathema dicimus Eutycheti, vel omnibus qui eius perfidiam sequuntur, & dicunt in Christo Domino ante incarnationem duas fuisse naturas, post incarnationem unam tantum naturam: cum catholica fides & ante incarnationem unam tantum Verbi fuisse, & post incarnationem duas, id est, Verbi & perfecti hominis, fateatur in una persona, inconfusa proprietate sui, manere naturas. Nestorio etiam, qui vesanum (vt legitur) dudum dogma dispersit, dicendo Dominum Iesum Christum ex Maria virgine hominem tantum, non etiam Deum natum: sed & sectatoribus eius in huiusmodi peruersitate durantibus anathema dicimus. Propter quod conuenit, ad confirmationem subscriptionis, sanctam quae praesens est fraternitatem, iisdem, vel omnibus qui eorum doctrinam sequuntur, anathema similiter dicere.

Dictum anathema Eutycheti & Nestorio.

NOTA.

^{*Concilium.}] Cum Theodosius imperator Anatolium Constantinopolitanum episcopum, in locum Flauiani subrogatum, confirmari petisset, adeoque iam omnibus lapsis episcopis, ab errore resipisciendi, & ad fidem catholicam reuertendi via aperta esset; visum est S. Leoni, ad Anatolii aliorumque lapsorum fidem probandam & confirmandam, mittere quatuor legatos a latere hos, Abundium, Asterium, Basilius, ac Senatorem presbyteros, qui lapsos redire volentes ad ecclesiam, a qua impie, Diocoro cogente, vel Eutychete fallente, turpiter defecerant, probarent. Hidum Constantinopolim venissent, literisque Leonis, quas ad Theodosium scripserat, Marcianno imperatori oblatis honorifice excepti essent, iussu pontificis Constantinopoli anno Domini 450. Leonis undecimo, Synodum habenti, & ex vicinis locis episcopos catholicos conuocari iusserunt. Primum omnium ex S. Leonis papae literarum praescripto Anatolius fidei confessionem edidit talem, quae in omnibus sancti Leonis papae scriptis consentiens & plane catholica inuenta fuit. Post Anatolium alii eamdem fidem professi fuerunt. Absentibus mandatum est, ut per suos legatos idem exequantur. Constat ex fragmento actorum Concil. Tom. 7.

Occasio eo-
uocati Cō-
ciliī.

Acta Con-
ciliī.

Rr

supradicto, & ex epist. Leonis 33. ad Theodosium, 34. ad archimandritas, & 35. ad Pulcheriam: item ex epistola Pulcheriæ ad Leonem, quæ extat inter præambulares Conc. Calchedonensis. Ex hac Synodo, per legatos apostolicæ sedis, ad singulos metropolitanos orientis missam esse epistolam Leonis 10. olim ad Flauianum datam, eo fine ut omnes eidem subscriberent, ea quæ habentur post actionem quartam Concilii Calchedonensis in causa Photii & Eustathii in Græcis codicibus testantur. In hac Synodo constitutum fuisse ut episcopis in Sathanico Conuentu Ephesino lapsis ad communionem ecclesiæ redire volentibus suæ tantum, non totius catholicæ ecclesiæ, communio concedatur, sicut etiam hoc, ne Dioscori Alexandri, Iuuinalis Hierosolymitani, & Eustathii Beryti episcoporum nomina in sacris nominarentur, ideo quod impœnitentes antesignani schismaticorum essent, epist. Leonidæ 40. aut 42. ad Anatolium scripta manifeste indicat. Vide Baronium prædicto loco.

SYNODVS S. PATRICII,
AVXILII ET ISSENNINI EPISCOPORVM,
IN HIBERNIA CELEBRATA,
Circa annum Christi CCCCL. vel CCCCLVI.

TITVL CANONVM.

- | | |
|---|---|
| I. De captivo in questionem, &c. | XIII. Ut non accipiatur eleemosyna gentium in ecclesiam. |
| II. De lectoribus, &c. | XIV. De Christiano occisore, fornicatore, vel aruspices consulente. |
| III. De clero vago. | XV. De Christiano furtum faciente. |
| IV. De collectis. | XVI. De Christiano credente laetiam in speculo. |
| V. De eodem. | XVII. De virginе Deo deuota, postea nubente. |
| VI. De clero sine tunica, sine Romana tonsura, & uxorem habente non velato capite ambulantem. | XVIII. Ut excommunicatus non introeat ecclesiam ante pænitentiam. |
| VII. De clero ad matutinas & vesperas non occurrente. | XIX. De muliere coniugata adultero nubente. |
| VIII. De clero fideiussore pro gentili. | XX. De fraudatore debiti. |
| IX. Ut monachus & virgo in simul non versentur. | XXI. De Christiano prouocante in iudicium extra ecclesiam.. |
| X. De negligentia in psallendo, & de comam nutriendo. | XXII. De patre consentienti filia nuptia in amore illicito. |
| XI. De susceptore clerici excommunicati. | XXIII. Ut presbyter non offerat in ecclesia non consecrata. |
| XII. Ut non accipiatur eleemosyna excommunicati. | |

LEO
P. I. S. PATRICII. VALENTINIANVS² MARCIANVS³ IMP. 315

- ANNO CHRISTI 450.
XXIV. De aduena plebe ingrediente. XXX. Vt episcopus in aliena paro-
chiae non ordinet.
XXV. De religio forum donis pon-
tifice in ecclesia habitante. XXXI. De clero conducente cle-
ricidam.
XXVI. De eodem.
XXVII. De clero episcopi nouo XXXII. De clero volente redi-
ingressore. mere captiuum.
XXVIII. De clero excommuni- XXXIII. De clero Britanno in
cato. Hibernia sine epistola veniente.
XXIX. De fratre baptismum sus- XXXIV. De diacono sine literis in
cepturo. aliam parochiam transiente.

Gratias agimus Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Presbyteris, & diaconibus, & omni clero, Patricius, Auxilius,
& Ifferninus episcopi, salutem.

P R A E F A T I O.

SATIVS nobis negligentes præmonere, quam culpare
quæ facta sunt, Salomone dicente, melius est arguere Ecclesiasticus 10.
quam irasci. Exempla definitionis nostræ inferius conscri-
pta sunt, & sic inchoant.

C A N O N E S.

I.

SI quis in quæstionem captiuus quæsierit..... in
plebe suo iure sine permis. meruit excommuni-
cari. II.

Lectores denique cognoscant,
vnusquisque ecclesiam in qua psallat.

III.

Clericus vagus non sit in plebe.

IV.

Si quis permissionem acceperit, & collectum sit
precium, non plus exigat quā quod necessitas poscit.

V.

Si quid supra manferit, ponat super altare pon-
tificis, vt detur alii indigenti.

Concil. Tom. 7.

Rr ij

VI.

Quicumque clericus ab ostiario usque ad sacerdotem sine tunica visus fuerit, atque turpitudinem ventris & nuditatem non tegat, & si non more Romano capilli eius tonsi sint, & vxor eius si non velato capite ambulauerit, pariter a laicis contemnentur, & ab ecclesia separentur.

VII.

Quicumque clericus ^{*}vissus negligentiae causa, ^{fatu, v.}
ad collectas mane vel vespere non occurrit, ^{fatu,} alienus
habeatur, nisi forte iugo seruitutis sit detentus.

VIII.

Clericus si pro gentili homine fideiussor fuerit
in quacumque quantitate, & si contigerit, quod
^{*}mirum non potest, per astutiam aliquam gentilis ^{forte,}
ille clero fallat rebus suis, clericus ille soluat debiti-
tum, nam si armis compugnauerit cum illo, merito
extra ecclesiam computetur.

IX.

Monachus & virgo, unus ab hinc, & alia ab aliunde, in uno hospitio non commaneant, nec in uno curru a villa in villam discurrant, nec assidue inuicem confabulationem exerceant.

X.

Si inceptum boni operis ostenderit in psallen-
do, & nunc intermisit, & comam habeat, ab eccl-
esia excludendus, nisi statim priori se restituerit.

XI.

Quicumque clericus ab aliquo excommunica-
tus fuerit, & alius eum susceperit, ambo coæquali
pœnitentia vtantur.

ANNO
CHRISTI
450.

XII.
Quicumque Christianus excommunicatus fuerit, nec eius eleemosyna recipiatur.

XIII.

Eleemosynam a gentibus offerendam, in ecclesiam recipi non licet.

XIV.

Christianus qui occiderit, aut fornicationem fecerit, aut more gentilium ad aruspicem meauerit, per singula crimina annum pœnitentiæ agat, impleto cum testibus veniat anno pœnitentiæ, & postea resoluetur a sacerdote.

XV.

Et qui furtum fecerit, dimidium pœniteat vingt^{forte re-}i diebus cum pane, & si fieri potest raptare repræsentet, sic in ecclesiam * renuetur.

XVI.

Christianus qui crediderit esse lamia in speculo, quæ interpretatur striga, anathematizandus, quicumque super animam famam istam imposuerit, nec ante in ecclesiam recipiendus, quam vt idem criminis quod fecit sua iterum voce * reuocet, & sic pœnitentiam cum omni diligentia agat.

XVII.

Virgo quæ voverit Deo, permanet casta, & postea nupserit carnalem sponsum, excommunicationis sit, donec conuertatur: si conuersa fuerit, & dimiserit adulterium, pœnitentiam agat, & postea non in vna domo, nec in vna villa habitent.

XVIII.

**Si quis excommunicationis fuerit, nec nocte Pa-
Rr ij**

scharum in ecclesiam .: non introeat , donec poenitentiam recipiat.

ANNO
CHRISTI
450.

XIX.

Mulier Christiana quæ acceperit virum honestis nuptiis , & postmodum discesserit a primo , & iunxerit se * adulterio, quæ hæc fecit excommunio-
nis fit.

XX.

Christianus qui fraudat debitum cuiuslibet , ri-
tu gentilium, excommunicationis sit donec soluat de-
bitum.

XXI.

Christianus cui dereliquerit aliquis & prouocat eum * inductum , & non in ecclesiam ut ibi ex-
minetur causa , qui sic fecerit alienus sit.

XXII.

Si quis tradiderit filiam suam viro honestis nu-
ptiis , & amauerit alium , & consentit filiæ suæ , & ac-
ceperit dotem , ambo ab ecclesia excludantur.

XXIII.

Si quis presbyterorum ecclesiam ædificauerit ,
non offerat antequam adducat suum pontificem ,
ut eam consecret , quia sic decet.

XXIV.

Si quis aduena ingressus fuerit plebem , non ante
baptizet , neque offerat , nec consecret , nec eccl-
esiæ ædificet , * nec permissionem accipiat ab epi-
scopo : nam qui a gentibus sperat permissionem ,
alienus sit.

XXV.

Si quæ a religiosis hominibus donata fuerint ,

ANNO CHRISTI 450. diebus illis quibus pontifex in singulis habitauerit ecclesiis, pontificalia dona, sicut mos antiquus, ordinare, ad episcopum pertinebunt, siue ad ysum necessarium, siue egentibus distribuendum, prout ipse episcopus moderabit,

XXVI.

Si quis vero clericus contrauenerit, & dona inuadere fuerit deprehensus, vt turpis lucri cupidus ab ecclesia sequestretur.

XXVII.

Clericus episcopi in plebe quilibet nouus ingressor baptizare & offerre illum non licet, nec aliquid agere, qui si sic non faciat, excommunicationis sit.

XXVIII.

Si quis clericorum excommunicationis fuerit, solus (non in eadem domo cum fratribus) orationem faciat, nec offerre nec consecrare licet, donec se faciat emendatum, qui si sic non fecerit, dupliciter vindicetur.

XXIX.

Si quis fratrum accipere gratiam Dei voluerit, non ante baptizetur quam vt quadragintessimum agat.

XXX.

Episcopus quilibet, qui de sua in alteram progressitur parochiam, nec ordinare præsumat, nisi permissionem acceperit ab eo qui in suo * principatum est, die dominica offerat tantum susceptione, & obsequi hic contentus sit.

XXXI.

Si quis conduixerit e duobus clericis quos discor-

dare conuenit per discordiam aliquam prolatum
vni e duobus hostem ad interficiendum, homicida
congruum est nominari, qui clericus ab omnibus
rectis habetur alienus.

X X X I I.

Si quis clericorum voluerit iuuare captiuo, cum
suo precio illi subueniat, nam si per furtum illum :.
inuiolauerit, blasphemantur multi clericu per vnum
latronem, qui sic fecerit excommunicationis sit.

X X X I I I.

Clericus qui de Britannis ad nos venit sine e-
pistola, & si habitet in plebe, non licitum mini-
strare.

X X X I V.

Diaconus nobiscum similiter qui * inconsultu
suo abbate sine literis in aliam .: paruchiam assen-
tiat, nec cibum ministrare decet, & a suo presby-
tero quem contempsit per pœnitentiam vindice-
tur, & monachus .: inconsultu abbate vagulus de-
cet vindicari.

SYNODVS ALIA S. PATRICII
ANNO INCERTO.

TITVL CI CANONVM.

- | | | |
|--------------|---------------------------------|--|
| Iac. Sirmō- | I. De habitatione cum fratribus | VIII. De reis autem abstractis ab
ecclesia. |
| dus soc. Ie- | peccatoribus. | IX. De lapsis post gradum. |
| su ad D. Ia- | ecobum Ar- | X. Vel desideratur omnino, vel
in capitulorum numeratione
erratum est. |
| quando | machanum | XI. De separatione sexuum post
lapsum. |
| Iac. Sirmō- | archiepi- | |
| dus soc. Ie- | scopum. | xii. De |
| quando | I. De obseruationibus eorum. | |
| Iac. Sirmō- | III. De pœnitentia post ruinas. | |
| dus soc. Ie- | IV. Desideratur. | |
| quando | V. De suspectis causis. | |
| Iac. Sirmō- | VI. De vindictis ecclesiæ. | |
| dus soc. Ie- | VII. De baptismatis incertis. | |
| quando | | |

- ANNO CHRISTI 450.
- | | |
|---|--|
| XII. <i>De oblatione pro defunctis.</i> | XXIII. <i>De iuramento.</i> |
| XIII. <i>De sacrificio.</i> | XXIV. <i>De contentione duorum absque testibus.</i> |
| XIV. <i>De abstinenti insoliti lequat a cibis.</i> | XXV. <i>De toro fratris defuncti.</i> |
| XV. <i>De relinquenda vel docenda patria.</i> | XXVI. <i>De meretrice coniuge.</i> |
| XVI. <i>De falsis episcopis.</i> | XXVII. <i>De voluntate virginis vel patris in coniugio.</i> |
| XVII. <i>De preposito monachorum.</i> | XXVIII. <i>De primis vel secundis votis.</i> |
| XVIII. <i>De tribus seminibus euangeliorum.</i> | XXIX. <i>De consanguinitate in coniugio.</i> |
| XIX. <i>Qua etate baptizandis sunt.</i> | XXX. <i>De vindicandis assuetis.</i> |
| XX. <i>De parochiis.</i> | XXXI. <i>De gentilibus qui ante baptismum credunt quam paenitentiam habeant.</i> |
| XXI. <i>De retinendis vel dimittendis monachis.</i> | |
| XXII. <i>De sumenda eucharistia post lapsum.</i> | |

C A N O N E S.

I.

AUDITE Apostolum dicentem: *Cum huiusmodi ne cibum quidem sumere; non eius escas sumas cum eo. Ceterum si bos sis & trituras, hoc est, si doctor es & doces, non obturatur tibi os, & dignus es mercede tua, sed oleum peccatoris non impinguet caput tuum, sed corripe adhuc & argue.*

II.

Contentus tegumento & alimento tuo, cetera dona iniquorum reproba, quia non sumit lucerna nisi ^{*leg. quo} *quod alitur.

III.

Statuitur ut abbas videat cui attribuetur potestas alligandi & soluendi, sed aptior est iuxta scripturæ exempla, *veniam. Si vero cum *flem & lamentatione & lugubri cum veste sub custodia poenitentia breuis quam longa & remissa cum tempore ramentis.

Concil. Tom. 7.

51

I V.

Actus 18.

Audi Dominum dicentem: *Si tibi non audierit, sit tibi velut gentilis & publicanus.* Non maledices, sed repelles excommunicatum a communione & mensa, & Missa, & pace, & si hæreticus est post veniam correptionem deuita.

ANNO
CHRISTI
...

V.

*Math. 13.**1. Cor. 4.*

Audi Dominum dicentem: *Sinite utraque cresceret usque ad messem:* hoc est, donec veniat qui manifestabit consilia cordium, ne iudicium ante diem iudicii facias: vide Iudam ad mensam Domini, & latronem in paradiſo.

VI.

*Gen. 9.**Luc. 6.*

Audi item Dominum dicentem: *Qui effuderit sanguinem innocentem, sanguis ipsius effundetur, sed ab eo qui portat gladium, dictatur aut vindictæ innocens habetur.* De ceteris autem per legem euangelicam ab eo loco in quo ait: *Eteum qui aufert aliquid a te, ne repetas, sed libenter si ipse quid referat humiliter recipias.*

VII.

Statuunt ne baptizati [sint] qui symboli * traditio-
dione a quocumque acceperunt, quia non inficit
semen seminantis iniquitas. Sin vero, non est re-
baptizare, sed baptizare. Non abluendos autem
lapsos a fide credamus nisi per impositionem ma-
nus * accepi.

** leg. tra-*

ditiō-

nem

** leg. 20-
cipi.*

VIII.

Non ad reorum defensionem facta est ecclesia,
sed iudicibus persuadendum est, vt spiritali morte
eos occiderent, qui ad sinum matris ecclesiæ con-
fugiunt.

A N N O
C H R I S T I
450.

I X .

Audi canonica instituta: Qui cum gradu cecidit sine gradu surgat. Contentus nomine tantum amittat ministerium, nisi qui tantum a conspectu Domini peccans non recessit.

X I .

Consideret unusquisque in conscientia sua, si amor & desiderium cessavit peccati, quia corpus mortuum non inficit corpus alterius mortui, sin vero, separentur.

X I I .

Audi Apostolum dicentem: *Est autem peccatum 1. Ioann. 5. ad mortem; non pro illo dico ut roget quis.* Et Dominus: *Nolite donare sanctum canibus.* Qui enim in vita *Eccles. 20.* sua non merebitur sacrificium accipere, quomodo post mortem illi poterit adiuuare.

X I I I .

In nocte Paschæ si fas est ferre foras. Non foras fertur, sed fidelibus deferatur. Quid aliud significat quod in vna domo sumitur agnus, quam sub uno fidei culmine creditur & communicatur Christus.

X I V .

Statuunt ut Christi aduentum sponsi nullas ratas leges inueniat ieunii. Quid autem inter Nouatianum & Christianum interest, nisi quod Nouatianus indesinenter Christianus vero per tempus abstineat, ut locus, & tempus, & persona per omnia obseruetur.

X V .

Docenda patria prius per exemplum Domini, & derelinqua possea, si non proficiet iuxta exemplum Apostoli. Sed qui potest facere, licet

Concil. Tom. 7.

Sf ij

periclitatur vbique doceat & se ostendat , qui vero non potest taceat & abscondat ; alias quippe ab Iesu in domum suam mittitur , alias sequi iubetur.

XVI.

Qui non secundum Apostolum electus est ab altero episcopo, est damnandus, deinde ad reliquam plebem declinandus & degradandus.

XVII.

Monachi sunt qui solitarii sine terrenis opibus
habitant sub potestate episcopi vel abbatis. Non
sunt autem monachi, sed Vaetro periti, hoc est con-
temptores solliciti ad vitam perfectam in ætate per-
fecta. Hoc est a viginti annis debet vnuſquisque
constringi non attestando sed voto perficiendo,
vt est illud, vnuſquisque sicut proposuit corde suo
faciat, & vt, *vota mea reddam in conspectu Domini*, &
reliqua; quo voto viuitur, situs locorum coartat, si
superabundantia in omnibus deuitetur in vita, quia
in frigore & nuditate, in fame & siti, in vigiliis & ie-
uniis vocati sunt.

XVIII.

Centesimum episcopi & doctores qui omnibus omnia sunt, sexagesimum clerici & viduæ qui continentes sunt, tricesimum laici qui fideles sunt, qui perfecte trinitatem credunt. His amplius non est in messe Domini. Monachi vero & virgines cum centesimis iungimus.

XIX.

O^{ctau}o die catechumeni sunt , postea solennitatibus Domini baptizantur, id est Pascha, & Pentecoste , & Epiphania.

XX.

Cum monachis non est dicendum , quorum malum est inauditum , qui vnitatem vero plebis non incongrue suscepimus.

XXI.

Vnusquisque fructum suum in ecclesia in qua imbutus est perfruatur , nisi causa maioris profectus adulteris ferre permissa abbatis cogat. Si vero exierit causa utilior , cum benedictione dicatur : *Ecce agnus Dei, non quod sua sunt singuli quærentes, sed quæ Iesu Christi* : vocationis autem causam non permitunt subditos discurrere.

XXII.

Post examinationem carceris sumenda est maxime autem in nocte Paschæ, in qua qui non communicat fidelis non est. Ideo brevia sunt & stricta apud eos spatia , ne anima fidelis intereat tanto tempore ieiuna medicinæ ; Domino dicente : *Nisi manduaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in nobis.*

XXIII.

Non iurare omnino, de hoc consequente letionis series docet non adiurandam esse creaturam a liam nisi creatorem , vt prophetis mos est : *Vixit Dominus, & vivit anima mea, & vivit Dominus cui assisto hodie.* Finis autem contradictionis est , nisi Domino. Omni enim quod amat homo hoc & iuratur.

XXIV.

Statuunt ut per quatuor sancta euangelia antequam communicet testatur quid probatur, & deinde sub iudice fama relinquatur.

X X V.

Audi decreta Synodi super istis: Frater torum defuncti fratris non ascendat, Domino dicente:
Erunt duo in carne una, ergo vxor fratris tui soror tua est.

X X VI.

Audi Dominum dicentem: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Item adultera lapidetur, id est, huic vitio moriatur, ut desinat crescere, quæ non desinit mœchari. Item si adulterata fuerit mulier, *numquid reuertitur ad virum suum priorem?* Item non licet viro dimittere uxorem, nisi ob causam fornicationis, ac si dicat ob hanc causam, vnde si ducat alteram velut post mortem prioris non vetant.

X X VII.

Quod vult pater, faciat virgo, quia caput mulieris vir. Sed requirenda est a patre voluntas virginis, dum Deus reliquit hominē in manu consilii sui.

X X VIII.

Eadem ratione obseruanda sunt prima vota & prima coniugia, aut secundis prima non sint irrita, nisi fuerint adulterata.

X X IX.

Intelligite quid lex loquitur, non minus nec plus: quod autem obseruatur apud nos, vt quatuor genera diuidantur, nec vidisse dicunt, nec legisse.

X X X.

Numquam ∵ vetitus licet verum obseruandæ sunt leges iubilæi, hoc est quinquaginta anni, vt non affirmentur incerta ∵ vicerato temporis, & ideo ∵ omnis negotia subscriptione Romanorum confirmando est.

LEO C. MEDIOLANENSE. VALENTINIANVS IMP. MARCIANVS IMP. 327
P.I.

ANNO CHRISTI
451.

XXXI.

Remittuntur quidem omnium peccata in baptismo, sed qui cum fideli conscientia infidelem tempor.....vixit ut fidelis peccator iudicandus est.

ANNO CHRISTI
451.

CONCILIVM MEDIOLANENSE.

EPISTOLA SYNODALIS.

Domino sancto & beatissimo patri Leoni Eusebius Mediolanensis episcopus.

REVERSIS, Domino annuente, fratribus nostris, &c.
Extat supra inter epistolas Leonis post 52.

N O T A.


* *Concilium.*] Dum sanctus Abundius ceterique legati ex oriente Romam reuersi essent, ad propria redeuntibus, hoc in mandatis de- dit pontifex, ut Abundius cum Senatore collega Eusebium Mediolanensem episcopum cum literis pontificiis conueniat, cumque eo agat, ut indicta prouinciali Synodo, publicis subscriptionibus pro-fiteantur, se doctrinam de Verbi incarnatione ad Flauianum scriptam integre recepisse: idque propterea, ut legati a latere ad oecumenicam Synodum nomine pontificis, totiusque occidentalis ecclesiæ ablegandi, de absentium episcoporum occidentalium sententia ac suffragio vniuersam Synodum vere & constanter informare possent. Erat enim pristino vsu receptum, ut cum indicebatur oecumenicum Concilium, cui non omnes occidentales interesse poterant, iidem, si opportunitas temporis id ferret, vel Romæ ad Synodum conuocarentur, vel habitis sub præsidio metropolitani prouincialibus Conciliis per synodalem epistolam de suo suffragio Romanum pontificem certiorem redderent, atque ita ipsi etiam iusta de causa absentes, suum quodammodo suffragiū per legatos a latere in oecumenico Concilio ferrent. Hac igitur occasione Eusebius Mediolanensis episcopus hanc Synodum prouinciale coegit: qua quid actum sit synodalis epistola ad Leonem pontificem scripta perspicue recenset. Nomina episcoporum non dignitatis aut prærogatiua se-dium, sed temporum ordine subscripta sunt. Inter eos doctrina & sanctitate insigniores fuerunt, praeter Eusebium Mediolanensem, Abundius Comensis, Maximus Taurinensis, Crispinus Ticinensis, aliquique plures, de quibus vide Baron. anno 451. numero 13. & sequentibus.

Causa ha-bitat Conci-lii.


Quomodo abentes episcopi in Conciliis oecumenicis suffragen-tur.

Acta Con-cilii.

Episcopi iuxta seniū subscripte-tunt.









C
C
T

CONCIL
ORUM
TOM.VII.

Th
1001a